



R. P.  
**VINCENTII**  
**BRUNI, SOCIE-**  
**TATIS IESV,**  
**MEDITATIONES,**  
**DE VITA ET PASSIONE**  
**D. N. IESV CHRISTI.**


Cum Veteris Testamenti Figuris & Pro-  
phetijs, varijsq; Documentis ex quoq;  
Euangelio depromptis.

*Nunc ex Italico in Latinum translata.*  
**PARS SECUNDA.**



**COLONIAE AGRIPPINAE,**  
In Officina Birckmannica, sumptibus  
Arnoldi Mylij. M. DC. II.  
*Cum gratia & privilegio S. Cas. Maiest.*

*Handwritten note:* Biblioteca di S. Maria della Subbionia  
*Stamped seal:* BIBLIOTECA PROVINCIALE



DE ELECTIO-  
NE XII. APOSTO-  
LORVM,

EORVNDÉMQVE MIS-  
SIONE AD PRÆDI-  
CANDVM.

MEDITATIO I.

EVANGELIVM.

**F**actum est in illis die-  
bus, vt Iesus ascende-  
ret in montē orare, &  
erat pernoctās in ora-  
tiōe. Et cū dies factus  
esset, vocauit ad se discipulos suos,  
quos voluit ipse, & elegit ex ipsis  
duodecim, & fecit vt essent tantū  
duodecim cum illo, quos & Aposto-  
los nominauit, vt mitteret eos præ-  
dicare. Post hæc ipse Iesus circui-  
bat omnes ciuitates & castella, do-  
cens in synagogis eorum, & præ-

*Mar. 9.  
Luc. 6.*

*Matt. 9. 10.  
Marc. 6.  
Luc. 9.*

A 2 di.

## 4. MEDITAT. DE VITA

dicans Euangelium regni, & curans omnem languorem omnē & infirmitatem. Videns autē turbas, miseratus est eis, quia erant vexati, & iacentes, sicut oues, non habentes pastorem. Tunc dixit discipulis suis. Messis quidem multa, operarij autē pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Et conuocatis duodecim, cœpit eos mittere binos, & dedit illis virtutem & potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, non virgam, non peram, non panem, nec æs, & ne induerentur duabus tunicis, & erint calceati sandalijs. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos, & ait ad illos. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israhel. Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cœlo.

CHRISTI. PARS II. 5

lorum. infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones eijcite, gratis accepistis, gratis date. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.

FIGURÆ.

1. **I**ACOB Patriarcha habuit duodecim filios, qui fuerunt duodecim illi Patriarchæ, à quibus totus Dei populus originem habuit. Gen 35. Exod. 1.

2. Moyses misit duodecim exploratores ad considerandam terram promissionis, quã postea erat occupaturus Num. 13.

3. Salomon constituit duodecim præfectos super uniuersum populum ISRAHEL, quorum officium erat domui regie prouidere ad victum necessaria. 3. Reg. 4.

PROPHETIÆ.

1. **C**onstitui super vos speculatores. audite vocem tubæ. Hier. 6.

## 6 MEDITAT. DE VITA

- Esa. 62.* 2. Super muros tuos Hierusalem conste-  
tui custodes tota die, & tota nocte, in per-  
petuum non tacebunt.
- Psalm. 44.* 3. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij.  
constitues eos principes super oem terram.
- Hier. 3.* 4. Dabo vobis pastores iuxta cor meum.  
& pascent vos scientia & doctrina.

### CONSIDERATIONES.

- Isa. 62.* **S**APIENS ille Salomon ædificatu-  
rus nobile Templum Dei, in funda-  
mento eius, vti scriptum est, collocari  
iussit lapides quosdam grandes, pre-  
tiosos, & scite elaboratos; sic æterna  
sapientia CHRISTVS Saluator no-  
ster, inchoaturus nouæ Ecclesiæ fabri-  
cam, pro fundamento eius selegit duo-  
decim lapides viuos, nempe duode-  
cim Apostolos, quibus per officium ad-  
quod electi erant aptissime congrue-  
bat nomen lapidis vel petrae, nam Sal-  
uator ipse ad principem, caputque om-  
nium Simonem dixit. *Tu es Petrus. &  
super hanc petram ædificabo Ecclesiam  
meam.* Erant hi lapides in hominum.  
quidem oculis viles & abiecti, at in  
Dei conspectu nobiles & pretiosi: Si-  
quidem, vt Beatus Ioannes in admira-  
bili sua Apocalypsi viderat, hi ipsi  
deli-



CHRISTI. PARS II. 7

designati sunt duodecim illis tanti pretij fundamentis Chrysolithis, videlicet Sapphiris, Smaragdis, alijsque nobilibus gemmis, supra quas fundata & fabricata fuit ciuitas DEI. Magni erant hi lapides, imò magnitudine tanta, vt Propheta eos comparârit montibus, & quidem montibus sanctis, supra quos locata sunt fundamenta Sion, de qua dixit. *Fundamenta eius in montibus Sanctis* Quid verò mirum, homines tam viles & idiotas potuisse ad tantam prouehi dignitatem? cum nulla virtute sua, nullo suo merito, sed sola gratia & virtute Domini potentissimi, qui de stercore erigit pauperem, & collocat eum cum principibus populi sui, fuerint gratuito electi; & ad tam sublimem gradum euecti; quem admodum ipse dixit discipulis. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Deinde lapides hi, non solum erant pretiosi, & magni, verum etiam singulari artificio elaborati, manu, videlicet, diuini illius architecti, qui celos condidit, & fabricatus est auroram & solem: elaborauit autem, doctrina, miraculis, & sanctissimæ conuersationis exemplo, dum nobiscum

*Psalms. 86.*

*1. Reg. 2.*

*Psalms. 112.*

*Ioan. 13.*

*Psalms. 73.*

## 2. **MEDITAT. DE VITA**

vixit in terra. Fuerunt quoque in illis incisa & sculpta multa tentationum, persecutionumque genera, quæ vnâ cum magistro suo alijs atque alijs temporibus tolerârunt: ad extremum verò post Ascensionem CHRISTI in cœlum, Spiritus sancti igne prorsus sunt polita, & ad summam perfectionem reducti.

2. **CONSIDERA**, qua præparatione Dominus se comparârît ad eligendos Apostolos, nam digressus à discipulis suis, conscendit montem orandi causa, totamque noctem in oratione consumpsit. Nihil profectò opus habebat, digressu à suis, & secessu in solitudinem, colligendi sui, precandi que causa, is, qui semper erat apud Patrem, imò erat vnus cum illo, poterat sanè cum eadem quiete inter discipulos, & in loco deserto orare: sed totum id fecit ad nos instruendos, exemplo præstans, quòd docuerat verbo, cum dixit. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum. & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito* Precabatur autem ibi DEVM, non pro se, uti infirmus, & inops salutis; sed pro nobis, ut pius, & amabilis noster aduocatus. Neque precabatur, ut cognosceret volūta-

tem:

*Ioan. 10.*

*Matt. 6.*

rem Patris, quos eligere deberet, nam ab æterno vnà cum ipso Patre iam illos elegerat; sed precabatur, vt suum illis largiretur spiritum, concederet-  
 que gratiam referendi fructum, ad gloriam ipsius, & pro salute totius mundi. Precabatur similiter pro ipso mundo, vt depulsis infidelitatis & ignorantiae tenebris, eorum opera & studio lumine fidei illustraretur. Quare recte in Euangelio dicitur, cum orasse nocte, nihil enim tunc in mundo erat, nisi obscura nox & calamitosa cæcitas, idcirco orabat Dominus, quia decreuerat eligere & accendere eas lucernas, quæ suæ doctrinæ lucem omnibus gentibus adferre debebant. O bone IESU, quàm foelix fuisset anima mea, si meruisset huic tuæ orationi adesse, diuinumque illum tuum feruorem, illam admirabilem deuotionem, & profundam reuerentiam, qua Patri supplicabas, oculis usurpare. Quàm pura, quàm ardens, quàm eleuata debuit esse oratio illa, quot lachrymis, suspirijs, & amore plenis gemitibus fuerit instructa? denique quàm efficax ad obtinendum omnia, quæ postularat à Patre, iuxta illud Apostoli: *Qui in dieb.* *Hebr. 5.*  
*carnis suæ preces supplicationesq; ad eum*

**10** **MEDITAT. DE VITA**

qui possit illum saluum facere à morte cū  
clamore valido, & lachrymis offerens.  
exauditus est pro sua reuerentia Vbi, cū  
dicit Apostolus, in diebus carnis sue, in-  
dicat Dominum non tantum in cruce,  
sed sæpius per omnem vitam solitum  
orare cum lachrymis, & voce magna  
Patrem suum, Proh, quanta est confu-  
sio nostra, quàm longè ab exemplo  
Saluatoris nostri recessimus, quan-  
doquidem tam languidè & negligen-  
ter huic sancto orationis exercitio ope-  
ram damus, in quo tamen singulare  
antidotum habemus ad amolendas  
omnes calamitates & ærumnas no-  
stras,

**5.** **CONSIDERA**, quomodo  
dum Saluator de nostra salute sollici-  
tus, totam noctem in precibus, & con-  
silio humanæ redemptionis tractan-  
do cum Patre impendit, discipuli arcto  
somno oppressi, omnis expertes curæ,  
quiete obdormiant. Ita conueniebat,  
bone IESV, vt tu, cū sis Pater noster,  
& Pastor noster, vigilares, curamque &  
labores omnes pro nobis in te suscipe-  
res. Vidisses certè hic magnū illum Pa-  
triarcham Iacob, in subreditu in Me-  
sopotamia ex diurno itinere, fessum,  
dum

CHRISTI PARS II. IV

dum grex cum filijs, totaque familia requiescit, tota nocte peruigilem cum Deo luctantem, qui specie hominis illi apparuerat, nec ante eum deferentem, quam ab eo benedictionem retulisset: Heu, quis mundi, quis noster miserorum peccatorum status foret, si tu bone Pater, nostri tuendi & protegendi causa, caritate tua ardenti, & precum tuarum efficacia, non esses cum Deo luctatus, manus eius quodam modo ligando, ne pro nostris meritis nos puniret & castigaret, sed potius ab eo pro omnibus tuis filijs æternam benedictionem impetrares.

4. CONSIDERA, quomodo cum dies factus esset, CHRISTVS vocans discipulos quos voluit, elegit ex ipsis duodecim, & Apostolos nominavit. Et rectè quidem dicit, vocatos, quos voluit; nam nec in voluntate, nec potestate nostra est, ut à Domino eligamur, siue ad peculiare aliquod ministerium, siue ad æternam salutem, sed totum id ex mera bonitate & liberalitate Dei proficiscitur, conuenienter verbis Apostoli, *Non est volentis. neque currentis, sed miserentis Dei.* Rom. 9.

12. **MEDITAT. DE VITA**

apostolicum sua electione vel merito, sed sola gratia, & gratuito Dei beneficio; Quos vocavit Dominus Apostolos, id est, nuncios, quæ vox est humilitatis & obedientiæ, ut velut tabellarij & legati Dei cum humilitate & prompta obedientia mundo annuntiarent omnia, quæ à Deo ipso didicissent & in mandatis habuissent. Verùm, bone IESV, cuiusmodi erant hi homines, quos ad tam sublime officium, ad gerendas res tam arduas assumpsisti? an magna sapientia, vel prudentia, vel nobilitate clari? non certè: nam ut scribit tuus Apostolus, quæ stulta sunt mundi elegisti, ut confunderes sapientes, & infirma mundi, ut confunderes fortia, & ignobilia mundi ac contemptibilia & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueres, & omnem humanam superbiam & arrogantiam deprimeres.

2. Cor. 2.

5. **CONSIDERA** infinitam & admirabilem Dei sapientiam. Ut enim à suis creaturis cognosceretur, & amaretur, initio mundi condidit naturam angelicam, excellentissimis donis scientiæ & sapientiæ ornatam: sed multi illorū per superbiam diuinis abusi beneficijs miserabiliter de cœlo in barathrum

præ-

præcipitati sunt. Ad reparandam autem *2. Pet. 2.*  
 hanc angelorum ruinam postea con-  
 didit naturam humanam, dū primum *Gen. 2. 3.*  
 hominem ad imaginem & similitudi-  
 nem suam effinxit, gratiaque & iustitia  
 originali dotauit. Sed hæc dona tatum  
 apud eum non effecerunt, ut in amici-  
 tia diuina perstiterit, diuino enim mā-  
 dato non obsecutus, se cum tota poste-  
 ritate diuina gratia exiit, & morti, per-  
 petuæque dæmonis seruituti addixit.  
 Posthæc, cum omnis caro corrupisset  
 viam suam, maiorque hominum pars  
 se idololatriæ, aliisque id genus abo-  
 minationibus deditisset, ex tota hac  
 massa corrupta Deus singularem po- *Gen. 12.*  
 pulum à quo adoraretur, & coleretur,  
 elegit: & sicut angelos sublimi sapien-  
 tia, primosque parentes singulari san-  
 ctitate & innocentia ornat, ita hunc  
 populū electū multis opibus, & bono-  
 rum temporalium copia ditauit: & ta-  
 men hi quoque, quos Dominus tan-  
 tis affecerat beneficijs, quibusque tot  
 amoris signa demonstrarat, ingrati er-  
 ga Dominum extiterunt, eumque è  
 medio sustulerunt. Videns ergo filius  
 Dei, quā infirma & debilia essent fun-  
 damenta sapientiæ, sanitatis, opum &  
 potentiæ humanæ à se locata, quasi

14 **MEDITAT. DE VITA**

mutato consilio, cogitauit de nouo ædificio excitando; quod non primis illis fundamentis, sed omnino contrarij niteretur. Itaq; non amplius elegit homines perfectos, sapientes, potentes, fortes & robustos, sed pauperes, viles, rudes & imperfectos. Et quoniam altissimum ædificium erigendum erat, cuius fastigium, nō attingeret solum cælū, sed excederet omnes cælos, imò & superaret angelos, atque ad excelsum diuinitatis thronum perueniret, congruentissimum erat, vt profundissimæ humilitatis & abiectiois fundamenta iacerentur. Quare & placuit Deo, vt benè dicit Apostolus, vt quia mundus per sapientiam non cognouerat, colueratque Deum sicut oportebat, per stultitiam prædicationis salui fierent credentes. Hæc sunt mirabilia & stupenda spiritus sancti opera, hæc est immensa & incomprehensibilis Dei sapientia, quam mundus non capiens, pro stultitia & insipientia reputauit.

6. **CONSIDERA**, quomodo conuenienter voluerit primos Apostolos esse numero duodecim: nam sicut à primis duodecim Patriarchis originem habuerunt duodecim tribus israhel sic

*Heb. 1. 7.*

*1. Cor. 1.*

*Gen. 35.*

sic



sic à fide & prædicatione horum san-  
 ctorum Apostolorum toto orbe pro- *Exod. 26*  
 pagata fuit Dei Ecclesia. Hi sunt duo-  
 decim fontes Elim, qui dulcibus aquis  
 sapientiæ suæ irrigarunt vniuersam  
 terram. Hæ sunt duodecim pretiosæ  
 portæ cælestis Hierusalem, quarum tres, *Apos. 20*  
 vt scriptum est, respiciebant Orientem,  
 tres Aquilonem, tres Austrum, & tres  
 Occidentem: vt significaretur, prædica-  
 tione Apostolorum duodecim succes-  
 sorumque, omnes gentes & nationes à  
 quatuor mundi partibus per fidem san-  
 ctissimæ Trinitatis iuducendas in ciui-  
 tatem Sanctam Ecclesiæ Dei. Hi sunt  
 gloriosissimi illi CHRISTI imita-  
 tores, qui Ecclesiam plantarunt sangui-  
 ne suo, quosque filius Dei tanto hono-  
 re affecit, vt vocarit non seruos, sed a-  
 micos & fratres suos. VERVM heu  
 dulcis IESV, quæ causa est, vt inter  
 hos innocentes agnos eligere & adiu-  
 gere volueris, rapacem & sanguinolentum  
 lupum Iudam tuum proditorem.  
 O bonitas ineffabilis. O diuinæ cari-  
 tatis dulcedo, quæ omnibus sinum  
 suum aperit, omnes cupit saluare,  
 sic vt ne huic quidem scelesto homi-  
 ni, si perseuerare & proficere volu-  
 isset in gratia à DOMINO accepta,  
 mise-

16 **MEDITAT. DE VITA**

*Psalm. 41.* misericordiae suae portas claudere voluerit, sed id quoque fecit Saluator, tum ut adimplerentur vaticinia, quod per unum discipulum erat tradendus: tum ut bene utendo nequitia sui discipuli, paternam obedientiam de morte pro humani generis salute subeunda exqueretur, exemplumque Ecclesiae suae relinqueret, patienter tolerandi malos & peccatores, quamdiu spes superest emendationis. Denique id voluit Dominus, ad maius bonum nostrum, ut maiorem pro nobis patiendi haberet occasionem: dum in societate sua suscipiens eum, à quo certè sciebat se pro dendum ad mortem, continenter ob oculos, & in corde haberet duram illam & acerbam crucem, in qua cum tanta poena & dolore vitam claudere debebat.

7. **CONSIDERA**, quomodo misericors IESVS videns turbas longo itinere afflictas & fessas humi iacere, sicut oves carentes pastore, in iisque suis diuinis oculis repraesentans tantam perditarum animarum, non in Iudaea modo, sed toto orbe miserabiliter in terra sine pastore iacentiuram multitudinē; misericordia motus tanquam bonus & verus pastor dixerit suis discipulis: *Mess-*

*sis.*

*sis quidē multos operarij autē pauci, orate  
 Dominum in messis, ut mittat operarios in  
 messem suā* Quod dicto liberalis Domi-  
 nus nō expectās, donec rogaretur (solet  
 enim pro sua benignitate saepe praeue-  
 nire preces nostras) mittit Apostolos,  
 tanquam fideles operarios, ut praedica-  
 tione, & virtute miraculorum excole-  
 rent vineam suam electam, quam ipse  
 paulò post erat irrigaturus, & proprio  
 sanguine fecerū daturus. Vide quā egre-  
 giè coelestis hic pastor praestiterit, quod  
 olim Propheta praedixerat. *Ego pascam  
 oves meas, & ego eas accubare faciā, &  
 perierat requirā & quod abiectum erat  
 reducā & quod confRACTUM fuerat alligabo.  
 & quod infirmum fuerat consolida-  
 bo.* Exterum non satis fuit benignissi-  
 mo .ESV, per seipsum, quoad fieri pos-  
 set, remedium salutis illi populo affer-  
 re, sed alia quoque media adiunxit, A-  
 postolicam scilicet missionem, quorū  
 opera non solum instruerentur in Spi-  
 ritu, sed infirmi quoque eorum sanita-  
 ti restituerentur. Ex alia parte perpen-  
 de, quibus verbis, ad animandos suos  
 discipulos, quos iam primum ad praed-  
 icandum emittēbat, declaravit & ma-  
 gnā necessitatem, & simul facilitatē  
 huius negotij dicēs, multam esse mes-  
 sem:

Eze 34.

18. **MEDITAT. DE VITA**

sem: quasi diceret, non mitto vos ad arandum, vel seminandum. sed ad colligendū fructus iam maturos, secundū illud quod alias dixerat. *Alij laborauerunt, & vos in labores eorū introiistis.* Et rectè quidem dixit; nam sancti illi Prophetæ. & antiqui Patres, qui à principio mundi varijs temporibus sub duro Legis iugo sustinuerunt pondus laboris & æstus diurni, verè sunt illi, qui hanc vineam coluerunt, & fructum seminarent ad quem colligendum hac vltima hora Dominus Apostolos emisit.

8. **A T** quamobrem **DEVS**, qui omnia de nihilo condidit, cum posset sua omnipotentia, vel angelico ministerio, sine vlla ope humana, mundum conuertere, vti voluit opera Apostolorum hominum vilium & imperfectorum? Deinde bone **IESV**, quid sibi vult, quod cum opera hominum vti statuisses, tãtaq; misericordia, præditus esses, videres autē messem tam copiosam, tot amplissimos campos albescentes & maturos, tam exiguū numerum operariorum ad colligendum miseris fructum? O quàm bonus, quàm mirabilis est Dominus in omnibus operibus suis; nam hinc, vt demonstraret, quantopere nos amaret, cum opera no-

stra

*Joan. 4.*

*Mat. 20.*

CHRISTI. PARS II. 19

Astra non indigeret, participes gloriæ suæ nos esse voluit; dum fecit nos suorum diuinorum operum cooperatores: illincum magna sapientia voluit eligere paucos, & imbecilles operarios, ne magnus, qui per eos efficeretur fructus, ipsorum scientiæ, aut potentiæ, sed soli virtuti diuinæ attribueretur, totusque mundus intelligeret, Euangelij propagationem non humanum sed diuinum opus esse, quâdo tam pauci & rudes homines, qui erant, vt loquitur Apostolus, *1. Cor. 46* omnium hominum peripsema, nunquam potuerint res tam sublimes omni intelligentia humana superiores persuadere, sapientesque & potentes huius mundi obedientiæ fidei subijcere, nisi vt ipsius veritatis, diuinitus illuminati, eorumque animi præparati ad eam suscipiendam fuissent.

9. CHRISTVS Apostolos iam vocatos cœpit emittere ad prædicandum, vbi considera, quis sit ille, qui eos misit, nempe ipse Dei filius, qui linguas infanrium facit disertas, qui que promiserat suis os & sapientiam, cui *Sap. 102* contradicere vel resistere non possent *LUC. 266* omnis eorum aduersarij. Quare mirum non est, homines tam rudes & simplices potuisse facere in mundo, quod fecerunt:  
 sed

**26** **MEDITAT. DE VITA**

sed mirum potius est, æternam sapien-  
tiam dignatam uti tam infirmis & vi-  
libus instrumentis, ijsque suam virtu-  
tem & potestatem communicasse, eue-  
hendo eos supra omnes Patriarchas &  
Prophetas, tantoque eos digniores il-  
lis reddendo, quanto Euangelica do-  
ctrina, lege veteri erat præstantior; ne-  
que enim missi erant, ad annuncian-  
dum, ut Lex mandabat, promissiones  
terrenas, sed cœlestes, non felicitatem  
temporalem sed æternam. Vide dein-  
de, quomodo mittat eos instar paupe-  
rū viatorū, prohibens illis ne secum fe-  
rant res superuacaneas, sed tantum ne-  
cessarias, ut omni cura terrena vacui &  
liberi, studiosius inuigilarent officio  
prædicationis? Incedebant quidē pan-  
nosi, sed caritate egregiè vestiti, vacui  
nummis, sed diuina virtute pleni, de-  
stituti adminiculo baculi, sed firma fi-  
ducia omnes Deo nixi: atque ita con-  
ueniebat, ut qui alijs prædicaturi erant  
de contemptu mundi, non tantum ver-  
bis, sed magis suæ paupertatis exemplis  
mouerent, animos auditorum ad eum  
amplectendum.

10. **PRÆCEPIT** Dominus A-  
postolis suis, ne prædicarent Gentili-  
bus aut Samaritanis, sed tantum qui-  
bus

bus perditis domus Israhel. Vbi confi-  
 dera hoc præceptum non pugnasse cū  
 illo. quod ipse Dominus post suam re-  
 surrectionem dedit, quando dixit, *Itē* Mat. 28.  
*in uniuersum orbē & prædicate Euange* Mar. 16.  
*lium omni creatura.* Priuū enim aduen-  
 tus Christi annunciandus erat Iudæis,  
 pro quibus præcipuè missus erat: atque  
 ideò voluit Dominus illis primo loco,  
 prædicari Euangelium, vt omnem eis  
 ansam eriperet excusandi se vel tergi-  
 uerfandi, quasi primo suos misisset ad  
 prædicandum gentibus & Samarita-  
 nis. Postea verò cum Iudæi Apostolica  
 prædicatione repudiata conuerti no-  
 luissent. meritò mandauit Saluator, vt  
 prædicarent gentibus, vt Paulus & Bar-  
 nabas dixerūt ipsis Iudæis, *Vobis oportet* Act. 13.  
*primū loqui verbū Dei. sed quoniā re-*  
*pollitis illud, & indignos vos iudicatis æ-*  
*terna vitæ, ecce cōuertimur ad gentes.* O  
 quàm merito querebatur Deus per Pro-  
 phetam dicens. *Viri Iuda iudicate inter* Esa. 5.  
*me, & vineam meam, quid est, quod de-*  
*bui ultra facere vinea mea, & nō feci? In*  
 grati verè Iudæi nam cum DEVS cor  
 instar vineæ electæ suis manibus plan-  
 tasset, tot donis & prærogatiuis super  
 omnem populum ornando, missis ad  
 colligendum fructum ex ea Prophetis,

non solum non eos audierunt, sed etiam varijs contumelijs affecerunt. Cùm verò extremo loco Deus etiam proprium filium; tanquam legitimum eorum Dominum & hæredem misisset, eum quoq; contempserunt, & impiè in crucem egerunt. Quare iustè, vti Dominus eis prædixerat, velut ingrati exuti sunt regno, & alijs nationibus subiecti, quæ maiorem fructum reddiderunt.

*Matth. 27.* 11, **ECC**E ego mitto vos, sicut oves in medio luporū. Estote prudentes sicut serpentes, simplices sicut columba. Cauete autem ab hominibus. Heu bone IESV, quænam isthæc consolatio, quam hidas discipulis, quod præmium proponis eorum laboribus? dum indicas eos fore prædam ipsis lupis? Sed tamen magni solarij loco erat illis, quod misserant à te, qui non solum defendere eos poteras à lupis, sed etiam virtutem eis communicare conuertendi feroces lupos in agnos mansuetissimos. Verè admirabilis venator est Dominus, qui non modo per oves cœpit lupos, sed etiam vicit, & sub iugum misit leones fortissimos. itaq; ita locutus est Dominus, atque si dixisset. Ecce ego mitto vos mansuetos inter crudeles,  
 inno-



innocentes inter impios. Sitis igitur prudentes velut serpentes, qui ad voces incantantium aures occludunt, & ad caput tuendum exponunt totum corpus. Ne finite vos in fraudem induci, vestrorum aduersariorum dolis & blanditijs, ac impendente aliquo periculo, estote firmi & stabiles, potiusque tormentis laniari corpus, & vitam, quàm fidem & salutem animæ vestræ vobis eripi sinatis. Sitis quoque simplices, sicut columbæ, felis amaritudinis expertes, non vos defendite, nulli malum dicite vel facite, omnibus cedite, & bonitate vestra vincite aliorum malitiam, bonum pro malo, & beneficia pro maleficijs reddendo. *Rom. 12.*

12. Verùm, quid est, benedicite IESU, quod iubes discipulos cauere sibi ab hominibus? cur non potius iubes eos cauere sibi à malignis spiritibus, rectoribus tenebrarum harum, contra quos, secundum Apostolum, *Eph. 6.* nobis continua & periculosa est concertatio? O quàm ingens est hominum malitia, amplius certè reformidanda & fugièda, quàm quæuis ferox bellua, unde dixit Propheta. *Unusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo* *Ierem. 9.*

## 24 MEDITAT. DE VITA

Ecc. 32.

*non habeat fiduciam.* Quod & sapiēs cōfirmavit his verbis. *A filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende* Nam vt Dominus quoq; dixit, inter maximos hominis inimicos sunt domestici eius. Quare valde perfectus & beatus ille est, qui ita cauet ab hominibus, vt nō præbeant illi occasionem peccandi. Bestiæ feroces malæ sunt & formidandæ, sed quia rationis expertes sunt, facile potest homo prudens sibi ab eis cauere. At ab hominibus peruersis & crudelibus, quo ratione plus valent, hoc difficilius potest homo sibi ab illis cauere. Serpentes venenati, etsi admodum sint maligni, nihilominus timent homines, at homo iniquus malitia excedit serpentem, nec hominem, vti serpens, reformidat. Præterea quodque animal habet singulare vitiū, quo hominem offendit, & ferè non solet sequi in quemquam, nisi stimuletur & irritetur: sed homo malignus obnoxus est omnium bestiarum vitijs, &, licet non prouocatus, nocet tamen illis à quibus non est vlla iniuria affectus. Denique homo peruersus deterior est ipso dæmone, quia dæmon sæpè reformidat accedere homines iustos, sed homo impius aspèrnatur iustos, & pedibus suis concul-

culcat, quod sciens dæmon, hominum opera vtitur ad diuexandos bonos & sanctos, & ideo zizania disseminat inter bonum semen CHRISTI, & tantas tempestates in dies, vti experimur, concitat aduersus Ecclesiam Dei, eiusque seruos. Quare meritò Saluator admonet suos discipulos, vt caueant ab hominibus, ne fraudulentis eorū machinationibus decipiantur, vel aliqua eorum violentia vel timore peruertantur.

## COLLOQVIVM.

**O**RABIS CHRISTVM Dominum, qui per suam inæstimabilem misericordiam venit in hunc mundum ad perducendos homines ad penitentiam, & ideò discipulos suos ad prædicandum misit, data eis potestate sanandi infirmos, modo viuendi & inter homines conuersandi præscripto, vt te quoque dignetur à mundi erroribus reuocare, tuosq; pedes in viam salutis dirigere: Concedere quoque velit perfectam mentis & corporis sanitatē, suis sacris donis reformando totum interiorē exteriorēq; hominem; vt adiutus in teipso, securius, prudentius & simplicius, secundum Apostolicam doctrinā, possis inter homines conuersari, & alijs quoque prodesse.

26 MEDITAT. DE VITA  
DOCUMENTA.

1. **C**HRISTVS electur<sup>9</sup> duodecim A-  
postolos, in oratione pernoctauit, ut  
suo exēplo declararet, quid nobis agendū  
sit. Si n. Domin<sup>9</sup> nostrae salutis procurāda  
causa totā noctem in precib. cōsumit, quid  
orare, quidq; agere cōueniet nos pro ea ip-  
sa salute? Et si **C**HRISTVS prius orauit,  
quā Apostolos ad pradicandū amāda-  
uit, quāto magis nos in actionib. nostris,  
si quod nobis bonum opus perficiendum e-  
rit, prius debemus nos Domino per ora-  
tionem commendare?

2. **C**HRISTVS antegressa proluxa oratio-  
ne elegit Apostolos, ut doceret nos, Prala-  
tos & ministros Ecclesie non esse eligēdos  
per respectus humanos, multo verò minus  
per alia illicita media, sed per orationē, in  
ea ob oculos ponendo tantum maiorē Dei  
gloriam, & animarum salutem.

3. **C**HRISTVS in monte elegit A-  
postolos, eosque instituit, quomodo se ge-  
rere debeāt; ut indicaret Pralatos & Pa-  
stores Ecclesie, uti sunt in excelsa digni-  
tatis gradu, sic alijs omnibus quoque pra-  
stare debere doctrinā & vitam sanctitatem;  
ut suo exēplo, & institutione gregē quoq;  
Domini dirigere & deducere possint ad  
res sublimes & caelestes; non autē esse si-  
miles ijs, qui nomen quidem Pralati si-  
bi ven-

Si vendicant, sed animum & cor abiectū  
& depressum habent in terram.

4. CHRISTVS predicando circuiens,  
ut vidit turbas instar ouium pastore ca-  
rentiū iacentes, misit Apostolos, ut eas spi-  
ritualiter instruerent, & quando opus e-  
rat cibo corporali eas refecit. hoc boni ni-  
mirum pastoris officium est, semper quidē  
subditos doctrina spiritualiter pascere, a-  
liquādo verò etiam quando opus est cor-  
poraliter auxilio temporali: & non face-  
re, quod quidā faciunt, lupi potius, quàm  
Pastores, qui se ipsos potius quàm gregem  
pascunt, & non solum non docent & cor-  
rigunt suos subditos, sed prauo etiam ex-  
emplo scandalizant, eorumq; profectum  
impediunt.

5. CHRISTVS missurus Apostolos ad  
predicandū, dixit eis, ut orarēt Dominū,  
ut mitteret operarios ad messē suā. Sæ-  
pe Domin⁹, etsi prestare aliquid velit, ta-  
mē vult à nobis rogari ut prestat: q̄ facit  
ad charitatem nostram excitandam, &  
meritum augendum, ut fideles sui non so-  
lum ratione boni operis, sed etiam ratione  
bona voluntatis remunerentur.

6. MANDAVIT Domin⁹ Apostolis, ne  
per viā quicquē secū ferrēt, ad informā-  
dū suos Predicatores, tātum debere eorū  
esse fiduciam in Deo, ut, etiamsi ipsi non

prospicerent sibi de rebus in hanc vitam necessarijs, tamen certò credât sibi nihil defuturum. Quod ideo constituit Dominus, ne si mentè distineret cura rerum tēporaliū, languesceret in cura rerū celestium & aeternarum alijs procurandarum.

7. Si CHRISTVS uenit Apostolis uti duabus tunicis, ne fortè destitueretur rebus necessarijs, quo magis reprehensione digni sunt, qui non modo binas, sed ternas etiã, & quaternas vestes habent, non ex timore, ne destituantur necessarijs, sed ostentatione, & pompa, implendo arcas & onerando equos pretiosis vestibus: pauperibus interim CHRISTI manentibus nudis & rigore morientibus.

8. CHRISTVS sola sua Voluntate, nullo ipsorum id desiderante vel postulante, misit Apostolos ad pradicandum, qui postea magno cum fructu redierunt. Vnde colligimus praelaturas, dignitates, & officia Ecclesiastica non esse desideranda, nec procuranda, sed nec ullo modo quēquam ad ea obtinenda debere se ingerere, sed totum relinquere diuina ordinationi, ut Dominus faciat, quod ad maiorem suam gloriam, nostramq; salutem cedit. Si verò non vocati irruamus in illa, verendum est, ne nobis exitio, alijs verò exiguo adiumento simus.

DE QVINQ.  
MILLIBVS HOMI-  
NVM QVINQVE PANI-  
BVS ET DVOBVS PI-  
SCIBVS A DOMINO  
SATIATIS.

MEDITATIO II.  
EVANGELIVM.

**P**OST hæc IESVS abiit trans *Matth. 14.*  
mare Galilææ: quod cum cogno- *Mar 6.*  
uissent turbæ, secutæ sunt eum *Luc 9.*  
multitudo magna, quia videbant si- *Ioan. 6.*  
gna, quæ faciebat super his, qui infir-  
mabantur. Subijt ergo in montem  
IESVS, & ibi sedebat cum discipu-  
lis suis. Erat autem proximum Pa-  
scha dies festus Iudæorum. Et exi-  
ens vidit turbam multam IESVS,  
& eleuans oculos suos misertus est  
super eos, quia erant sicut oues non  
habentes pastorem, Et excepit eos,

## 30 MEDITAT. DE VITA

& cepit eos docere multa, & loquebatur illis de regno Dei: & eos qui cura indigebant, sanabat. Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes illi. Hora iam præterijt, & locus hic desertus est, dimitte turbas, vt eūtes in castella, villasque, emant sibi cibos quos manducent. Et I E S V S respondens ait illis. Non habent necesse ire. Vos date illis manducare. Et conuersus ad Philippum dixit. Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tētans eum, ipse enim sciebat, quid esset factururus. Respondit ei Philippus. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat, Et dicit eis. Quot panes habetis? Respondit vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri. Est puer vnus hic, q̄ habet quinque panes hordeaceos & duos pisces, sed quid hæc inter tātos? Qui ait illis. Afferte mihi illos huc. Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes. Erat autem scœnum  
mul-



multum in loco, & discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos, omnes viri numero, quasi quinque millia, exceptis mulieribus & paruulis. Accepit ergo IESVS quinque panes, & duos pisces, & aspiciens in cælum, cum gratias egisset, benedixit illis, fregit panes & distribuit discipulis suis, ut poneret ante turbas: Similiter & duos pisces diuisit omnibus quantum volebat. Et manducauerunt omnes & saturati sunt. Post hæc dixit discipulis suis. Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos, plenos fragmentis panis & piscium. Illi ergo homines, cum vidissent, quod IESVS fecerat signum, dicebant. Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. IESVS ergo cum cognouisset, quia venturi essent, ut raperet eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

## FIGURAE.

*Num. 11.* 1. **D**IXIT Deus Moysi, vt toti multitudini filiorū Israel ad mensem vnum daret manducādas carnes. Cui respondit Moyses. Sexcēta milia peditū huius populi sūt, & tu dicis, dabo eis esum carniū mēse integro, nūquid ouīū & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum?

2. **ELIAS** farinam viduae Sareptana ita multiplicauit, vt satis esset ad alendū ipsum, totamq; familiam in multum tempus.

*3. Reg. 17.* 3. **ELISAEVS** mandat ministro suo, vt duodecim panes hordeaceos sibi oblatos distribuatur populo ad manducandum: Cumq; minister dixisset. Quantū est hoc, vt apponam corā centum viris, respondit Prophetas. Da populo vt comedat: Comedent, & supererit, sicut & factum est.

**I**N diebus famis saturabuntur.

2. Edent pauperes & saturabuntur, Psal. 38.  
& laudabūt Dominum, qui requirūt eū. Psal. 28.

## CONSIDERATIONES.

**C**ONSIDERA, quomodo ma *Punct. 1.*  
gna multitudo populi, miraculo-  
rum magnitudine attracta, secuta sit  
CHRISTVM ultra mare Tiberiadis,  
ibiq̄ue in loco deserto in summa victus  
penuria miraculosè à Domino paucis  
panibus pasta. Vide quàm appositè ve-  
ritas Euāgelica, veteris testamenti vm-  
bris figurisq̄; respōdeat. Legimus Deū  
ipsum, cum populum Israheliticum à  
seruitute Pharaonis vindicare, & è te-  
nebris Aegyptiacæ infidelitatis extra- *Exod. 19.*  
here vellet, tanquā ducem præiisse po-  
pulo, per diem quidem specie lucidæ  
nubis, quæ umbra sua eum tueretur à  
radijs nimioq̄; æstu Solis: per noctem  
verò forma columnæ igneæ, quæ splē-  
dore suo discutiebat tenebras, viamq̄;  
monstrabat ad terram promissionis, do-  
nec tota illa multitudo transgressā ma-  
re peruenisset in desertum, vbi cum de-  
ficeret eis cōmestus, cibiq̄; ad alēdum  
tantum numerū, misericors Deus, qui  
nunquā deserit sequentes se, obsequen-

34 **MEDITAT. DE VITA**

tesque suis mandatis, effecit, ut per miraculum magna copia, panis suavissimus instar pluviae de caelo decideret; quo totus ille populus fuit sustentatus. Nō aliter CHRISTVS Salvator noster nunc liberaturus electos suos à servitute tyranni infernalis, tenebrisq; peccatorum & ignorantiae extracturus, tanquam dux eos antecedit, magnoque amore & suavitate vocat & trahit ad se, quocumq; enim ibat, vel terra vel mari, per culta incultaue loca, *sequebatur eū multitudo magna*; Ac sicut DEVS populum Israheliticum ducebat in specie nubis & ignis, sic idem Deus visendum se nunc praebebat hominibus eadem specie & figura; nec enim ianocentissima illa Salvatoris humanitas aliud erat quàm quaedam candida nubes, qua suae diuinitatis radios obtexit, ne offenderentur oculi infirmorum in umbra mortis degentium, quaque verbum aeternum se induit, ut factus homo melius inter homines conuersari posset. Erat quoq; columna ignis; nam scriptum est, *Deus noster ignis consumens est*. Erat enim ignis ille è caelo in terram delapsus, ut omnes iniquitates nostras consumeret, suorumque miraculorū splendore ac doctrina dis-

pel.

Deut. 4.

Heb. 12.

pelleret tenebras ignorantiae, & omnium hominum mentes illuminaret, rectam viam eis demonstrans, quam tenere deberent ad ingrediendum veram terram promissionis. Et sicut antiqui quoque Patres inedia pressi in deserto miraculosè à Deo pasti sunt manna pluente de caelo, sic nunc turbæ in deserto omni cibo destitutæ miraculosè à Christo altæ sunt, è discipulorum manibus, tanquam nubibus caelestibus, mittente pluuiam panis tam copiosam, vt omnes saturati fuerint: nec enim aliud erant sancti Apostoli, quàm nubes caelestes, de quibus scriptum. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* *Esaiæ 60.* Apostoli siquidem fuerunt illæ nubes, quæ per mūdū totum cum prædicationis imbre sparsæ, irrigârunt, & fœcundârunt totam Ecclesiam. Quemadmodum & hic panis, quo per eorum manus tantum hominum numerum pavit, non aliud significauit, quam panem sui diuini Verbi, quo per prædicationem Evangelicam pasturus & satiaturus erat omnes mundi nationes. Ac sicut Deus filios Israhel ex Ægypto educaturus, vt ipsi crederent, eumque sequerentur, ministerio Moyse multa fecit signa & prodigia: sic benedictus IESVS

inter predicandum multa miracula patrabat, & omnia morborum genera sanabat in hoc populo, vt his beneficijs allecti ipsum sequerentur, & libentius audirent, atq; ita instructi peruenirent ad fidem, & perfectam animæ suæ sanitatem adipiscerentur. Erat bonus IESVS verus, & vnicus pastor, necdum satis ouibus suis cognitus. Quare flagrans desiderio pascendi illas cibo vitæ, deducendique ad pascua cælestis doctrinæ, illæque nondum consueissent inire viam tam perfectam; necesse fuit eas miraculis, & restitutione corporalis sanitatis, quasi recentium herbarum fasciculo in manu ante illas deportato, ad se allicere, & inuitare. Pastor verè bonus: nam non modo magno amore oues suas pascebat, verum etiam, sicut de eo scriptum est, accommodans se earum imbecillitati, *in brachio suo congregabat agnos, & in sinu suo leuabat, foetus ipse portabat.*

*IOANN. 10.*

*Esaiæ 40.*

2. ASCENDIT ergo montem IESVS, & ibi sedebat. Cōsidera tūc expletū vaticiniū Prophetæ Michææ. *Et erit in nouissimo dierum mons domus DOMINI preparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multa, & dicent. Venite*

*Mich. 4.*

*Esaiæ 2.*

*Venite ascendamus ad montem Domini,  
 & ad domum Dei nostri, & docebit nos  
 de vijs suis.* Erat verè CHRISTVS Do-  
 minus noster mons ille altissimus do-  
 mus Domini, eleuatus supra omniũ san-  
 ctorum hominum & Angelorum san- Col. 2.  
 ctitatem & perfectionem, in quo pleni-  
 tudinem diuinitatis habitare placuit.  
 Erat Magister de cœlo delapsus, qui per-  
 fectionis suæ doctrina: conuersationis-  
 que dulcedine, & viuis diuinarum vir-  
 tutum exemplis, omnes ad se populos  
 & nationes attraxit. Verùm dulcissimè  
 IESV, cur ad solandum hunc populum  
 qui te sequitur conscendis montem?  
 nōne satis erat eum tanto itinere con-  
 fecto traiecisse mare ad te inuenien-  
 dum? cur ergo iam fessum & anhe-  
 lantem trahis in verticem montis? Vbi  
 contemplare anima mea, quemadmo-  
 dum verus iste pastor, qui alias in mon-  
 tibus aberrantem quæsiuit ouiculam,  
 nunc velit ipse ab ouibus quæri in mō-  
 te, nec mirum: quia iam suauitatem pa-  
 scuorum illius delibârant, omniq; me-  
 tu vacuæ, deposita omni feritate, pri-  
 mitias Spiritus diuini hauserant, quo-  
 duce, cognita voce Pastoris, ipsæ per se  
 sponte eũ insecutæ sunt, imò post eum  
 in odorem nobilium virtutum eius cu-

eurrerunt. Quo loco expende quoque discrimen quod erit inter hanc benedictam turbam, & obstinatum ingratumque populum Hebræum, qui post conspectam oculis proprijs admirabilē Dei potētiam, in traiectu maris rubri siccis pedibus facta, & in submersione atque interitu omnium inimicorum suorū; non tamen omnem spem & fiduciam in eo collocavit, sed deficiente cibo in deserto, mox cœpit aduersus Deum obmurmurare. Deinde verò cū miraculosè manna cœlesti pastus esset; nauseans & fastidians tam nobilem cibum, denuò obstrepere cœpit, & repetere vilissimos quosq; cibos Ægypti. At hæc pia turba, desiderio videndi & audiendi Christum, suas ædes deseruit, nullam vel longi vel asperi itineris rationē habuit, curam nullam de victu corporali gessit: Sed ieiuna totum diem vsque in vesperā ambulauit, vt refici & pasci posset manna illo suauissimo, illis verbis gratia plenis quæ ex Saluatoris ore prodibant.

*Exod. 14.*

*Ex. 16*

*Psal. 67.*

*Num. 11.*

*Luc. 4.*

3. Eleuans ergo oculos IESVS, vidensque tantā multitudinem ad se venientem, misertus est illi, quia erant sicut oves sine Pastore. Considera benignum & misericordem aspectum Saluatoris,



coris, quàm verisimile est, cùm videret turbam tanta pietate & studio, post tantam corporis lassitudinem ad se accurrere, eam subleuatis oculis, non simplici quodã intuitu, sed modo magis speciali, & affectu amabili respexisse, nō se-  
 cus quã amicus oculos intēdere solet in amicum magno desiderio expectatū, & velut amabilis pater, intuetur charissimos filios. Nec aliter fieri poterat, cū scriptū sit de illo, *quod laborē & dolorē considerat.* Respicit Dominus, & attēre cōsiderat labores & afflictiones amore sui toleratos. facile quoq; apparet, quanto amore hęc plebem Christus respexerit; nā vedit Euāgelista, misertus est eius, & benignè eā recepit. Hęc enim sūt effectus & signa magni amoris. Nusq̃ Dominus legitur eleuasse oculos suos, nisi cū singulare aliquod beneficiū hominib. p̃stitit, aut peculiare aliquod mysteriū exhibuit. Eleuauit oculos versus suos discipulos, eosq̃ue benedixit, & beatos p̃dicauit, quādo dixit. *Beati pauperes, quia vestrū est regnū Dei* Eleuatis in celū oculis benedixit Patri, & Lazarū resuscitauit. Similiter paulò antè mortē sublati oculis magno affectu commendauit Patri *Ioan. 13.* suos discipulos his verbis. *Pater sancte, serua eos in nōine tuo, quos dedisti mihi.*  
 Sub-

Luc. 17.

Subleuatis oculis respexit Zachæum, & iustificauit; adiuncto & illo beneficio, quod in domum eius diuerterit. Denique nunc quoque attollens oculos miseratus est multitudini ad se venienti, eamque non solum spirituali, sed etiam corporali cibo refecit. Lætare anima mea, ne metue, etiamsi te plenam peccatis & ærumnis agnoscas, sed magna confidentia cum pia hac turba accede Saluatorem. Primus enim misericordium illorum viscerum affectus erga eos, qui se ei adiungunt, non est minarum aut iustitiæ leuerioris, sed amabilis & commiserabilis respectus: nam ipsa etiam peccata, quando de illis dolemus, non respicit Dominus tanquam materiam vel obiectum pœnæ & iustitiæ, sed tanquam motiuum misericordiæ & compassionis. Vnde alicubi dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quod probè intellexit Propheta, quando dixit. Vide

Matt. 11.

Psa. 24.

humilitatem meam & laborem meum & dimitte vniuersa delicta mea. Miseratus quoque est Dominus huius turbæ, quia erant oues sine pastore. Verè sine pastore, quia cum essent plenæ ignorantia, nullum habebant qui eas pasceret pane veræ doctrinæ. Habebāt quidem

Pa-

stores Legis, sed eos non sequebantur: nihil enim faciebant doctrinam eorū, ut qui ipsi quoque ignorantes essent; ut eis obiecit Dominus. *Cæci sunt, & discunt cacorum* Imò non erant amplius pastores, sed mercenarij, quia sua tantum

Matth. 23.

commoda quærebant, salutem & com-  
moda ouium negligebant. Unde se po-  
tius, quàm ouibus sibi commissis pas-  
cēdis operā dederūt. Cōtra quos meritò  
quetebatur Deus per Prophetam dicēs:

IOANN. 100

*Va pastoribus Israel, qui pascebant se-  
metipsos, lac comedebatis, & lanis operi-  
bamini, & quod crassum erat occideba-  
tis gregem autem meum non pascebatis.*

Ezech. 34.

4. CONSIDERA igitur quomodo  
CHRISTVS receperit has turbas, &  
ceperit eas docere loquens eis de regno  
Dei. O beata & fortunata turba; quod  
liberata è crudelium mercenariorum  
manibus, tuo vero & fidei pastori oc-  
curreris, qui non tantum pascet te vberibus suę doctrinę pascuis, sed sanguinem etiam & vitam suam pro tua salute profundet. Considera hanc benignam eorum susceptionem à Domino factam, & vide an non rectè de se dixerit. *Vulpes foueas habent, & volucres callinos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Omnino, pro  
im-

LUC. 13.

immense amore suo quo erga nos flagrat, in sinum suum omnes electos recipit, in eoque optatam quietem largitur, ac instar gallinæ misericordiæ suæ alas expandit ad recipiendum & protegendum omnes qui ad eum recurrunt. Voluisti dulcis Iesu esse pauper & nudus in cruce, & omnino in ea extendebachia tua, ut significares, quod in nuditate & paupertate tua omnes recipias & amplexeris. O quantum solatium attulisset animæ meæ, spectaculum huius amoris plenissimæ susceptionis, & auditio doctrinæ illius, qua dilectissimas illas tuas turbas pascere cœpisti?

Considera cœlestem hunc Magistrum in medio turbarum supra mōtem quasi in Cathedra sedentem, & loquentem de regno Dei, ac sitim earum dulcissimis diuinæ sapientiæ aquis explentem. Tunc completa est prophetia, in qua DEVS loquens de copiosis aquis quibus sitibundas hominum mētes potare debebat, dixit. *Egeni & pauperes querūt aquas. & nō sunt, lingua eorum siti aruit: Ego Dominus exaudiā eos, Deus Israel, nō derelinquā eos. Aperiā in supinis collibus flumina, & in medio cœmporū fontes.* Verūm de quo regno ō benedicte IESU, locutus es ad turbas? nisi de illo abundā

tissi-

Matt. 23.

Esa. 58.

tissimo, & locupletissimo, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi, Regno, in quâ, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter? Atq;

id aliud nō erat, præter teipsum, in quo reconditi erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI, & in quo habitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. O quanti facere debebant felices hæ turbæ, quod Verbum vitæ,

humana carne indutum vidissent & audissent, sicut magni fecit Ap. post. Ioānes, cū scripsit: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, q̄ per speximus, & manus nostra contrectauerūt de Verbo vitæ.*

O turbæ benedictæ, meritò tūc poteratis dicere. *Bonū est nos hic esse.* nec enim solum audiebatis eum loquētem de regno Dei, sed ipsum regnum præsens erat intra vos. Ex aliqua parte obseruauerorum Christi efficaciam, vide pectus inflammatum, ex quo diuina illa & altissima arcana prodibant, quæ eorum cordibus inferebat. Quare mirum non est, turbam hanc, ob summam animi voluptatem, quam dilectus IESVS in eius cor instillabat, cibi corporalis oblitam totum diem sine fatigatione in illo audiendo consumpsisse. O anima mea si degustasses, quàm suavis sit Do-

Col. 2.

1. Ioan. 1.

Matth. 16.

mi-

44 MEDITAT. DE VITA  
minus, obliuiscere tu quoque cibi & po-  
tus, atque adeo tui ipsius, ad eum inse-  
quendum, & semper cum eo permanē-  
dum. Tunc amore eius accensa, procul-  
dubio diceres cum propheta. *Quid enim  
mihi est in caelo, & à te quid volui super  
terram? Deus cordis mei, & pars mea De-  
us in aeternum.* Gaude anima mea, quod  
Dominus tuus ita sit desideratus, &  
quæsitus, quod tot hominum millia in-  
desertis eum sequantur, & opta, vt mul-  
ti simili affectu & seruire eum quærant  
& omnium rerum creatarum amore ip-  
sius obliuiscantur. Nam Dominus hic  
non solum hac re, sed alijs multò præ-  
stantioribus dignissimus habendus est.

§. CONSIDERA, quomodo discipu-  
li, turba adhuc ad CHRISTI sermones  
suspensa & mente absorpta, inclinante  
iam die adierint eum, monuerintque  
vt ob loci solitudinem turbas tempe-  
stiuè dimitteret vt necessaria ad victum  
compararent. Probabile est bonos hos  
discipulos non iam tædio aut fastidio,  
sed misericordia populi, qui totum di-  
em ex itinere lassus ieiunarat, motos ad  
hoc officium præstandum erga Domi-  
num. Sed ô sancti Apostoli, cum vobis-  
cum esset magister ille, cuius diuina sa-  
pientia & potentia multis ex rebus erat  
pa-

patefacta, cur impulit vos ad abrumpe-  
 dum cœlestis colloquij filum, tempo-  
 ris, aut cibi corporalis penuria? Verebâ-  
 mini credo, considerata imbecillitate  
 turbarum illarum, ne tædio tandem ef-  
 fectæ à Christo abducerentur, vt doce-  
 retis superiores, omnesque animarum  
 gubernatores, ita partiri & dispensare  
 cibum exercitiorum spiritualium, vt si-  
 mul respiciant in fragilis naturæ nostræ  
 conditionem. Fœlix ille, qui in animū  
 suum inducere potest salubre illud Pro-  
 phetę consilium. *Laeta cogitatum tuum* *psal. 54.*  
*in Domino, & ipse te enutriet.* nec com-  
 moda, voluptatesque carnis sectatur;  
 talis enim per exercitia spiritalia ita con-  
 stans & solidus efficitur, vt non solum  
 tres dies, vt alias hic populus fecit, sed  
 in omnem vitam adhærescere pedibus  
 CHRISTI velit, eumque audire & con-  
 templari, abiecta omni cura sui, omni-  
 umque rerum huius mundi. Ex alia  
 parte Dominus etsi magna misericor-  
 dia populi moueretur, tamen sapientis-  
 sime ante exhibitionem miraculi prius  
 voluit ex discipulis cognoscere necessita-  
 tem populi, ne videretur ostentationis  
 causa miraculum illud patrasse: atque  
 eadem de causa nec respondit Apосто-  
 lis. Ego prospiciam illis de cibo, quod

## 46 MEDITAT. DE VITA

videbatur arrogantia. respondit autem humilis IESVS summa cum moderatione. *Nō habēt necesse ire, vos date illis māducare.* Verū q̄ hęc respōsio Domine? nihil enim respondes ad petitionem Apostolorū, qui existimārūt, tā difficile esse tātæ multitudini necessariū cibum ꝑcurare, vt ne ausi quidē fuerīnt à te simile postulare miraculū; iā autem, perinde atque si nō attēdises ad summam rei difficultatē, mandas illis, vt dent ad manducādum. Sed fecit id prudentissimus Iesus, non sine grandi mysterio: nempe, vt discipulis vltro confitentibus suam impotentia, & facti impossibilitē, magnitudo huius miraculi magis elucesceret, ipsique in fide diuinę eius potentia amplius confirmarentur. Iam cum discipuli, audito Magistri sui mandato, obstupescerēt, nec auderent, ꝑ reuerētia qua eum prosequēbantur, interpellare eū, vel contra quicquā opponere, IESVS, studio promouendi in fide vtrosque, & populum & discipulos, conuertens se ad Philippum, & quasi consiliū ab eo exposcēs dixit. *Vnde ememus panes, vt māducent hi?* Nūc, ō Domine, quoniam, vt homo, poscis consiliū alienum, respōsum quoq; tibi dabitur humanum: *Ducentorū denariorū panes, re-*  
spon-



spōdit Philippus, *non sufficiunt eis.* ō Philippe, cur non potius recurris ad largam & liberalem manum CHRISTI, q̄ ad ducētos denarios? *ad manū, inquā, quæ dat escā omni carni & implet omne animal benedictione?* Rectē autē monet Evangelium, Christū illud à Philippo percōtatum ad tentādā & p̄bādā eius fidē, & retēgendā eius imperfectionē, vt per miraculum postea corrigeretur. Expende dialogum inter Christū, & discipulos suos habitū: vide qua ratione Magister, vt se accommodet aliorum capui, discipuli personam assumit, exposcēs consiliū eorū, nominatim autē Philippi, qui cœteris videbatur minus capax, & in fide imbecillior, vt suo responso, difficultate operis magis declarata, omnes efficacius iuuarentur & corroborarentur. Vnde & Dominus eorum neminem arguit, vel de exigua fide, vel de pusillanimitate; licet enim responderent vt homines, tamen responsum eorum cum eius intentione & voluntate congruebat. Voluit quoque Apostolos intelligere & confiteri huius operis impossibilitatem; vt quoniam miraculum hoc per eorum manus effici debebat, non suæ virtuti, vti fortē fecisset superbus Iudas, sed diuinæ sui Magistri,

Psalm. 135.

C. 139.

stri, cuius ipsi Ministri erant, attribuerent.

6. DIXIT ergo Dominus. *Quot panes habetis?* iam tempus est, benedicte IESU, vt respōdeas. cū enim nullum auxilium humanum supersit, tu solus pro tua munifica clementia & caritate succurrere potes huic famelicæ multitudini: de te enim scriptum est. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno.* Petijt ergo Christus, quot panes haberent? vbi vides quomodo Dominus paulatim ex omni parte, tot quæstionibus corda Apostolorum feriebat; animosque eorū tentabat, vt vel scintillam confidentiæ ex eis excuteret, vel aliquo modo disponderet, vt minimum maiori promptitudine offerrent id quod poterant. Tunc bonus Andreas, eque ac Philippus quasi diffidens, respondit Domino, adesse quicquid panes hordeaceos, & duos pisces, *sed hæc*, subiunxit, *quid intersantos?* Satis promptè respondit Andreas, sed tandem suam quoque prodit imperfectionem in fide. Nihilominus benignissimus IESVS non redarguit eum, nec exiguam oblationem contempnit: nihil enim aliud Dominus requirit vel postulat à nobis, nisi vt modicum  
quod

*Psalm. 144.*

quod habemus, quantumuis vilis pretij, saltem promptè & bona voluntate sibi offeramus; nam ille, vt loquitur Apostolus, augebit incrementa frugum iustitiæ nostræ. Legimus Prophetam Helizæum in extrema illa fame, cum cibum posceret à pauperula vidua Sareptana, & illa promptè vnum solum pugillum farinæ, quem ad se, suumque filium vno die sustentandum habebat, offerret, paucillum illud farine ita multiplicasse, vt sufficeret non solum ad se, sed etiam ad totam familiam in diuturnum tempus sustentandam. Non secus Saluator pauculos panes à discipulis oblatos suscipiēs, ita eos multiplicauit, vt ad totā illam multitudinem reficiēdam sufficerent. Mandauit itaque ad se deferri paucos illos panes, turbamque ordine discumbere in terra. Vbi vide, quantum discipuli per diligentiam quam in exequendo Christi mandato demonstrabant, in fide profecerint. Vnde verisimile est eos, cum tam magnam fiduciam declararent in responsis suis ad verba illa Christi, *Afferte illos ad me*, interno conscientie stimulo reprehensos, cæpisse intra se opinionem maiorem de Christo formare, quasi magnum quid facturus esset, non absimile illi, quod

2. Cor. 9.

4. Reg. 4.

Ioan. 2.

30 **MEDITAT. DE VITA**

iam in nuptijs Canæ Galilææ fecerat: & ideo subito omni difficultate posthabita, dicto citius obederunt, & quicquid mandatum erat præstiterunt. Quo loco aduerte quoque admirabilem Saluatoris prouidentiam iubentis vt ceteri vel quinquageni separationi sederent, vt tum Apostolis, tum ab ipso populo facile iniri posset numerus omnium, qui si attingit in viris tantum, sine paruulis & mulieribus, numerum quinque millium, probabile est omnes simul, plus minus decem millium hominum numerum confecisse; vt cognita ab omnibus stupedi huius miraculi magnitudine, persuaderentur & conuincerentur, sicut & confessi sunt, Christum esse verum Prophetam missum in mundum.

*Ioan. 6.*

7 **ACCEPIT** ergo **IESVS** quinque panes & duos pisces gloriosis suis manibus, & quia magno munere donare, eximioque beneficio afficere volebat illum populum, eleuauit venerandum vultum suum & respexit in cœlum, vt intelligerent, omne bonum, & omne donum perfectum venire de cœlo à patre luminum. Utinam alicui oculos licuisset inflammata illa viscera penetrare, & videre quo sensu & deuotione misericordissimos suos oculos in cœlum sustu-

*Jacob. 1.*

stulerit, ad honorandum hoc actu Patrem suum cœlestem? à quo sciebat se per hoc ingēs miraculum glorificandū, Quare verisimile est, illum pūcto illo temporis omnia alia beneficia, nō præterita modo, verūm etiam futura in finem vsque vitæ ab eodem Patre recipienda, mente repetentem; ita paterna erga se bonitate accensū & in diuino amore inflāmatum fuisse, vt neq; hominū, neque angelorū lingua explicari vnquā potuerit. Subleuatis ergo oculis in cœlum IESVS, gratias egit. Considera hic nunc anima mea suauem & veracē magistrum, qui, postquam nos docuit ab æterno Patre petere quotidianum panē, ipse primus oculos in cœlū coniicit, vt pro nobis hunc panē postulet, & gratias agat omnium bonorum largitori, p beneficio hominibus præstito, atque id fecit, vt nos quoque in omnibus licet minimis beneficijs agnosceremus amabilem Dei prouidentiam, eo quod æquè in paruis atque in magnis beneficijs immēso amore puidet & succurrit omnib. necessitatibus nostris. Neque satis est benignissimo Deo nostro generalem tantum habere curam, & administrationē rerum creatarum, eas conseruando a sua natura; nisi in reb. quoque minutis

*Matth. 6.*

*Ibid.**Psal. 146.*

& pusillis à diuina sua manu & patrocinio omnino pendeamus; illa nimirum quæ vi infinitæ bonitatis suæ porrigit se, & ad camporum lilia, vt vestiatur illas; & ad celi volucres, vt eas pascat, imò ad coruorum pullos à parentibus desertos, vt cibum in os ingerat. Recognosce ergo tu quoque anima mea benignam Conditoris tui manum, quæ in qualibet necessitate tua tam sigillatim tibi succurrit, imò ipse in persona sua tibi seruit, & da operam vt oculo amoris & gratitudinis eas referas gratias; quas illi vnigenitus suus filius, vt tibi præberet exemplum, retulit. O quàm humile & terrenum est pectus eorum hominum, qui omnem spem defigunt in luto & cauernis terræ, & ideo habentes cor, vbi est ipsorum thesaurus, nunquam erigunt faciem suam in cælum, vt videant vnde omnia bona proueniant: haud secus, quàm faciunt animalia rationis expertia, quæ semper habent caput & os in terram depressum, vt vescantur arborum fructibus, nunquam autem oculos attollunt, vt videant vnde fructus illi delabantur. Ac idcirco mirum non est, eiusmodi homines, vti magnum benefactorem suum non agnoscunt, ita nec eum reuereri vel amare. De quibus

conquerens Deus per Prophetam, *Dent. 32.*  
 dixit. *Incrassatus est dilectus meus. & re-*  
*calcitrauit.* Et in alio loco. *Non dixerūt* *Hier. 3.*

*in corde suo, metuamus Dominum De-*  
*um nostrum, qui dat nobis pluuiam tem-*  
*poraneam & serotinam, plenitudinē an-*  
*norum messis custodientem nobis. Quan-*  
*to melius loquebatur Sanctus ille Patri*  
*archa, qui memor beneficiorum à Deo*  
*receptorum dicebat. Deus qui pascit me* *Gen. 48.*  
*ab adolescentia mea usq; in presentē diē.*

Tu ergo, qui spectali Dei beneficentia  
 abūdas multis bonis, atq; à Deo pascus  
 & ornatus es cōpluribus donis, quomo-  
 do non erūpes aliquando in voces lau-  
 dis & gratiarum actionis, in signum a-  
 nimi grati erga tantorum bonorum au-  
 ctorem? Certè si Dei filius, hæres & do-  
 minus totius vniuersitatis, tanto affe-  
 ctu gratias agit Patri tantum pro quin-  
 que panibus hordeaceis; quanto potius  
 nos eius creaturæ tam indignæ & mise-  
 rabiles continenter gratias reddere de-  
 bemus ipsi Deo, non voce duntaxat &  
 corde, sed multò magis grato aliquo ser-  
 uitio pro tot beneficijs, quib. omni ho-  
 ra ab illo cumulamur.

8. DOMINVS post gratias Patri actas,  
 benedicens panem, & frangens illum  
 cœpit distribuere discipulis suis, vt po-

nerent ante turbas. O liberalem & efficacem CHRISTI benedictionem: nam subito panes illi non solum in eius, sed Apostolorum quoque, & comedentium manibus multiplicari cœperunt. Fuerunt hi panes instar seminis, non virtute terræ, sed manuum, creatoris cœli & terræ multiplicati.

Quare mirum non fuit, eos suffecisse ad tantam multitudinem alendam: quicquid enim virtutis terra habet ad multiplicanda semina, & pascenda viuentia totius orbis, ab his ipsis manibus accepit. Considera hic ex vna parte, quanta misericordia & amore Saluator noster confregerit illos panes & pisces ad pascendas simplices turbas, - volens hoc actu repræsentare admirabile conuiuium illud, quod Dominus ipse continenter omnibus fidelibus suis apponit ex pane substantiali de cœlo delapso, & pisce sacræ suæ humanitatis, igne tanti amoris in ligno crucis asso, cibo verè copioso & abundante, quippe quo non solum cibati sunt homines in terra, sed omnes quoque Angeli aluntur in cœlo. Ex altera parte vide quanta promptitudine & sollicitudine sancti Apostoli in hoc pio ministerio se exercue-

ant.



runt, distribuendo cibum toti illi multitudini. Considera quoque turbas stupore attonitas, tum ex abundanti prouisione ciborum ipsis distributorum, tum ob insolitam, & suauissimū miraculosi panis, pisciumque saporem, nunquam ante degustatum, nescientes unde proficisceretur. At quid sibi vult ō benedictē IESV omnis liberalitatis fons, quod panem in frustra diuidas, & non potius, cū omnia tibi sint possibilia, vnicuique porrigis panem integrum? sed non caruit hoc mysterio. nam Dominus non voluit vnicuique omnia sua impartiri dona, sed vult vt inter omnes distribuantur. *Diuidēs singulis prout vult,* vt loquitur Apostolus. Non vult dare bona sua integra, non ex *1. Cor. 13.* auaritia, sed vt amplius illis proficiamus, relinquens semper occasionem aliquam, vnde humiliari possimus. Mādu carūt ergo omnes & saturati sunt. O manus benedictæ, quæ tali modo solantur defessos, & exsaturant fame laborantes. Manus verè Dei, quibus tam benignè omni nostræ inopiæ prouidit, non corporali solū, sed & spiritali, quæ multò illa maior est. Hæ nobis auxiliantur ad tentationes vincendas, ad ferendum pondus carnis, ad expugnand-

*Ose. 11.**Deut. 32.*

gnandas afflictiones mundi, & ad omnia pericula auertenda, ac denique, sicut ipse Dominus per Prophetam suum dixit, ille nutricis instar manibus suis nos dirigit, & in brachijs gestat, & sicut alibi scriptum est, instar aquilæ, quæ portat pullos in alis suis.

9. CVM turbæ comedissent, & saturatæ essent, mandauit CHRISTVS Apostolis, vt colligerent fragmenta superflua, quibus complerunt duodecim cophinos. Vide quàm diues & liberalis sit Dominus in sua misericordia; non est parcus, non nouit dare parum: sed velut ipse est magnificentissimus, sic dat & partitur dona sua abundantissimè. Verùm cur benigne IESVS noluisti fragmentorum reliquias cedere turbis, potuissent enim per illas tanti beneficij à te illis præstiti retinere memoriam. At Dominus id magna prudentia fecit, sciebat enim quàm hic populus adhuc carnalis esset. Vnde quia malebat, ad maius eorum bonum insculptam impressamque eorum mentibus remanere cibi spiritualis, doctrinæ videlicet suæ, memoriam, qua eos pauerat, quàm fragmenta panis materialis quo eos satiârat, idcirco noluit eos secum deferre has reliquias. Deinde

de

de etiam, ne præberet eis occasionem maiorem ingratitude: cognoscebat enim constantiam eorum non esse diurnam, ac proinde. vbi à conspectu suo abessent, non diu cōseruatuos hoc gratū & amabile mnemosynon. Quod etiā statim, apparuit: nam mox post hoc factum Dominus rursus instituens cum illis sermonem, & occasione panis materialis inuitans ad conuiuū panis cœlestis & spiritualis sacratissimæ carnis suæ, subito in eum obuersi cæperunt dicere. *Durus est hic sermo, & quis potest eū audire?* Quare, vt habet Euangelium, quidam cœperunt ab eo secedere & abire. De quibus rectissime dici potest, *Ad horam exultare voluerunt in luce eius.* Nam quamdiu præsentés erant CHRISTO, ab eo que pascebantur, declarabāt se gaudio & consolatione plenos: sed quæprimū ab eo recesserunt, languescere cœpit eorum feruor, & instar mobilium aquarum, huc illucque dilapsi sunt, dixeruntque alij illum esse bonum, alij non esse, sed seducere turbas. *Vult* denique Dominus suos Apostolos & non turbas seruare miraculosi illius panis reliquias: @ nam cū futuri fuerint Magistri totius mundi, congruebat quoque vt alijs essent instructiores, suę

Ioan. 6.

Ioann. 9.

Mat. 7.

58      **MEDITAT. DE VITÆ**

que diuinæ potentiaë, operumque ad-  
 mirabilium memoriam conseruarent:  
 idque, vt asserere possent se non so-  
 lum vidisse, audisse, manibusque  
 contrectasse Verbum incarnatum, sed  
 etiam degustasse res miraculosas, quas  
 manibus suis effecisset. Vnde ob hunc  
 ipsum finem voluit Dominus his frag-  
 mentis impleri duodecim sportas, se-  
 cundum Apostolorum numerum, nul-  
 lus vt esset, qui non secum tolleret hu-  
 jus miraculosi facti memoriã. O anima  
 mea, vtinam tu quoque meruisses mis-  
 ceri illi turbæ ad obtinendum vnum hu-  
 ius miraculosi panis frustulum, ipsis  
 filij Dei manibus cõtrectatum & bene-  
 dictum: quantam voluptatem gustus  
 tuus inde cœpisset? & tamen cogitare  
 debes seruos Dei, in pane longè magis  
 duro & arido, non minorem sentire vo-  
 luptatem & dulcedinẽ, quia ibi simul  
 reperitur ipsius CHRISTI benedi-  
 ctionem. Si enim benedictio Helizæi  
 tam efficax fuit, vt modica farina po-  
 tuerit illarum mortiferarum herbarum  
 amaritudinem in dulcedinem con-  
 uertere, & exiguo sale aquas pessimas  
 & terram sterilem sanare, quanto ma-  
 ior fuerit vis benedictionis CHRIS-  
 TI, vt non solum victus paupertate-  
 tem,

*1. Ioan. 1.*

*4. Reg. 2.*

*Cap. 4.*

tem, verumetiam omnes asperitates  
 & incommoda, quæ in seruitio eius  
 perferuntur in dulcedinem quandam  
 conuertere possit. iam verò anima  
 mea, quia non meruisti interesse tam  
 nobili conuiuio, & delibare panem sa-  
 cratis illis manibus benedictum, sis  
 hac vice contenta hoc alio pane Euan-  
 gelicæ doctrinæ, qui in tuam salutem &  
 folatium cum tui ipsius Domini bene-  
 dictione tibi est relictus: nam si ca-  
 tellis satis est vesci de micis quæ ca-  
 dunt ex mensa dominorum suorum,  
 tu certè multò foeliciorem te potes re-  
 putare, quippe qui fruaris cibo plus sapi-  
 do, quàm vnquam possit degustari  
 à filiis, eoque magis, quo sapius, imò  
 omni hora potes te eo explere. Ca-  
 ue autem ne fragmenta huius bene-  
 dicti panis pereant, sed collige illa de-  
 uotè in tui cordis sinum, quandoqui-  
 dem aliud non sunt quàm dulces spi-  
 ritus sancti impulsus, qui mentibus  
 nostris sancta desideria, & effica-  
 cia proposita currendi in odorem  
 nostri cœlestis sponsi, inspirat, imitan-  
 do eius sancta exempla, & diuinas virtu-  
 tes. Quare ex hoc abundanti conuiuio  
 poteris colligere primò ex parte ipsius  
 CHRISTI teneram commiseratio-

*Matt. 6.**Cant. 5.*

60. **MEDITAT. DE VITA**

nem erga aliorum ærumnas, ardentem  
 zelum de salute animarum, & dulcem  
 benignitatem aduersus afflictos & defa-  
 tigatos. Deinde ex parte sanctorum A-  
 postolorum poteris colligere promptam  
 & cœcā obedientiam in exequendis  
 superiorum præceptis, & piā sollicitu-  
 dinem in iuuandis proximis in eorum  
 necessitatibus. Denique ex parte quoq;  
 turbarum, poteris colligere fragmentū  
 aliquod virtutum, vt in sequendo Chri-  
 sto perseverantiam, in audiendo diuino  
 verbo deuotionem, omnem tui curam,  
 quod illæ fecerunt, in manus diuinæ  
 prouidentię resignando, eiusque cul-  
 tum & amorem omnibus huius sæculi  
 rebus anteponendo.

**COLLOQVIVM.**

**O**RABIS CHRISTVM Do-  
 minum, vt sicut oculis subleua-  
 tis in turbas, earum misertus est, &  
 faciens sedere supra fœnum, quinque  
 panibus & duobus piscibus refecit;  
 sic tibi largiatur gratiam, vt oculis à  
 delitijs & bonis sæculi huius sublatis,  
 eos erigas versus ipsum, tuum Crea-  
 torem, & couulcato sceno voluptatum  
 carnalium, passionum inordinatarum,  
 & glo-

& gloriæ ambitionisque mundi, merearis in hac vita refici pane doloris tuorum peccatorum, & pisce affo diuini sui amoris; in altera verò cum ipso affideas mensæ cælesti, in qua ipse Minister factus & cibus electorū suorum, te pascet satura tate sempiterna.

## DOCUMENTA.

1. **Q**UATVOR beneficijs afficiebas CHRISTVS suos sectatores. Primò de via fessos recipiebat. Secundò rudes instituebat. Tertio agros curabat. Quarto fame pressos pascebat. Sic bonus Prælatus gerere se debet erga suos subditos: ut primò humaniter suscipiat ad se confugientes. Secundò sapienter instruat ignorantes & errori obnoxios. Tertio efficaciter sanet in spiritu infirmos. Quarto, verbo Dei oves suas spiritualiter pascat, atq; etiam corporaliter reficiat ex bonis superfluis, qua in hunc finem Ecclesia ei attribuit.

2. **A**POSTOLI licet numero essent duodecim, tamen tantum quinq; panes hordeaceos & duos pisces secum tulerūt, quia, cum continenter refectioe spirituali à Domino recrearentur, non admodum solliciti erant de corporali. Longè aliter multi, etiam ex ijs qui professionē faciūt

sequendi Christum, agunt, nam uti per negligētiam & teporem animi exiguum gustum habent rerum spiritualium, ita toti dediti sunt tātum procurandis commodis & delitijs temporalibus.

3. **CHRISTVS** accepto pane ad pascēdas turbas primo gratias egit Patri, in formās nos, ut ante refectionem corporalem Domino gratias agamus. Vnde valde cōueniens est, ut exēplo **CHRISTI** Domini nostri antequam mense accūbamur, vel cibum sumamus, illum benedicamus, & postea gratias agamus Deo, à quo hoc & alia omnia beneficia habemus.

4. **CHRISTVS** acceptos panes & pisces dedit discipulis suis distribuendos in turbas: ut indicaret, bona temporalia à Deo Prelatis & Pastoribus Ecclesie, Apostolorum successoribus data, eo sine data esse, ut distribuerentur in pauperes, Vnde proprium eorum officium est ministrare & cibum prabere subditis, non autem ministrari, & pascere semet ipsos, conuenienter illi quod de se **CHRISTVS** dixit. Non veni ministrari sed ministrare,

*Exech 34.  
Matth. 20.*

5. Postquam turba satiata sunt implērunt Apostoli ex collectis reliquijs duodecim sportas; quod erat multo amplius quinque panibus distributis Quare Do-



minus significare voluit, quàm magna  
& copiosa merces operib. caritatis in pro-  
ximos prastitis repēdatur, quodq; nostra  
bona tēporalia, quando ea cōmunia faci-  
mus pauperibus, non imminuantur, sed  
crescant potius & multiplicentur.

6. Locus in quo CHRISTVS tam I. Cor. 3.  
copiosè refecit turbas, ut loquitur Euan-  
gelium, erat desertus, & longe remotus à  
locis inhabitatis: ut ex hoc miraculo  
serui Dei discant non despondere animū,  
cum se vident penuria pressos, sed confi-  
dere in Deo, qui possit etiam in loco, ubi  
nec seminatur, nec metitur, seruos suos pa-  
scere, & omnibus rebus necessarijs locu-  
pletare.

7. Euangelium habet in hoc conuiuio  
fuisse quinque millia virorum, non facta  
mētione mulierum & paruulorum. Quo Psal. 32.  
indicare voluit Spiritus sanctus, si cupia-  
mus gustare quam suavis sit Dominus,  
& diuinis suis delitijs pasci, opus esse ut  
prastemus nos viros, hoc est, fortes contra  
tentationes & afflictiones huius vitas,  
non delicatos aut molles, ut sunt mulie-  
res & paruuli.

8. Illi quoq; qui refici volunt pane gratie  
spiritualis, & dignè adire mēsam Domi-  
ni, considerare debent cum his turbis in fa-  
no, id est, corpori suo dominari & carnem  
suam

64 **MEDITAT. DE VITA**  
suã per fœnum significatam, iuxta illud:  
**Isa. 40.** Omnis caro fœnum, mortificare, depri-  
mendo illam & spiritui subijciendo.

**9.** **CHRISTVS** animaduertens tur-  
bas ob hoc miraculum se velle facere re-  
gem aufugit, præbens nobis humilitatis  
exemplũ, quemadmodũ suscipere debeat  
labores & onera, fugere autem di-  
gnitates & honores: sicut ipse quaesitus ad  
passionem & mortem, voluntarie obtulit  
seipsum, sed quaesitus ad regnum & hono-  
res effugit. Voluit quoque fugere post per-  
actum opus tam miraculosum, ad infor-  
mandum nos suo exemplo, ut in bonis  
operibus fugiamus vanam gloriam, &  
favorem humanũ sicut alibi sepius ver-  
bis docuerat.

**Joan. 18.**

**10.** **CHRISTVS** discipulis nauẽ ingressis,  
conscendit montem, & in eo solus orauit,  
ad docendum nos, ut post editum præcla-  
rũ aliquod opus à turba recedamus, &  
nostri ipsorũ cõsiderationẽ ingrediamur,  
examinantes errata & defectus, quos in  
conuersatione hominum commisimus.

**11.** **CHRISTVS** non solũ declinavit tur-  
bas, quæ eum volebant facere regem, sed  
etiã se separauit ab Apostolis, & solus se  
in montem recepit, ut turba, quæ Apo-  
stolos sequebatur, eum inter illos inuenire nõ  
posset. Quare voluit nos instruere, non so-

nam non ambiendos esse à nobis honores,  
 & oblatos repudiandos, sed etiam omnes  
 occasiones remouendas, ob quas compelli  
 possimus ad eos recipiendos: neq; facere,  
 quod faciunt multi, qui professione reli-  
 giosi, declarant quidem, vel fingunt se nec  
 velle, nec querere dignitates; tamen non  
 fugiunt occasiones, imò sollicitè querunt,  
 & vltro se ingerunt. Et ubi oblata fue-  
 rint officia vel dignitates, promptissimè  
 accurrunt, & manibus pedibusq; cū gra-  
 tiarum actione pro summo beneficio acce-  
 ptant.



# DE AMBUL- LATIONE CHRISTI SUPER AQUAS.

## MEDITATIO III.

### EVANGELIUM.

**I**ESVS compulit discipulos suos Matth. 14.  
 Marc. 6.  
 Ioan. 6.  
 ascendere in nauiculam, vt præ-  
 cederent eum trans fretum ad Beth-  
 saidam, donec ipse dimitteret tur-  
 bas. Vt autem sero factum est, erat  
 nauis

navis in medio mari, & ipse solus in terra. Mare autem, magno vento flante, exurgebat, & nauicula in medio mari iactabatur fluctibus. Et videns **I E S V S** eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis) circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & videntes Iesum ambulantem supra mare, & proximum nauiferi, volentemque eos præterire, putauerunt phantasma esse, & timuerunt, & turbati sunt clamantes. Statimque Iesus locutus est cum eis, & dixit eis. Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit illi: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait. Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam; videns verò ventum validum, timuit, & cum cæpisset mergi, clamauit dicens, domine saluum me fac. Et continuo extendens **I E S V S** manum, apprehendit eum, & ait illi, modicæ fidei, quare dubitasti? Et ascendit ad illos

CHRISTI PARS II. 67

Ios in nauim, & cum ascendisset nauim, cessauit vêtus, de quo discipuli multo magis stupebant, & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant.

PROPHETIÆ.

1. **Q**VI extēdit calos solus, & graditur Iob. 9.  
super fluctus maris.

2. In mari via tua, et semita tua in aquis Psal. 76.  
multis & vestigia tua non cognoscentur.

3. Noli timere, quia meus est tu, cum Esa. 34.  
transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.

CONSIDERATIONES.

**C**VM Dominus post satiatis turbas ascendisset in montem orationis causa, discipuli, qui iussu illius nauigio mare Tyberiadis traiciebant, contrarijs ventis exagitati & afflictati fuerunt. Vbi considera, post ascensionem CHRISTI Domini nostri in montem altissimum cælorum, cum sancti Apostoli ordine suo ad prædicandum & propagandum Euangelium percurrerent vniuersum orbem terrarum, cæpisse exoriri furiosos vêtos, turbari mundum, excitarique horribiles persecutionum & hæ-

& hærësum contra hanc S. Ecclesiæ nau-  
 niculam tempestates. Itaque labores, &  
 ventorum pugnæ, quas hac nauigatione  
 discipuli passi sunt, non aliud præsi-  
 gnificabant, quàm afflictiones & ad-  
 uersitates varias quas patitur Ecclesia,  
 dum inter frementes huius sæculi vn-  
 das, & spirituum immundorum tenta-  
 tiones contendit ad tranquillum se-  
 curumque patriæ cælestis portum per-  
 uenire. Rectissimè autem dicit Euange-  
 lium, discipulorum nauiculam fuisse  
 in medio mari, IESVM verò solum in  
 terra: nam sæpe Ecclesia sancta persecu-  
 tionum furore ita diuexata fuit & op-  
 pressa; vt videretur, si fieri potuisset, à  
 Redemptore suo deserta omninò; cu-  
 ius, (vt scriptum est) erant illæ lugubres  
 voces, & miserabiles gemitus, quibus  
 inter vndas tentationû & tempestates  
 diuinam protectionem implorabat, di-  
 cens. *Vt quid Domine recessisti lögè, despi-  
 cis in opportunitatibus, in tribulatione?*  
 Verû benignissimus Saluator noster,  
 de quo scriptû est, quod non obliuiscat-  
 tur clamorem pauperum, nec vnquam  
 auertat faciem suam à sperantibus in  
 se, semper præsto est ad iuuandum eos  
 qui conligunt; & victores corona æter-  
 na impertit. Licet enim ille nunc degat  
 in fe-

*Psal. 9.*

*Psal. 21.*

in felici terra viventium, nihilominus videt accuratissimè eos qui sui amore aliquid patiuntur: & non solum videt, verùm etiam interpellat pro illis, & auxilium suppeditat, & gratia sua corroborat, vt ne in huius vitæ tribulationibus deficiant. Quare poterit quidè hæc Apostolica nauicula agitari conturbatique, sed nunquam submergi poterit, donec sub finem mundi veniat **D O M I N V S**, qui solus furorem vndarum coercere, & ab omni tempestate liberare nos potest.

7. **C O N S I D E R A** stupendum illud miraculum, quod Dominus fecit ad patefaciendam mūdo suam diuinitatem, tam exiguo cibo tot millia hominum alendo, ita permouisse animos populi, vt non aliud iam cogitarent, quam illum esse magnum illum Prophetam in lege promissum, nam dixerūt. *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Sed Apostoli, per quorum manus hoc miraculum Dominus patrauerat, non admodum ea de re laborarunt, nec magnoperè aut commoti, aut admirati videntur, cum nihil de eis referatur. Vnde Saluator volens illos quoque promouere in fide, eisque suam diuinam virtutem ma-  
nife-

nifestare, solus remanens in terra, mandauit, imò compulit eos ingredi nauem & mare transmittere Rectè autem dicit, quod eos compulerit: verisimile enim est discipulos ægiè ab amabili Magistro suo fuisse diuulsos; optabant enim illum secum esse, cum alias, tum imprimis in periculis nauigationis: in qua, si alias tanto timore concussi sunt, cum secum **CHRISTVM** in nauis haberent quanto magis iam trepidârunt, dum sine ipso nauigare coguntur. Gustârunt Apostoli doctrinæ Christi dulcedinem, & pariter vna cum turbis miraculoso suauissimoque pane refecterant, & ideo velut infirmi & adhuc infantuli in fide optabant semper pauci, & cum ipso versari, vt nullam afflictionem experirentur, periculaque nauigationum effugerent. Sed Dominus volens eos ad maiora promouere, & instituere ad perferendas fortiter omnes calamitates, atque vt in periculis suis discerent ad se confugere; sciens se non modo præsentem, verùm etiam absentem posse & velle illis succurrere, permisit vt nunc in medio maris, & nocturnis tenebris, à ventis contrarijs, & tempestatibus afflētarentur. **Confidera,**



sidera, quid fecerint vel dixerint eo tem-  
 pore afflicti discipuli, oberrabant in illa  
 caligine noctis nescij quo feriētur, labo-  
 rabant omnibus viribus procedere lon-  
 gius, & vi ventorum & vndarum reie-  
 cti labebantur retrò, expertes erant con-  
 silij, quo confugerent ignorabant, lon-  
 gè enim ab eis aberat, qui solus poterat  
 ferre opem. O quoties, mirabilium  
 operum à Domino patratorum me-  
 mores, ac sigillatim quomodo in si-  
 mili periculo alias ab eo fuerint erepti,  
 intra se dixerant: Vbi nunc est Magister  
 noster? cum verò meminissent, se ex  
 obedientia illius hoc iter suscepisse, vi-  
 derenturque sibi ab illo, nō secus quàm  
 si præsens esset, reprehendi, vt alias fece-  
 rat illis verbis, Cur timetis modicæ si- *Matth. 8.*  
 dei? collegerunt animum, viresque *ibid. 16.*  
 duplicârunt, confidentes se virtute sui  
 Magistri omnem difficultatem supera-  
 turos, & ad locum ab eo destinatum ap-  
 pulsuros

3. N V N C age anima mea conside-  
 ra nos omnes esse nauigantes, inque  
 eodem mari versari, in quo illi disci-  
 puli nauigabant. Quid enim designat  
 hoc mare, nisi cursum mortalis vitæ  
 nostræ? nisi stadium, de quo Apostolus  
 scri-

**2. Cor. 6.**

scribit. *Omnes quidem in stadio currunt; sed unus accipit brauium.* Laboriosum,

**Iob. 7.**

plenumque periculis est mare: vita quoque nostra non est aliud, quam cōtinuus labor, & pugna, secundum illud

**Iac. 4.**

**IOB.** *Militia est vita hominis super terram.* Venti contrarij nauigationis nostræ in hoc mari dominantes sunt concupiscentiæ nostræ, & inordinata desideria, de quibus dixit sanctus Iacobus,

*Quæ sigillatim sunt tres. Prima est diuitiarum, altera voluptatum, tertia honorum & dignitatum huius mundi.* O quot hodie reperiuntur, quibus hi venti nullo modo videntur contrarij, imò propitij & fauorabiles, & ideò vela sua expandunt, & sinunt se regi & duci ab illis.

Verùm heu homines infelices, qui neque sciunt, neque considerant ad quem portum & scopum ferantur.

Tres siquidem sunt scopuli periculosi huius maris, ad quos naues omnes his ventis impulsæ alliduntur & diffractæ pereunt.

**3. IOAN. 2.**

De his scopulis locutus Apostolus & Euangelista Ioannes scripsit, *Omne quod est in Mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia*

*vita, Ad primum scopulum concupiscentia-*

ſcientiæ carnis pereunt omnes, qui vo-  
 lluptatibus & illecebris carnalibus ob-  
 ſequuntur, de quibus ſcriptum eſt.  
*Tenent tympanum & cytharam, & gau- Iob. 21.*  
*dent ad ſonum organi, ducunt in bonis*  
*dies ſuos, & in puncto ad inferna deſ. en-*  
*dunt.* Ad alterum ſcopulum concupi-  
 ſcentiæ oculorum naufragium faciunt,  
 amatores opum, aliorumq; bonorum  
 terrenorum, iuxta illud Apoſtoli, *Qui 1. Tim. 6.*  
*volunt diuites fieri, incidunt in tentatio-*  
*nem & laqueum diaboli, & deſideria*  
*multa inutilia & nociua, qua mergunt*  
*homines in interitum & perditionem.* Ad  
 tertium ſcopulum ſuperbiæ vitæ, ſub-  
 merguntur ambitioſi, cupidiq; hono-  
 rum & dignitatum mundanarum, cõ-  
 uenienter ſententiæ ſapientis. *Initium Eccleſ. 10.*  
*omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit*  
*illam implebitur maledictis, & ſubuer-*  
*ſet eum in finem.* O quàm facilè, imò  
 quàm ſuauiſſimè decurritur ad mortem  
 & perditionem, ſi homo non benè a-  
 periat oculos; aut non conſideret quo  
 loco figat pedes, quoq; vento nau-  
 get: num à Spiritu DEI, an verò po-  
 tius mundi aut carnis Spiritu ducatur  
 & impellatur. Non eſt, ò cæci morta-  
 les via bona ad portum ſalutis ducens,  
 permittere ſe vndis & ventis huius

D

mun-

mundi impellendum & dirigendum: Bona via est, quam tenuerunt Apostoli sancti, qui cursum suam contra vndas, ventosque maris sunt profecuti. Euangelium ait Dominum stetisse, & vidisse discipulos in remigando laborantes. Mirum non est discipulos tam fuisse ad laborem promptos, nam ab oculis Domini in se coniectis, interius confortabantur & animabantur. Non respicit Iesus eos qui suauiter viuunt, qui labores fugiunt, qui manibus stant complicatis, sinuntque se nunc huc, nunc illuc, quo vetus impulerit, iactari; illos vero respicit dominus, qui sibi ipsi imperantes prauis inclinationibus resistunt, perturbationes animi refrenant, tentationes repellunt, & feruore spiritus subiiciendo carnem, mortificant omnia peruersa desideria. O quanta consolatione & gaudio perfunditur anima, quam leuis & suavis ei videtur labor, quando inter varias tentationes & tribulationes, quibus affligitur, illi occurrit, oculos clementissimi Patris misericordiarum in se esse intentos, videre de caelo labores suos, audire preces, delectari bonis suis operibus, parare illi coronam si cum patientia in perferendis afflictionibus victrix in fine perseueret.

4. **VIDENS** Iesus suos discipulos laborare in remigando, sub finem noctis abiit quæsitum illos. Considera, quantoperè Dominus Ecclesiam suam diligit, & nos omnes fideles, per hos discipulos præfiguratos. Quãuis enim nunc gloriosus & triumphans regnet in cælis, nihilominus vides, quàm sollicitus sit, quam serio vigilet pro salute nostra: Mandârat quidem discipulis, vt ingrederentur mare sine se, sed ipse interea pro illis orationi vacabat: illi laborabant & afflictabantur ob ventos contrarios, at **CHRISTVS** clementib, oculis suis in eos coniectis, aspectu suo eos confortabat & ad laborem animabat. Postea, cùm discipuli vi ventorum superati nihil amplius proficerent, **CHRISTVS** ipse in viam se dat, vt auxiliatrices manus eis porrigat. Sed quid sibi vult, benedicte **IESV**, vt cùm statueris eis auxilium præbere & solatium, modo insolito eis appareas, & timorem nouo terrore cumules, si illa ratione putabas iuuandos, cur fingis te eos velle præterire, & deferere, atque si alia de causa venisses, nec periculi ipsorum yllam rationem haberes? O dulcis amator hominum, quis tandem tua consilia intelligat,

quis comprehendat tot vias & modos, quibus tuos ad te soles attrahere? ut eos probes & in virtute promoueas, ut gratiam meritumque eorum augeas, ac denique ad felicissimum æternæ beatitudinis finem perducas? Poterat quidem Dominus, cum discipulis navigationem imperasset, ventum propitium largiri, ut sceleriter transmitterent mare: sed forte beneficium illud potius temporis conditioni, quam diuinæ CHRISTI virtuti attribuisset. Voluit igitur Dominus discipulos aduersis agitari ventis, ut probarent quantum suis viribus possent: voluit eos totam noctem laborare, nec tamen progredi ob præualescentes ventos longius, ut perspicue cognoscerent, se suis viribus, sine auxilio CHRISTI nihil efficere potuisse. Voluit denique eos perterrefacere illo viso, ut quoniam ipsi existimabant esse phantasma, aut malignum Spiritum, volentem eos submergere, consilio auxilioque destituti, suis viribus diffisi, ac metu consternati, inciperent, uti fecerunt, clamare, & diuinum inuocare auxilium; & ideo CHRISTVS, tunc illos allocutus est, tunc se agnoscendum præbuit, & verbis amore plenissimis dixit. *Nolite timere, ego sum,*  
*quali*

quasi diceret, Ego sum vester dilectus Magister, Saluator vester, vester Deus, qui verè sum, & à quo omnia alia suum esse habent. Non dubium, quin hoc responso mirificè consolati sint afflicti discipuli, eorumque cordi valde turbato serenissima quædam lux oborta sit, dum vident bonum suum Magistrum præsentem, à quo ante tam ægrè, præfagientes hunc navigationis euentum, diuulsi fuerant. Et verò nunc longè clarius cœperunt Saluatoris diuinitatem cognoscere, atq; in fine crescere, vt viderunt eum cum tâta potestate ambulare super mare, & vêtis imperare. Tunc simul in eis creuit confidentia, quam iam illi solo fixam habere debebant: nam & absens eorū necessitates peruidebat, & potens erat, ab omnibus periculis eos vindicare. Tunc deniq; in diuino amore magis accensi sunt, videntes, quântam ipsorum curâ haberet, & quanta benignitate aduenisset ad succurrendū illis.

5. CONSIDERA nunc anima mea, & disce ab his sanctis discipulis, si velis nauigare in turbulento mari huius mundi, vbi firmare debeas spei tuæ anchoram, non iam in mundo & creaturis, sed in solo CHRISTO tuo creatore, vnica spe & refugio omniū nostrarū

## 78 MEDITAT. DE VITA

necessitatū & ærumnarum. Hæc confidentia effecit, vt discipuli securè ascenderent mare, nixi solo verbo CHRISTI magistri sui. Hæc fecit, vt tota nocte laborarent & contra ventum nauigarent. Hæc animum illis addidit, & licet frustra se fatigarent, cōstantes reddidit, donec tandem à Domino adiuuarentur, & plenè consolarentur. *Benedictus vir*, inquit Propheta, *qui confidit in Domino*. Erit tanquā lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, ac radices suas ad capiēdum humorem ex illis extendet. non timebit tempore æstus, folia eius non defluent, & tempore siccitatis non erit sollicitus, fructum quoque suum dare nunquam desistet. Erant certè hi sancti discipuli per manus Domini sicut nouellæ oliuarum ex sterili & infructuoso mūdo in hortum suæ sanctæ societatis foelicissimum transplātati. Quæ verò aliæ aquæ hunc hortum irrigabant, nisi CHRISTVS IESVS. de quo scriptum est. *Ego quasi trames aquæ immensa de fluuio, ego quasi fluuius Dorix, & sicut aqua ductus exini de paradiso*: Hæc sunt aquæ, vt scriptum est, sapientiæ salutaris, qua Dominus irrigabit & potabit suos electos. Et benè dicit,

*Jerem 17.*

*Psal. 1.*

*Eccl. 24.*

*Eccl. 11.*

cit,



cit, exisse de paradiso, quia exiit è sinu Patris, & descendit de cœlo in terram. Vnde mirum non est, discipulos, cum spei suæ radices fixas habuerint apud has viuas & salutiferas aquas, tam securos fuisse in tempestate, & inter pugnantes ventos fructum tantæ patientiæ produxisse: nam in omnibus tribulationibus & tentationibus, quas passi sunt in societate CHRISTI, semper manserunt constantes & fideles usque in finem. Ex altera parte, (vti idem Propheta dicit) *Maledictus homo Isr. 17. qui confidit in homine, & ponit carnem brachium, & perfugium suum; ac cor suum recedit à Domino. Erit enim tæquã myrica in deserto, non videbit dies bonos, non rore vel pluvia cœlesti gaudebit, sed semper erit in siccitate in deserto, in terra falsuginis & inhabitabili* O miselices vos, qui nitimini arundine fragili, & in hominum fauore spem defigitis, qui sæpe mutantur, vel morte cum omni spe vestra è medio tolluntur. Vos, qui spem vestram collocatis in multitudine opum, quæ facillè deficiunt, & sæpe carie & ærugine consumuntur. Vos qui confiditis in magna vestra potentia; vel multa sapientia quæ omnia tempore vindictæ, nihil poterunt

80 **MEDITAT. DE VITA**

Iac. 4.

terunt vobis prodesse, vel à malo liberare. Arbores verè infelices, in huius mundi deserto plantatæ sine villo consolationum & gratiarum cælestium humore, sine verè & solida spei viriditate, & sine villo bonorū operū fructu, sed sēper sicca & sitibundæ, sollicitudinis, timoris, & infinitæ amaritudinis plenæ. O quàm verè id deplorabat **DĒVS** per Prophetā illis verbis. *Dereliquerunt me fontē aqua viua, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere nō valent aquam.* Heu quanta est hominū cæcitas, quare tātoperè cōfiditis in creaturis? quæ aliud non sunt quā cisternæ dissipatæ, quæ neque cōtinent salutis aquam nec alijs præbere possunt? & non potius confiditis vestro Creatori, vestro Deo, omnium bonorum & salutis fonti, Deo tam bono & potenti, Deo qui tantoperè nos amat, imò qui tot modis se obligat ad amandum nos & iuandum, quippe cū tanto pretio nos redemerit, & velut mater tanto dolore parturierit?

Ier. 2.

6. **CONSIDERA**, quomodo Petrus, vt in omnibus alijs occasionibus, sic in hac quoque demonstrārit suæ fidei ardorem, & in **CHRISTVM** amorem, vt primū enim eum cognouit,  
 ci dicit

ei dixit, Domine, si tu sis, iube me veni- *Matth. 16.*  
 re ad te super aquas. O fides digna illa  
 solidissima petra, supra quam Christus  
 erat fundaturus suam Ecclesiam, Nam,  
 de aliis discipulis refert Euangelium,  
 eos obstupuisse, cum viderēt Christum  
 ambulans super aquas, & compesce-  
 re ventos; vt qui nō dum perfectam di-  
 uinitatis suæ notitiam haberent. At Pe-  
 trus longè sublimius sentiēs de CHRIS-  
 TŌ, hac petitione non solum declara-  
 uit, non se admiratum CHRISTVM  
 habuisse potestatem ambulandi super  
 aquas, verū etiam credidit ipsum lo-  
 lo verbi sui imperio eādem potestatem  
 posse conferre alijs. Demonstravit ad-  
 hęc Petrus hoc facto ardentem suam ca-  
 ritem; quia ne expectare quidem tan-  
 tis per potuit, donec Christus ad se ve-  
 niret, sed diuinæ præsentiaē cupidissi-  
 mus, mox optauit modo illo insolito  
 ad eum peruenire. Nō dubium, Petrum  
 quando primū cum discipulis ingres-  
 sus est nauem, ægrè diuulsum fuisse à  
 Christo, cum nūc tanto desiderio aspi-  
 ret ad illum. O anima mea, vtinam tu  
 quoq; cum Petro, gustasses, quā sua-  
 uis sit Dominus, & quā bonū sit esse  
 cū Christo: nec enim timeres amplius,  
 vel aquas, vel ventos, vel tribulationes,

vel crucem. vt posses cito cōiungi, cum  
 CHRISTO, Demonstrauit ergo PE-  
 TRVS promptitudinem spiritus, sed  
 mox successit infirmitas carnis, dum  
 incipit timere ne submergatur, qua  
 quantum fidei ardor & caritas illum  
 erexerat & sustinuerat super aquas, tan-  
 tum illa demiserat & in aquas depres-  
 serat. *Ego dixi in abundantia mea, (aiebat  
 quidam) non mouebor in aeternum, auer-  
 tisti faciem tuā à me, & factus sum con-  
 turbatus.* O quā prosperè nauigamus,  
 quando ventus consolationum & pro-  
 speritatum afflat in puppi: sed quando  
 mare incipit turbari, & tentationū vēti  
 afflant contra nos, mox timore corte-  
 pti, ne submergamur, clamamus vnā  
 eū Petro, *Domine salua nos.* Et tunc be-  
 nignissimus IESVS, qui non potest suo-  
 rum obliuisci, vel oculos ab eis auerte-  
 re, non deest in porrigendo auxilio, se-  
 dando tempestates, & infirmitates no-  
 stras sanando. Planè videtur hæc Petri  
 actio fuisse figura eius, quod illi postea  
 euenit in Christi passione. Nā tunc prō-  
 ptè ambulauit super aquas, quādo ver-  
 ba illa intrepidè protulit. *Et somnes fue-  
 rint scādaliſati in te, ego nūquā scādali-  
 zabor.* Tūc verò timuit vehementiam  
 flantis venti, quādo capto Christo vna  
 cum

*Psal. 29.*

*Matth. 26.*

cū cæteris Apostolis aufugit: tunc submergi cæpit in aquis, quando ter eū negavit, tunc conuertit se ad Christū poscens auxiliū, quando lapsū suū amare defleuit. Tunc deniq; manu Christi ap-  
*Ibid.*  
 prehensus, & extractus fuit ex aquis, quando à morte resurgens nominatim voluit Petrum certiozem reddi de sua resurrectione, atque etiam sigillatim ei apparendo plenè consolatus est.

7. CONSIDERA deniq; quanta cō-  
*Luc. 24.*  
 solatione dominus dilectos suos discipulos affecerit, quādo, postquā eos tam manifestis sue diuinitatis signis in fide confirmasset, & metu ventorū, marisq; periculo liberasset, dignatus est ingredi eorū nauiculā, seq; medium, tanquā bonum pastorem inter errabundas ouiculas collocare; vbi in præmium laborum eos quiescere iussit, ipseq; nauicularij officium in se sumpsit, nauiculāque in alto adhuc hærentem mari, vno momento ad littus applicuit. Iam si tāta fuit discipulorum consolatio ex præsentia corporali sui desiderati magistrī secuta; quæ consolatio, quæ pax, quæ lætitia erit eius animæ, quam post intimum de suis peccatis dolorem, post desolationis tenebras, & tentationum tempestates, benedictus IESVS, qui

84. **MEDITAT. DE VITA**

post tempestatem tranquillū facit, sua-  
uis & clari luminis instar ingreditur?  
O quantum illo temporis puncto sere-  
natur, & ineffabili quadam dulcedine  
cōpletur, ac præsentia caloris cælestis,  
tota doloris nebula in dulcissimas a-  
moris lachrymas conuertitur. Tunc o-  
mnium laborum & præteritarum obli-  
ta ærumnarum, sub desiderati sui I E-  
S V umbra requiescit. Tunc omne id  
quod unquā fecit vel perpeſſa est amo-  
re sui, existimat esse parū; onus quoque  
pœnitentiæ, viaq; virtutis quæ olim il-  
li videbatur ardua, tam facilis & suavis  
ei redditur, vt iam videatur peruenisse  
ad portum. Verū heu quā breues  
sunt hæ consolationes; sed nec potest  
in hac vita vlla plena & absoluta esse  
lætitia ac securitas, cum scriptum sit. *Vi-  
ſitas eum deluculo, & subito probas illū.*  
Quando tandem Domine, transmissio  
hoc mortalitatis mari, securissimum  
tranquillissimumque patriæ cælestis  
portum tenebimus? quando aperientur  
cœli, & apparebit gloria tua, & te de-  
scendentem cum virtute & maiestate  
magna super nubes videbimus? quan-  
do rapiemur tibi obuiā in aëra, vt sem-  
per tecū regnemus? Quando liberati à  
timore inimicorū nostrorū in perfecta  
iusti-

*Iob 7.*

*1. Theſ 4.*

*Luc 22.*

iustitia & sanctitate tibi assistemus ad *Psal. 16.*  
 laudandum te & colendum in æternū:

Tunc scilicet velut pleni abundantia pa-  
 cis & iucunditatis perfectè satiabimur.

Tunc caritas erit consummata, & læti-  
 tia completa; quia tunc implebis cor no-  
 strum vero & æterno gaudio, quod de  
 cætero nunquam poterit tolli à nobis. *1. Cor. 13.*

### COLLOQVIUM.

**O**RABIS CHRISTVM Domi-  
 dum, vt quoniam post ascensum  
 suum in nauiculam Apostolorum, ces-  
 savit ventus & tempestas, ac subito sal-  
 ua ad portum peruenit, ita sua gratia di-  
 gnetur pectoris tui nauiculam intrare,  
 vt cessante superbix vento, & tranquil-  
 latis turbulentis passionum & vitio-  
 rum tuorum motibus, à quibus impu-  
 gnaris, non aliquo grauioris tentatio-  
 nis fluctu absorbearis: sed potius dare  
 velit tibi in perturbationibus consili-  
 um, in persecutionibus auxiliū, in tri-  
 bulationibus solatium, in aduersitatib:  
 fortitudinem, & in omnibus tentatio-  
 nibus ad eas vincendas robur. vt liber e-  
 ius misericordia ab hoc periculoso ma-  
 ri tranquillum securumque terræ vi-  
 uentium portum tenere possis.

1. **N**avigantibus discipulis sine Christo, subito in eos exorta est tempestas. Vide quàm sit res periculosa ambulare sine Christo: unde quando incipimus nos discedere ab oratione et Sacramentorum frequentatione, quibus communicatur nobis gratia, diuinumq; auxilium, magnam causam timendi habemus, ne multis tentationibus impetamur, & salutis nostra periculum facillè incurramus.

2. Quamuis discipuli multum laborarent & sudarent, tamen nihil sine Christi auxilio efficere poterant. Unde cognoscimus in nostris tentationibus, industriam laboresq; nostros, non sufficere sine auxilio Christi ad eas repellendas. Quare omne studium nostrum coniunctum esse debet fiducia in Domino, qui est nostrum refugium, nostra fortitudo, nostrum auxilium.

Psalm. 45.

3. Christus cum discipuli tota nocte laborassent in mari, tandem sub finem se visendum præbens, liberauit eos. Ut doceremur, quando tētatione aliqua, vel arumna cōcutimur, non statim animum despondere, si Dominus in principio non succurrat, sed patienter expectare & in eum cōfidere: nam licet ad breuius tempus differat auxilium, tamen tandem copiosa consolatione & auxilio moram compensat.



4. Solet quoque Dominus differre auxilium eorum qui tribulationibus agitantur ut ex una parte agnoscant es suarum virium imbecillitatem, occasionem habeant se humiliandi; ex alia vero videndo non suppetere auxilium nisi à Deo, discant ad eum confugere. Solet præterea id Dominus facere ad probandam suorum servorum fidelitatem, eosdemque ampliori corona remunerandos, quo maiores eorum extiterint labores.

5. Sæpius legimus in Evangelio nauiculam Apostolorum ventorum vi in periculum venisse, nec tamen submersam: nam Dominus, ut Matt. 17. 24. promiserat, semper suis adest. Quare, licet in maximis tribulationibus versemur, & periculosis tentationibus agitemur, non tamen idcirco vos derelictos arbitremur, sed recordemur eius quod scriptum est. Psal. 90.

Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

6. Nauicula Apostolorum non vehebat homines segnes, sed fortes & validos, qui, ut habet Evangelium, inter adversos ventos remigabant. Quò significatum est, non molles & otiosos, sed in adversitatibus perferendis fortes, & in operibus bonis præstandis constantes ad æterna salutis portum in Ecclesia Dei perueniendos.

7. CHRIS.

7. CHRISTVS, cùm adueniret ad auxilium discipulis prestandum, visus est eis phantasma. Hoc mundi huius malum est, ut licet periculis plenus sit, nec remedium habere possit nisi à CHRISTO, tamen res diuina, & opera Christiano homine digna ab eo reputentur phantastica & hypocritica, & ideo homines cum magno suo spiritali detrimento ab illis abhorrent. Contra res & processus huius mundi in prudentia carnis fundati habentur ab eis pro bonis & honore dignis, & idcirco eas persequuntur, & cum exitio animarum suarum amplectuntur.

8. Quando timori discipulorum accessit terror ex insolita apparitione CHRISTI, tunc presens eis adfuit auxilium. Sic multis exemplis Scriptura discimus, quando tribulationes, arumna & pericula ad summum peruenerunt, proximum adesse diuinum auxilium & remedium & ideo nunquam desperare debemus, ille enim, ut scriptum est, noster est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Psalm. 9.

9. Petrus ambulans supra mare nullũ damnum ab aquis passus est, sed tantũ à vëtis, quorũ vi ferè submersus est sic homines spirituales & religiosi, qui per mundi contemptum pedibus suis conculcãt rerum caducarum undas, et si ab illis nullum pa-  
tiant-

siantur dānnum, tamen multum reformidare debent, ne vento superbia euer-  
tantur & submergantur

10. Aqua supra quas ambulauit Pe-  
trus, designant multitudinem populi. A-  
quæ multæ, populi multi. Illi ergo optāt  
ambulare cum Petro super aquas, qui as-  
cupantur principatus, P. laturus, & gu-  
bernationem populi, atq; id non ad seruiē-  
dum Deo, & ob amorem CHRISTI, ut  
fecerat Petrus: sed propter dignitatem i-  
psam, ut in maiori sint honore, ut mundo  
celebriores, atq; etiam ad capiendos pis-  
ces, hoc est, ob utilitatem, quam ex  
subditis capere possunt. Iam si Petrus amo-  
re Christi, & à Christo, vocatus com-  
mittens se aquis, periculum submersionis  
auit, quid fiet illis, qui ob finē non bonum

& à Christo non vocati, seipsi

ingerunt & proj-

ciunt in ma-

re.

DE



# DE FILIA

CANANEAE,  
A CHRISTO  
NATA.

*MEDITATIO IV.*  
*EVANGELIVM.*

*Mat. 6.*  
*Mar. 13.*

**E**Gressus inde IESVS secessit in partes Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Nam mulier Cananæa gentilis, Syrophœnissæ genere, cuius filia habebat spiritum immundum, statim vt audiuit de eo, à finibus illis egressa, & domum ingressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse aut̄ respondēs ait. Non sum missus nisi ad oues quæ pe-

perierunt domus Iſrahel. At illave-  
nit, & adorauit eum dicens, Domi-  
ne adiuua me. Qui reſpondens ait.  
Sine prius ſaturari filios; non eſt e-  
nim bonum ſumere panem filiorū  
& mittere canibus. At illa reſpōdit,  
Vtiq; Domine, nam & catelli edunt  
de micis, quæ cadunt de menſa do-  
minorum ſuorum. Tunc reſpōdēs  
IEſVS ait illi. O Mulier magna eſt  
fides tua fiat tibi ſicut vis. Et cū ab-  
iſſet domum ſuam, inuenit puellā  
iacentem ſupra lectum & dæmoniū  
exiſſe.

## FIGVRA.

**M**ulier Sunamitis filio mortuo *4. Reg. 4.*  
domi relicto, quaſitum abijt  
Helizæum Prophetam, abijtciensq; ſe  
cum multo dolore & lachrymis ad e-  
ius pedes, non ante dimittere eum  
voluit, quàm ſe ad reſuſcitādum filiū  
ſuum conferret.

## PROPHETIÆ.

1. **B**onus eſt Dominus ſperantibus in  
eum. anima quærenti illum. *Thren. 3.*
2. Non

## 92. MEDITAT. DE VITA

*Ibid.*

2. Non repellat in sempiternum Dominus, quia se abiicit, &amp; miserebitur secundum multitudinē misericordiarū suarū.

*Ibid.*

3. Noni diluculo, multa est fides tua.

*Psalm. 101.*

4. Respexit in orationem humilium, &amp; nō spreuit preces eorum.

## CONSIDERATIONES.

*Punct. 1.*

**T**Andem tempus erat benedictē IESV, pastor bone, ut te à dilecto tuo grege segregares, & in viam te daret ad quærendum vnicam illam, & aberrantem ouiculam, quæ possessa & malè tractata à lupo infernali per incultum Gentilitatis desertum miserabiliter oberrabat. Quomodo enim vnquam illa ad sium verum pastorem reuereri potuisset, si tuam dulcem vocem non exaudisset, si tuum amabilem vultum non agnouisset? Discedit ergo IESVS ex Iudæa, & vadit in partes Tyri & Sidonis terram gentilium. Et ecce mulier quædam Cananæa cognita fama de IESV, è finibus suis egressa, cœpit post CHRISTVM clamare, & misericordiam eius implorare. Venit hæc mulier alienigena & idololatra, à Gentibus egressa, instar novelli rami ex oleastro decerpti, ut inseratur in oliuam fructiferam; uti fecit quoque Centurio

*Luc. 15.**Mat. 23.*

rio. Vide quemadmodum Salvatore conferente se in illas partes, mox hæc mulier se ipsi adiunxerit. Nunquam Cananæa ex finibus suis egressa fuisset, si non prius CHRISTVS se contulisset ad illos, sicut nec Samaritana conuersa *Ioan. 4.* fuisset à CHRISTO, si ipse non dignatus fuisset transire Samariam: in quo optimè didicimus, illum esse petram angularem, qui connectere debebat in vnum duos parietes, populum Iudæum scilicet & gentilem, vnam ex vtroque constituens Ecclesiam. Et quamuis Christus, dum vixit in carne præcipuum studium adhibuit in procuranda salute Iudæorum, & per Apostolos tantum gentiles ad fidem vocauerit; tamen quamdiu in terra conuersatus est, semina quædã sparsit, & perspicua indicia dedit conuersionis huius, vniõisque Gentilium. Nam hac de causa, simulatque natus est, ex oriẽte euocauit Magos, gentilitatis primitias. *Matt. 2.* Post attraxit ad fidem Centurionem: *Matth. 8.* agnoscendum se præbuit, imò & prædicauit Samaritanis: desiderium dedit gentilibus, vt tanto studio cuperent eũ videre & audire. Ac denique nunc attrahit hanc Cananæam è media gentilitate eam euocando, Quanquam autẽ  
ini-

initio se præbuerit ei durum & austerrum; nihilominus ipse interius eam trahebat & illuminabat: ipse dedit ei fidem tam claram de seipso, illam humilitatem tam admirabilem, illam prudentiam plus quàm muliebrem, illam patientiam qua post tot repulsas, constanter in finem perseverans, omnia sua postulata obtinuit. O rem stupendam & mirabilem, Iudæi domestici & familiares Christi, populus Dei electus & dilectus, Patriarcharum & Prophetarum filij, Apostolorum Patres, imò ipsius Christi, eum fugiunt, deserunt, exterminant. Et Cananæa, mulier externa filia & mater idololatorum, & inimicorum Dei illum desiderat, quærit, suscipit.

2. INCIPIT igitur clamare Cananæa post Christum, *Miserere mei Domine, fili David, filia mea malè à damonio vexatur* Considera animum magnum mulieris huius; quod, licet esset externa, & Christo ignota; imò abominabilis, ut erant omnes gentiles, Iudæis; nullo tamen mediatore vsa est, ut aditum haberet ad CHRISTVM. Non prius adiit Iacobum, non precata est Ioannem, multò minus se commendavit Petro, ut pro se intercederet, sed  
to-



totum huius negotij pondus in se recepit, atque si filia calamitas, suaque miseria fatis esset ad impetrandum, quod volebat. Vide quoque, quàm eximia fuerit eius fides, quomodo vno momēto, ex idololatra commutata sit in Evangelistam: nam paucis his verbis expressit & confessa est vtramque CHRISTI naturam, & simul altissimam Incarnationis mysterium. Confessa est eius humanitatem, cùm eum appellauit filium Dauid, hoc est, natum secundum carnem ex regia stirpe Dauid. Confessa quoque est eius diuinitatem, vocando eum Dominum, & dicēdo, *Miserere mei*. Misereri enim est proprium DEI, qui solus potest omnes tollere humanas necessitates & miseras. Dicit igitur, *Domine fili Dauid*, ac si diceret, Tu Deus & homo, tu Deus pro hominibus incarnate, miserere mei, cuius amore voluisti meam carnem suscipere. Breuis petitio, sed quæ in se infinitæ benignitatis pelagus continet: nam hac postulatione misericordiæ, continentur omnia bona quæ optari vel postulari possunt. Considera deinde mirabilem huius Cananæ prudentiam, quod relictâ domi filia ægra, Domino supplicatum vadat, eiq; vt misericordi medico,

egri-

*Matth. 9.*

ægritudinem suæ filiæ exponat. Non  
 visit eum cum Regulo ut domum suã  
 veniret, neque ut imponeret ei manum  
 cum Archisynagogo, quasi diceret.

Domine, satis est me tibi exposuisse  
 meam necessitatem & petitionem me-  
 am proposuisse: tuum est eligere mo-  
 dum, quia tu non solum præsens, veni-  
 etiam absens idoneum potes præbere  
 remedium. Vbi quoque considera, cur  
 cum filia sit obsessa à dæmone, ipsa ta-  
 men dicat, *Miserere mei*, nimirum quia  
 sæpenumero ob peccata parentũ casti-  
 gantur filij: sicut propter peccatum à

*2. Reg 12.*

Dauide commissum, Deus voluit mo-  
 ri eius filium, Et ideo dicit. *Miserere  
 mei, & sanabitur filia mea, mihi con-  
 dona culpam, & illa libera erit à pœna.*  
 Præterea non dixit, *Miserere meæ filiæ,*  
 sed *mei*, ac si dicere vellet, *filia mea,*  
 quia à dæmone obsessa est, nec tormen-  
 ta nec dolores corporis sui sentit: sed  
 ego sum, quæ crucior, & cor meum tan-  
 tum plenum dolore est, atque ideo *mei  
 miserere.* Ego per me ipsa venio ad te,  
 ipsa te precor, non allego mea merita,  
 non iustitiam postulo, agnosco enim  
 meos defectus, tantum in tua bonitate  
 confido, tantum misericordiam à te  
 flagito. Vide audaciam mulieris. Che-

tubin in cœlo ad filij DEI præsentiam contremiscunt, & mulier immunda & peccatrix in terra omni metu vacua illum accedit & alloquitur. Angeli verentur eius Maiestati in paradiso, & mulier in hac lachrymarū valle nō verecūdat in eius præsentia, imò importunè cōstringit extollendo vocem, & dicendo: Miserere mei.

3. IAM quid facies hic, bone IESV, o dulcis amator hominum? fieri non potest quin viscera tua commoueātur, super huius mulieris miseria. Quare nec aliud ei à te expectandum fuit, præter benignam responsionem, quam semper impertiri soles: *Sed non respondit ei verbum.* Saluator mundi, qui est ipsa commiseratio & caritas, nullum reddit verbum huic miseræ pro auxilio ad ad se confugienti? Fons vitæ tacet, declarans se exsiccatum. Misericors Medicus negat medicinam, recusat curam. Quæ hæc res noua Domine mi? Si tu ille es, *Psal. 9. 101.* de quo scriptum est, quod exaudias desiderium pauperum, & non spernis preces humilium, cur non exaudis tantoperè te rogantem, imò non respondendo, etiam videris contemnere & respuere? Si tu dixisti, qui petit, accipere; & *Matth. 7.* qui quærit, inuenire, qui pulsat, ei aperi-

E

riri,

riri, cur hæc, quæ tanta fide & humilitate perit, tanta sollicitudine quærit, tanta vehementia pulsat, non solum nihil accipit, vel inuenit, non admittitur in domum, sed etiam indigna reputatur responso? Si enim fortè illud facis quod sit mulier gentilis, erat similiter gentilis Centurio, cui non solum petenti statim annuisti, verum etiam non petenti, obtulisti te eius domum adire velle. Si ad fidem quoque respicias, inuenies hanc fidem Cananæ nulla te inferiorem fuisse fide Centurionis: illa enim etiam credidit, te quantumuis absentem, posse vi verbi filiam suam sanitati restituere. Denique, si ideo responsum negas, quod illa sit peccatrix, & Samaritana fuit peccatrix, & Zachæus, & alij complures, quos diuersis beneficijs, etiam non rogatus, effecisti. Verum benignissimus IESVS etiam si simulârit se non audire hanc mulierem, non id fecit, quod aspernaretur illam, vel ab ea abhorreret; nam ipse erat, qui in corde eius clamabat, & fecit postulare misericordiam, sed ne occasionem daret suis calumniatoribus. Quare & eadem de causa vetuit suis discipulis, ne prædi-

Sicarent in ditioe gentiliu , volens perfectam conuersionem & salutē gentiu prorogare in tempus , quod erat post mortem suam & resurrectionem. Fecit quoq; idem , vt mundo patefaceret thesaurum tantarum virtutum in animo eius reconditarum . Vnde non tam negauit , quā diffulit gratiam , vt ex constantia precandi clarius eius eluceret fides , & humilitas , & patientia , & perseuerantia in aliorum exemplum & maius eius meritum , vt nempe postea vberius exaudiretur & remuneraretur.

4. PERSISTEBAT interim Cananæa plorando & clamando insequi CHRISTVM ; hic verò nullo responso dato , nullo ad eam respectu facto iter suum prosequabatur. Ergo Apostoli , licet vocibus lamentabilibus con moti , partim miseres ei , partim cernentes Dominum tam esse durum , ignari mysterij , non tamen ausi sunt pro illa intercedere . Itaque in aliud consilium venerunt , vt adirent CHRISTVM , dicerentq; , vt saltem velit eam dimittere , ne clamoribus suis amplius obtunderet ipsorum aures. Verisimile est Cananæam , vt vidit CHRISTVM nihil respondere,

memorem suæ indignitatis, conuertisse preces suas ad Apostolos, vt illi saltem pro se intercederent. O sancta mulieris importunitas, quæ cum per se nõ potest gratiam obtinere, animum non despondet, non se subtrahit è conspectu, sed mittit mediatores, quærit aduocatos. Christus ergo respondit Apostolis. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israhel.* quasi diceret; illa non est ex meis ouibus, non cognosco illam, nec veni pro ipsa, itaque habeat patientiam: quandoquidem ad eam minimè spectant hæ gratiæ. Hic potes tu perpendere, si prima vice Dominus suo silentio cor afflictum huius mulieris verberârit, nunc hoc responso, quasi nouo vulnere inflicto maiorem in modum cumulatam fuisse dolorem.

Cæterum bone Domine, quænam est hæ tua excusatio? An tu carnem assumpsisti, & in ea tanta mysteria operari voluisti, vt tantum exiguum mundi angulum saluares? Descendisti ne de cælo diuinam maiestatem tanto opere demittens pro vna natione Iudæorum, contemptis tot alijs populis & nationibus per vniuersum orbem diffusis? Si igitur missus non es nisi ad oues Israhel, quid illud est à tuo æterno Pa-

tre olim dictum per Prophetam; *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.* Et per aliū. *Parum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terra.*

Psalm. 2.

Esa. 49.

Verūm ex alia parte hæ, aliæque multæ prophetiæ, quæ de Christo exstant provocatione gentium, non repugnant villo modo his Christi verbis. Nam ille verè fuit missus ad oues quæ perierunt domus Iſrahel, ut sigillatim eos vocaret, illas sanaret, illas prædicatione sua ad fidem conuerteret, idque per se in sua persona. Deinde etiam fuit missus, ad vocandas gentes, easdemque sanandas, ad fidemque conuertendas, sed præcipuè per Apostolos. Fuit denique missus ad prædicandum, primò Iudæis, & deinde gentilibus, secundum illud Apostoli:

Acto. 15.

*Vobis oportebat primū loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce conuertimur ad gentes.*

5. CONSIDERA, quomodo toties repulsam passa, bona Cananæa, nō pudefacta sit, non metu consternata; sed constans in proposito & fiducia, quam de bonitate & potentia Saluatoris

102 MEDITAT. DE VITA  
ris conceperat, quoniam alia via non  
successit, ipsa se ad CHRISTI pe-  
dex supplex abiicit, dicens. *Domine ad-  
iuua me*, ac si diceret: Si huc usque ex  
tuis ouibus non fui, nunc volo esse, &  
pro tali me offero, atque in signum hu-  
ius te adoro & veneror, velut ouis su-  
um pastorem: Domine adiuua me, sic-  
ut pastor iuuat suas infirmas oues, &  
debiles. Ex alia parte vide, quomodo  
Dominus, quo illa magis multiplicat  
preces, hoc magis multiplicet repul-  
sam; nec iam amplius Iudæos appel-  
let oues, sed filios; ipsam verò vocet ca-  
nem, dicens: *Non est bonum sumere panē  
filiorum, & mittere canibus*; indicās hac  
forma loquendi, non fuisse conueni-  
ens doctrinam Euangelicam, miracu-  
la, & alia ad salutem hominum spectan-  
tia eripi filiis, & dati gentibus, quæ per  
idololatriam similes factæ erant cani-  
bus. Iam si ad hoc durum responsum  
Cananæa recessisset, tanquam canis ve-  
nisset, & tanquam canis abiisset. Sed  
quia restitit, & constanter perseuera-  
uit, è cane facta est mulier: importuna  
fuit quidem in petendo, sed hac ipsa  
importunitate suam humilitatem de-  
clarauit, & CHRISTI misericor-  
diam extorsit. Vide quomodo appella-  
tio



tione canis non sit indignata, non succensuerit Domino, non obmurmuravit; non ad aliorum laudes indoluerit; non ad sui vituperationem in cerore contracta sit, sed humiliter responderit, dicens: *Etiam Domine, confiteor me canem esse. Hoc quidem meum nomen est, sed ideo non debes me à te repellere, & tua gratia, quam peto, excludere: nam & catelli edunt de micis qua cadunt de mēsa dominorum suorum, quasi diceret; Non peto à te panem integrum, quo vescuntur filij Domini mei, sed exigua fragmenta & micæ quæ dantur catellis. O verba humilitatis, prudentiæ & sapientiæ plena: nam CHRISTO dicente, Non est bonum, illa respondit, Vtiq; Domine, Christo vocante Iudæos filios, illa vocat suos dominos. CHRISTVS ei attribuit conditiones canis, & illa non solum conditiones illas recipit, sed etiam longius se sponte dimittit, vocando se catellum. Non ita fecerunt superbi Iudæi, qui reprehensi à Christo iactabundi responderunt. Semen Abrahæ sumus, & nulli unquam seruiimus, & ex Deo nati sumus. Vnde euenit, vt per superbiã suã, velut Christus eis dixit, ex filijs Dei facti sint filij diaboli. Contra,*

hæc bona mulier confitetur se canem, & iudæos appellat Dominos: vnde accidit, vt relictis conditionibus canis, facta sit filia Dei. Demonstravit etiam magnam prudentiam & sapientiam: his enim verbis, existens mulier gentilis, quodammodo, vt ita loquar, ipsam Dei sapientiam superavit: nam ea ipsa verba, quibus Dominus vsus est ad eam à se repellendam, & gratiam ei negandam, loco argumenti quo Dominum in suam sententiam traheret, vsurpauit, ac si diceret. Tu me appellas canem, & me esse canem confiteor: itaque tracta me, & pascere tanquam catellum: nam licet his non detur panis integer, non tamen negantur micæ, & frustra de mensa cadentia.

6. O quàm benè dixisti bone IESV, quod *Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* Magnam vim certe adhibuit hæc mulier: primò sibi, intoleranda cum tanta humilitate & patientia repulsa & contemptu proprio. Deinde tibi, quia sua importunitate quasi vi illata è manibus quadantenus extorsit gratiam, quam vidēbaris ei negare. Et benè dicit Euangelium, te ingressum domum, nemine animaduertente, sed tamen nō potuisse latere: hæc enim

*Matth. 12*

*Marc. 7.*

enim mulier importunis suis clamoribus te exire compulit, teque progredientem longius ita cohibuit, vt bonitatem tuam diffimulare, & viscera misericordiae claudere amplius non potueris, sed magna eius fide & humilitate victus, coactus sis exclamare & dicere. *O mulier magna est fides tua.* Magna, quia rara & constans: magna, quia magnis rebus credidisti, & magnam in me fiduciam habuisti. *Fiat tibi sicut vis.* Quam verè LUC. XI. impletum est tunc, quod Dominus aliàs dixit: si quis egerit pane, & fide nocte adierit domum amici, vt commo dato illum ab eo accipiat: si amicus iam existens in lecto excuset se, quod non possit surgere, & ille pulsare non destiterit, importunitate tandem victus amicus cogetur surgere, & porrigere petenti omnia necessaria. Non secus fecit hæc bona Cananæa, pulsauit ad diuinæ misericordiae ianuam, petiuit panem eius gratiæ, quia filia sua opus habebat, sæpiusque repulsa, eousque perseuerauit, donec dulcis hic amicus, hominum amator, non solum dedit quod petijt, verum etiam quicquid voluit vel potuit desiderare, dicens ei, *Fiat tibi sicut vis.* Verum quid est quod dicis ei bone IESU? an ergo, si illa peteret,

non vt canis, sed vt filia comedere in mensa tua, in societate Angelorum, ei acquiesceres? Præterea si peteret à te cœlum cum omnibus diuinæ tuæ gratiæ thesauris, certum est te aliud non esse ei responsurum, quàm, Mulier fiat tibi sicut vis. Imò tanta est liberalitas tua, vt sis paratus etiam te ipsum dare vni cani. O stupor hominum, ô angustum cor peccatorum. Deus si te humiliare velis, & ad eum conuertere, est paratus te donare amplitudine cœli cum omnibus suis bonis, vt regnum possideas æternum, imò paratus est seipsum dare summum & infinitum bonum, & tu aliud non desideras nec quæris, nisi vnum miserum palmum terre, hoc est, breue & temporale gaudium huius vitæ mortalis?

7. Age verò quæ micæ, quæ fragmenta isthæc sint tanto studio à Cananæa expetita videamus. Si enim micæ de mensa Domini dilapsæ, tam suaves & optabiles sunt, quàm pretiosa & desiderabilia fercula erunt quæ sunt supra mensam collocata? Micæ sunt omnia beneficia temporalia à Domino in hac vita corpori nostro concessa, vt opes, sanitas, &, quod Cananæa petebat,

bas, dæmonis expulsio è filia, ferculum verè regium & diuinum est, quando DEVS seipsum degustandum præbet animæ nostræ, illamque suis donis & charismatibus cœlestibus locupletat. Ditissima verè est mensa CHRISTI Domini nostri, omni eduliorum lautitie & copia instructa.

Hæc autem alia non est, quàm sacratissima sua humanitas, in qua apposuit nobis diuinum suauissimumque cibum. Hanc mensam probè nôrat Ma-

gdalena, quæ ingressa domum Simonis posthabito Pharissæi conuiuio, recta se contulit ad mensam, quam Dominus ad sanctissimos suos pedes illi præpararat. Vbi degustauit dulcissimum illum cibum remissionis suorum peccatorum, & pacis conscientiæ suæ tantopere desideratum, Nôrat quoque illam Io-

annes Euangelista, qui oblitus mensæ, in qua edebatur agnus Paschalis, videns vicinam se habere mensam magis opulentam & lautam pectoris CHRISTI, ad eam se adiunxit, summaque copia degustauit efficacissimum cibum illius salutaris sapientiæ, illius sublimis Theologiæ, quam postea nobis quoque in sacro suo Euangelio communicauit. Nôrat quoque Thomas

Luc. 7.

Ioan. 13.

IOAN. 20.

LUC. 24.

Apostolus, qui post Saluatoris resurrectionem extendens manum ad hanc ipsam mēsam, ex aurea illa lance sacratissimi lateris eius ad se attraxit pretiosissimum cibum veritatis resurrectionis, & confessionem suæ diuinitatis: unde totus extitit corroboratus & summa lætitia perfusus. Nōrant similiter discipuli euntes in Emaus, dum agnoscerent CHRISTVM in fractione panis, quia multo plus recreati sunt cibo illo spirituali, dum Magistrum suū resuscitatum cōspicerent, quam de refectione corporali accepta in diuersorio, in quo illa vespera fessi remanserant. Nouit denique tota Ecclesia quæ continenter, & tam lautè hoc pane cœlesti & angelico nutritur ac sustentatur. Certè si micæ consolationum, & charismatum spiritualium, quæ ex mēsa illa cœlesti cadunt, & à Domino seruis suis communicantur in hoc deserto, ita satiant & oblectant, vt propter illas omnes huius mundi res contemnantur; quid erit, quando videbunt se in cœlo confessuros in mensa Domini, in qua eis apponetur panis integer claræ visionis summi boni? De hac mensa locutus est Dominus quando dixit Apostolis: *Vos estis, qui permāstis mecum in*

LUC. 9.

*tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Ad hanc mensam ipse sedere faciet seruos suos, ipse ministrabit illis, & ipse erit panis viuus & diuinus, quo illos pascet. Beatus ergo, qui gustabit panem in regno calorū, qui dignus fuerit accubere huic mensæ, & cælesti cōuiuio illo regni cœlorum perfrui in æternum.* Luce. 12.

## COLLOQVIVM.

**O**RABIS CHRISTVM Dominū, vt sicut mulieri Cananææ miserus sanitatem concessit filiæ, pro qua precabatur, ita dignetur & tui misereri, & in tuis necessitatibus, atq; tentationibus manum præbere. Et quamuis propter commissa peccata sis instar canis immundus, & vt canis, dignus non sis integrum panem à sua Maiestate recipere, hoc est, gratuitorum donorum copiam, saltem velit tibi aliquot exiguas micas gratiæ suæ, sine quibus anima tua immunis esse non potest ab inimicis, communicare. Quod si vel minimam obtinueris, te sperare non solum liberationem à peccato & demonio, verū etiam adoptionem filiorum Dei.

110 MEDITAT. DE VITA  
DOCUMENTA.

1. **CANANÆA** ad impetrandam salutem filia egressa est è finibus Tyri & Sidonis, regione gentilium Non potest salus anima obtineri in Tyro & Sydone, ubi Deus non cognoscitur, nec colitur. Quare cum nec in mundo cognoscatur Deus, sed potius offendatur, facile intelligis te in eo non posse consequi salutem animæ tuæ. Egredere ergo cū Abrahamo de terra tua, & cū Loth de Sodoma & Gomorrha, & cū filijs Israhel ex Aegypto, et deniq; cum hac Cananaea de finibus Tyri & Sidonis, & subito occurre CHRI-  
STO Saluatori tuo.

2. Cananaea petitura à CHRISTO sanitatem filia, egressa est è finibus gentilium Quo significatum est, animæ peccatrici, si obtinere remissionem peccatorum & gratiam Dei velit, non satis esse, desistere à pravis operibus, sed etiam egredi debere ex confinibus peccati, id est, occasiones peccandi defugere.

3. Cananaea, quia bene intelligebat, quanta molestia demon filiam afficeret, cum fiducia accurrit ad CHRISTVM, & liberationem impetrauit. Male habet peccator, quando nõ agnoscit suam aegritudinem, & afflictionem animæ suæ; multo vero peius, quando de sanitate desperat, pessimè denique



niq; quando Medicum aſpernatur.

4. Cananaa CHRISTO filia aſgritudinem exaggerauit dicēs eā poſſimē à dæmone tractari. Diſce tu quoq; peccator nō excuſare, ſed potius exaggerare grauitatē peccatorū tuorū corā Deo, eaq; ſyncerē confiteri, detegendo omnia vulnera, ſordesq; anima tua: & conſide quo amplius exaggeraueris infirmitatem tuam, hoc certius te inuenturum remedium.

5. Cananaa, mulier gentilis non auſa adire CHRISTVM ad poſtulandā pro filia gratiam, primo adiit Apoſtolos, qui cū pro illa interceſſiſſent, auſa eſt ſe ad CHRISTI pedes abicere. Sic homo peccator, quando ob enormitatem ſuorum ſcelerum agnoſcīt ſe cōſpectu Dei indignum, quem offendit, cōfugere debet ad eius Sāctos, ut, cū eorum interceſſione placatus fuerit, maiore fiducia ad deum recurrere poſſit, & ſcelerum ſuorum condonationem obtinere.

6. Cananaa prius credidit Chriſtū poſſe ſanare ſuam filiam, & poſtea eū acceſſit. Secundo ſapius repulſa, perſeuerauit in ſua petitione. Tertiō cōfeſſa eſt ſe indignā gratia quā petebat, comparans ſe cæzello cōtēto micis de menſa cadētib. Vnde diſcimus tres virtutes neceſſarias ad impetrandā à DOMINO gratiā, Primò fidē.

ut ſir-

## 120 MEDITAT. DE VITA

ut firmiter credamus Dominū posse, & velle largiri quod petimus, si salutem nostram sic conueniēs. Secūdo patientiā, ne lāguēscamus in pēcēdo, etiā si statim voto non

**Pronec. 26.** potiamur. Tertio humilitatem, ut agnoscamus nos verē esse canes, eò quod more canum saepe ad vomitum peccati redierimus, & idē existimantes nos diuina misericordia indignos, praestolemur gratiam non pro nostris meritis, sed ex pura misericordia & bonitate Dei.

**2. Pet. 2.**

7. Apostoli dixerunt CHRISTO, ut mulierē illam post ipsos clamantē dimitteret. Si volumus sanctos orare pro nobis, & à Deo exaudiri, cōuenit, ut exēplo Cananae duo faciamus. Primò, clamemus, hoc est, ut orationes nostrae non tantum è labris, sed ex intimis cordis penetrabilibus proficiantur. Secundo ut clamemus post Sanctos id est, conemur eorum vestigijs insistere, imitando exempla virtutum & sanctae vitae ab ijs nobis relictae, ut hortabatur Apostolus illis verbis. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

**1. Cor. 12.**

8. Cananaea licet gentilis & idololatra, p̄seuerādo in precibus obtinuit à CHRISTO quicquid voluit. Tantū efficit apud Deū perseuerantia, ut quicquid homo à Deo poposcerit ad salutem spectans, & in oratione ad ipsum & Sanctos persisterit,

et si

et si Deus videatur exauditionē differre,  
tandem tamen prolixē obtineat, etiam si  
esset Canaanus aut canis immundus.

9. Si bonum nō est; ut dixit CHRISTVS,  
sumere panē filiorū, & mittere canibus,  
qua ratione bonum esse poterit permitte-  
re ut fame moriātur pauperes si ij Dei es  
fratres tui, canes verò et equi tui pingue-  
scāt & incrassentur? Vide igitur quā ad  
modum expēdas facultates à Domino tibi  
commissas, & eo sine concessas, ut ex  
eo quod tibi superest, etiam communices  
pauperibus.

10. Cananaa post impetratā à CHRISTO  
gratiā, inuenit filiā suā à Demonia li-  
berā in lecto iacentē. Quā diu anima ob-  
sessa est à demonio peccati mortalis, nō alie-  
ter diuexatur, quā haec filia: nā, ut dicit  
Propheta, non est pax impijs. Peccatores Esaiæ 48.  
nō possunt habere pacē, eò quod dāmo, cui & 57.  
per peccatū sunt subiecti, non potest relin-  
quere pacē anima; sed nunc eam in terrā  
deicit per opū terrenarū desideria, nūc a-  
quis vanitatis immergit, nūc in ignes ire  
& vindictæ, nūc in fatida sepulcra carna-  
litas eā detrudit. E cōtrā tūc anima ia-  
cet, & quiescit, quādo immunis est à cul-  
pa mortali, sicut dixit Propheta. Cū de- Psal. 126.  
derit dilectis suis somnū. nempe magna  
pacis, & quietis in conscientia.



DE SVRDO  
ET MVTO A CHRI-  
STO SANATO.

*MEDITATIO V.*

*EVANGELIVM.*

*MARC. 7.*

**E**T iterum exiens I E S V S de finibus Tyri venit per Sidonē ad mare Galileæ inter medios fines Decapaleos. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabatur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè; & præcepit illis, ne cui dicerent. Quan-

to autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & è amplius admirabantur dicentes: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

## P R O P H E T I Æ.

1. **D**EV Sipsø veniet, & saluabit nos *Esa. 35.*  
 Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; & aperta erit lingua mutorum.

2. *Sapientia aperuit os mutorum.* *Sap. 16.*

## C O N S I D E R A T I O N E S.

**C**ONSIDERA, quomodo iter *Punct. 2.*  
 Cium confecerit benedictus IESVS, & nunc huc nunc illuc profectus sit, vt perditas oves quæreret, quocunque autem se conferebat, semper aliqua suæ bonitatis & misericordiæ signa relinquebat. Venienti igitur Salvatore è Tyro versus mare Galileæ, adductus est surdus & mutus curandus. Et meritò Christo offerebant vitio naturæ laborantes; vt cæcos, surdos, mutos, claudos; nam cū ipse solus esset conditor auctorq; naturæ, ad eū quoq; spectabat mederi vitiatæ naturæ. Quanquam tanto numero & varietate morborum  
 corpo-

116 **MEDITATI. DE VITA**

corporalium ab eo curatorum propriè  
repræsentetur nobis miser status in  
quem per peccatum animæ nostræ de-  
lapsæ sunt, à quo vt liberaremur Chri-  
stus in mundum venit. Neq; enim præ-  
cipuè venit ad sananda ægra corpora,  
vel ad salutem temporale homini im-  
pertiendam, sed ad salutem animarum  
procurandam. Venit causa prædicandi  
Euangelij, regniq; cœlestis; Ac vt  
mundus agnosceret illum esse verum  
Saluatorem, doctrinamq; suam, ac  
promissiones de vita æterna, esse veras,  
multa signa & miracula patrauit, alia-  
q; quàm plurima stupenda opera fe-  
cit, quæ nullus alius facere potuit, si  
Deus, vt dixit Nicodemus, non fuisset  
cum illo. Inter maxima aut mala natu-  
ræ nostræ ad quæ per sanctissimã huma-  
nitatẽ suã curanda Dominus venit, nu-  
mèratur surditas, & loquendi impoten-  
tia. In hãc autem surditatẽ, & verbi Dei  
audiendi impotentiam meritò genus  
humanum incurrit, eò quod aduersus  
diuinũ præceptum mortiferis serpentis  
sermonibus aures præbuerit. Meruit  
similiter esset mutum, vt laudes Dei  
prædicare non posset, quia non conti-  
nuit linguam suã à pestilenti colloquio  
seductoris. Meruit os habere conclusũ,

*Ibidem. 3.*

*Gen. 3.*

*Ibidem.*

eò, quòd contra diuinam obedientiam  
 illud voluit aperire, & cibum vetitum  
 manducare. O quantam pernitiem ho-  
 minibus attulit hoc humani generis  
 vitium. venenum enim omne quod ex  
 hac putri radice profluxit, in eum mo-  
 dum propagatum est, naturamque hu-  
 manam inquinavit, vt quo tempore  
 filius Dei incarnatus est, paucis quibus-  
 dam in Iudæa exceptis, totus mundus  
 implicitus fuerit innumeris erroribus,  
 ore, auribusque ad audiendam, vel con-  
 fitendam veritatem omnino reclusis.  
 Quid verò faceret homo in tam cala-  
 mitoso statu, nisi abiecta omni spe re-  
 mediij, rueret in exitium, & perpetuam  
 damnationem? Non erat vllus sub cœ-  
 lo, qui cuiquã manũ porrigere posset,  
 vtpotè omnes eidem miseriæ obnoxij,  
 omnes, vti scriptum est, facti erant in-  
 utiles, nec vel vnus inueniebatur, qui  
 faceret bonum: neq; poterat homo iu-  
 uare seipsum: cum nec habuerit aures  
 ad audiendam res ad salutem suam per-  
 tinentes, nec linguam ad exponendum  
 suas necessitates, vel ad inuocandum  
 cœlestem medicum, à quo solo iuari  
 poterat. Verùm vide, quemadmodum  
 benignissimus IESVS eius misertus  
 (vt enim solus eum condiderat, ita

*Psal. 13.*

TRIS MEDITAT. DE VITA

conueniens erat, vt solus cum redimeret) mira sapientia humanæ infirmitati succurreret. Nam sicut homo per inobedientiam perdidit auditum, & factus est surdus: sic vnigenitus filius Dei assumpsit aures ad audiendum, & paternam voluntatem exequendum, sicut ipse alloquens æternum Patrem dixit per Prophetam. *Sacrificium & oblationem voluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato nõ postulaisti, tunc dixi, Ecce venio, vt faciam voluntatẽ tuã.* Adhæc sicut homo sua culpa erat factus mutus, & loquelã amisit, sic verbũ Patris factus est homo vt per nos loqui posset. Et primo locutus est CHRISTVS, nõ solum offerendo preces, & supplicationes ad Patrem *cum clamore valido & lachrymis,* sed etiam locutus est cum hominibus, annunciando illis veritatem, & viam salutis tradendo. Secundò locutus est operibus, per omnem vitam laborando, vt suarum virtutum, conuersationisque suæ sanctæ exemplo informare nos posset, qua ratione & nos vitam instituere, ad placendum Deo, & salutem animæ nostræ consequendam debeamus. Deniq; locutus est CHRISTVS suo sanguine, quem pro ex-

pian-

*Psal. 29.*

*Heb. 10.*

*Heb. 13.*

*Baruc. 3.*



piandis peccatis nostris sparsit, qui sanguis tanto igne amoris sparsus multo melius locutus est, maioremque vim habuit apud Patrem, ad obtinendam *Heb. 12.* peccatorum veniam, quam habuerit *Gen. 4.* sanguis Abel ad obtinendam vindictam contra fratrem, à quo erat occisus.

2. **ADDUCTVS** est ad IESVM homo surdus & mutus. Inciderat hic homo in hæc duo gravissima mala, non vitio morbi, sed nequitia dæmonis à quo obsidebatur, ut alius Euangelista notavit. Itaque tria miracula in eo concurrerunt. nam primo liberatus est à dæmone, & simul illi restitutus est auditus & loquela. O quot surdi & muti inveniuntur in mundo, quibus dæmon occludit aures, & linguam ligat, ut nec audire, nec loqui possint de rebus ad salutem suam spectantibus. Ac primò quidè mali surdi sunt illi, qui non cognoscunt seipsum, nec conscientie suæ curam habent quæ continuò intra ipsos clamat, nunc reprehendens illos, quando sunt in peccato, nunc monens & docens, instar concionatoris, quid factò opus sit ad consequendam salutem. Verùm qui in cursu vitæ suæ noluerint præbere aures internis illis clamoribus & salutaribus

vocibus, postea in inferno illis vermis conscientiæ erit inter reliquas pœna grauissima & intolerabilis, Secundo, mali surdi sunt, de quibus scriptum est.

*Psal. 35.*

*Noluit intelligere, vt bene egeret, cuiusmodi occludunt aures diuinis inspirationibus, nec volunt audire vocem, vel quando per se interius eos admonet, vel per Scripturæ aut concionatores, aliosque Dei ministros hortatur ad fugiendum malum, & bonum amplectendum, de quibus conquerebatur*

*Esa 42.*

*DEVS per Propheta illis verbis. Quis cæcus nisi seruus meus? & surdus nisi ad quem misi nuncios meos? Tertio, surdi sunt, qui nunquam cogitant, nec audire sustinent de terribili voce tubæ ad cuius sonum mortui omnes excitabun-*

*Ioan. 5.*

*3 Thes 4.*

*tur. O quantam consolationem & lætitiã afferet tuba illis, qui modo non obsurdescunt, sed meditantur de illa, auresque suas semper apertas offerunt Deo ad obsequendũ diuinis eius mandatis, Contrã, quàm infautus & funestus erit sonus ille in auribus eorũ, qui nunc eum nolunt audire, nec vnquam mente pertractare volunt extremam & horribilem sententiam, quam CHRISTVS deponabit in peccatores, ITE*

*Matth. 25.*

*maledicti in ignem aternũ Quarto mali sur-*

*sur-*

surdi sunt, qui nolunt audire clamorem sanguinis Christi frustra pro eis effusi & sine fructu. Clamat pretiosus hic sanguis contra nos, quia peccata nostra CHRISTO mortem conciliantur. Clamat contra nos; quia non solum contemnitur à nobis, sed etiam conculcatur, non referendo Deo debitas pro tanto beneficio gratias, sed regrediendo ad committenda ea peccata, pro quibus Christus semel mortuus est: atque ita quantum in nobis est, sacrum illum sanguinem quasi de nouo spargimus. Quintò, surdi quoque sunt, qui occludunt aures ad clamores pauperum, vel, ut rectius dicam, Christi, qui in persona ipsorum pauperum petit eleemozynam, quibus eueniet, quod scriptum est *Qui obturat Prover. 21. aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse & non exaudietur.* Sextò, mala surditas est, quando homo occludit aures fratri postulanti veniam, & iniuriam sibi factam condonare non vult, de quo similiter Scriptura dicit, *Homo homini seruat Eccl. 29. iram, & à Deo quarit medelam?* quasi diceret, nullo modo impetrabit medelam. *Sed eadem mensura, qua mensus fuerit, Matth. 7. remanet ei.* Quare melius esset obsequi consilio sapientis: *Relinquo proximo nocenti te, & tunc deprecanti sibi pac-* Eccl. 27.

## 12: MEDITAT. DE VITA

*cata soluentur.* Denique surdi sunt, qui non audiunt clamorem creaturarum omnium, quæ eos inuitant ad agnoscendum & amandum suum creatorem. Heu DEVS meus, ecce cælum & terra cum omnibus in ea comprehensis omni hora clamant, & hortantur vt te diligamus. Nam volucres cæli, bestię terræ, pisces maris, omniaque à te nobis ad nostrum vsum, solatium, & sustentationem data, quid aliud vociferantur, quàm vt simus grati, & te tam liberalem benefactorem, tam dulcem amatorem, tam benignū Patrem, & tam misericordem Dominum, qui nos creauit, aluit & gubernat, amemus? Verum heu nos ingratos, qui ad tot commoditates & adiumenta, quæ à tuis creaturis habemus tam parum commouemur ad te diligendum, & pro officio nostro colendū, imò, quod deterius est, sæpenumero potius seruimus ipsis creaturis, non ad gloriam, sed dedecus & iniuriam tuæ Maiestatis. Ex alia parte non omnis surditas mala est, sed quædā bona est & laude digna. Primò enim cum laude obsurdescunt illi, qui aures claudūt diabolicis suggestionibus, & ne audiant vocē infernalis incantatoris, instar aspidis surdæ, cauda obtu-

obturant aures, hoc est, consideratione nouissimorū, mortis & diuini iudicij. Secundò, cum laude obsurdescunt, qui obturant aures ad detractiones proximorum, secundum consilium Sapiētis.

*Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguā nequā.* Eccl. 28.

Tertiò boni surdi sunt, qui nolunt præbere aures adulatoribus, qui quasi oleū sermone suo penetrāt & cōtamināt animas, de quibus scriptū est.

*Oleū peccatoris nō impinguet caput meū,* Psal. 104.

Deniq; boni & sancti surdi sūt, qui nō runt obserare aures vocibus mūdi, carnis & creaturarū, quę instar Syrenū prædulci cantu & illecebris homines inuitāt ad perfruendū voluptatib. huius sæculi, dicētes.

*Venite fruamur bonis quę* Sap. 2.

*sunt.* O quot diuites & potētes hodiè inueniuntur in mundo, qui vt legitur in Daniele, ad vocē fistulæ & cytharæ, inhiantes vanitatibus, & dignitatib. mūdanis, statuā aureā Nabuchodonozoris adorāt, neq; animaduertunt miseri hęc vanitatis Syrenē mel quidē in ore, sed venenum sub labris tenere. Vnde, dum sectantur hęc commentitiam dulcedinem, deprehendunt se veneno lætali-ter vulneratos, & moriuntur.

3. CONSIDERA deinde, perinde inueniri bonos & malos mutos, ac di-

ximus esse bonos & malos surdos. Ac primo mali muti sunt, qui nolunt aperire os ad diuinas laudes, & agēdas gratias Domino de acceptis beneficijs, nec loquuntur de rebus quibus possint iuare seipfos, & simul proximum ædificare. Secundò, mali muti sunt, quibus dæmon claudit os, & linguam ligat, ne confiteantur sua peccata; quod inimicus ordinariè facere solet tribus laqueis. Primus est verecundiæ, cum peccatorem pudet sua peccata patefacere, Vnde contingit, peccata hominem celata postea detegi angelis & toti mundo, vti minatur futurum Deus per Prophetam. *Reuelabo pudēda tua in facie tua, & ostēdā gentibus nuditatem tuam.* Secundus laqueus, quo dæmon ligat linguam peccatoris, est contemptus quando à verecundia victus & sæpe Spiritu sancto mentitus, incipit timore Dei destitui, & assumere audaciam, eò quod videt nullum se inde capere detrimentum. Itaque nullam amplius rationē habet Sacramentorū, imò nec CHRISTI ipsius, contra quos dixit sapiēs. *No igitur dixeris peccasti, & quid mihi accidit mali?* Et postea subiungit; *alissimus est patiens & redditor.* Redditor est, quia suo tempore unicuique.

red-

Num. 3.

reddet secundum sua merita, & quo longius expectauerit, hoc grauius illum postea castigabit. Ferrus laqueus, quo ligatur lingua, est spes temeraria peccatoris, qua differt confessionem in aliud tempus, atque etiam emendationem; atque si in eius potestate esset æquè pœnitentiam agere, ac peccare. Differt in finem vitæ, hoc est, tunc vult confiteri, quando amplius non potest peccare. De quibus dicit Sanctus quidam Doctor, se quidem concedere illo tempore illis pœnitentiam, tamen non pronunciare illos esse de salute securos. Præterea mali muti sunt, qui dum loquendi tempus est, tacent, & tacendo, quantum ad ipsos pertinet, iniquitati consentiunt. Nam quando vident iniuriam illatam proximo, vel audiunt infamia & dedecore alios affectos, aut etiam intelligunt ignominiam illatam Creatori, cum possint malum auertere & corrigere, silent, & declarant sua nihil interesse. Denique mali muti sunt illi Prælati & Pastores animarum, qui negligentes sunt in coarguendis suorum subditorum vitijs, in rudibus instruendis, & ouibus sibi commissis salutari doctrina pascendis. Atque hi sunt canes muti, de qui-

*Isaia 56.*

bus loquebatur Propheta: *Canes muti nō valentes latrare, qui à Domino constituti ad custodiendum gregem, cum negligentia sua & socordia lupo infernali depascendum relinquunt. E contrario sancti & boni muti sunt, qui tacent, & non respondent, quando verbo vel factō aliqua illis irrogatur iniuria, sed nec verbo vel opere eam vindicare conantur. Quia in repulchrè imitantur*

*Isa 53.*

*Dominum, de quo scriptum est, quod quasi Agnus coram rōdente se obmittit. Et ipse Dominus similiter dixit per Prophetam*

*Ego autē tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperui os meum.* Deinde boni muti sunt, qui

*Acto. 3.**Psalm. 37.*

loquuntur quando loquendi tempus est, & tacent, quando est tempus tacendi, refrenando linguam suam à verbis

otiosis, murmurationibus contra proximum, aliisque omnibus sermonibus & colloquijs, quæ cedunt in offensam

DEI, & proximi scandalum. Et hoc est, quod Propheta sibi à Domino concedi petijt *Pone Domine, inquitens, custodia*

*Psalm. 140.*

*ori meo, & osium circumstantia labijs meis.*

4. ADDUXERE ergò ad CHRISTVM hunc hominem surdum &



mutum, orando illum, ut tactu manuum suarum illum liberare vellet. Vbi primò considera, magnam horum piorum hominum fidem, quia crediderunt Dominum solo manuum tactu posse sanitatem reddere infirmis; & simul caritatem, nam sola misericordia huius miseri hominis moti, curandum illum suscepere, & cœlesti Medico obtulere. Vide quoq; quam efficaces eorū preces fuerint, cum tam facile & cito impetrarint, quicquid tanta cum fiducia postularunt. Ex alia parte considera Saluatoris benignitatem, quod non ipsorum tantum infirmorum, sed aliorum quoque pro ipsis preces exaudiat. Et si Dominus id faciebat hominibus in terra, quid cogitandum est eum facere nunc in cœlo, ubi & à dilecta sponsa sua Ecclesia, & à suis Sanctis, qui nunc securi de salute sua & adhuc solliciti de nostra, summa fruuntur gloria, continuis orationibus interpellatur & rogatur, ut velit nostris humanis ærumnis succurrere? Quare & nos longè securius possumus recurrere ad istos gloriosos intercessores, certi nos per illos obtinere posse omnia beneficia spiritualia ad salutem necessaria; quandoquidem videmus

hos homines à nemine rogatos subito  
 à CHRISTO salutem corporalem  
 huius surdi & muti potuisse obtinere.  
 CVM ergo CHRISTVS piorum  
 illorum hominum precibus facere fa-  
 tis vellet, è conspectu turbæ hunc sur-  
 dum & mutum remouit: vbi notare  
 possumus magnam eius humilitatem:  
 sicut enim post patratum miraculum  
 vetuerat, ne enunciaretur in vul-  
 gus, ita nunc miraculum facturus  
 refugit hominum præsentiam. In quo  
 etiam illud declarare voluit, inter ho-  
 mines nihil nisi miseras & morbos  
 reperiri, & idcirco è turba hominum  
 hunc miserum extraxit: neque enim re-  
 medium ab hominibus, sed à solo Deo,  
 à quo solo omnis salus, haberi poterat.  
 Solus DEVS est, qui oculos conijcit  
 in animam, quam mera bonitate &  
 misericordia sua saluare decreuit, ille  
 solus eam extrahit, & secernit è massa  
 perditionis, solus sanat, conseruat, &  
 tandem ad salutem perducit. Beatæ a-  
 nimæ, quibus Dominus singularem  
 hanc imperit gratiam, vt potenti, be-  
 nigna que manu sua eas extrahat è tur-  
 bulento hoc sæculo, vt proprius con-  
 templari possint tuam inestimabilem  
 pulchritudinem, & suauissimum illud

murmur arcani tui colloquij in corde suo sentire, quod sentiri non potest ab ijs, qui dies vitæ suæ in huius sæculi tumultibus, & in hac confusione Babylo-nica raducunt. O anima mea, vtinam gratiam illam consecuta essem, vt sim exijs quas Dominus elegit & separauit ab hoc maligno sæculo. Eia trahe me quoque ô dulcis I E S V, vt ab omnibus curis terrenis diuulsa curram post te in odorem vnguentorum tuorū. Duc me *CANT. I.*  
in solitudinum æternæ pacis, & colle- *Ose. 2.*  
ctionis animæ meæ, vt ibi mihi loqua-  
ris ad cor, & aures meæ ad suauissimam  
vocem tuam sint apertæ; lingua quo-  
que ad te laudandum, benedicendum,  
& gratias pro tot beneficijs reddendas  
soluta.

5. C O N S I D E R A modum quem tenuit hic cælestis Medicus in restituendo auditu, & loquela huic mi-fero homini. id enim fecit, immitten-do digitos suos in eius aures, & sputo linguam tangendo, vt intelligeretur illum venisse ad omnes corporales & spiritales infirmitates nostras humani-tate sua sacratissima, tanquam manu & principali diuinitatis suæ organo curandas. Ita alibi sæpe legimus in-firmos ab eo tactu sacrarum manuum

cuis, vel fimbriæ vestium sanatos. Misit igitur Dominus digitos suos in aures muti, vt demonstraret se esse Creatorem, nam iisdem digitis voluit reformare & restituere aures, quibus easdem formârat & condiderat. Quid verò digiti Domini aliud designârunt, quam dona sancti sui spiritus, quibus aperit aures animæ, disponendo eam ad audiendum libenter, & cum voluptate verbum Dei, aliâque ad salutem spectantia, quæ prius audire renuebat? Quare inanem operam serui Dei in prædicando, hortandisque peccatoribus ponerent, nisi hic cœlestis Medicus prius in illorum aures hanc salutiferam vntionem instillasset, conuenienter illi, quod ipse Dominus dixit. *Omni qui*

*audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Beatæ aures quæ tactæ fuerint à CHRISTO: Si enim beatæ erant, quæ vt ipse dicit tantum audierant verbum Dei, quanto beatiores erunt, quibus ipse CHRISTVS suis manibus auditum aperuit, non corporis modo, sed etiam animæ, ad audiendum simul & credendum in illum? Deinde Dominus diuini oris sui salua attigit mutilinguam. O æterna sapien-

Ioan. 6.

Matt. 13.

tia Patris, quanto amore flagrasti in  
 nos? & quantum pro salute nostra  
 laborasti, nam ut posses pro nobis  
 peti, & vitam nobis morte conciliare,  
 indui voluisti carne nostra, & homo  
 fieri. Verum quia nihil profuisset pas-  
 sio & mors tua ad iustificationem ho-  
 minis & salutem, si ille non credidisset,  
 confessusque fuisset hanc verita-  
 tem, nam, ut habet Apostolus, *Cor. Rom. 10,*  
*de creditur ad iustitiam, ore autem con-*  
*fessi sit ad salutem: idcirco sicut alibi Ioan. 9.*  
 tangendo sputo oculos cæci nati, a-  
 peruisti oculos mentis omnium ho-  
 minum, ut lumen fidei reciperent:  
 sic nunc eodem sputo tacta huius mu-  
 ti lingua os hominum aperuisti, ut  
 eandem fidem confiteri possent. Et  
 quoniam parum homini profuisset,  
 mente tantum intelligere res diuinas  
 & ore confiteri, si non affectu pariter  
 voluntatis eas degustaret, ideò con-  
 uenientissimum fuit, ut Dominus post  
 curatam mentem tactu aurium sur-  
 di, curaret etiam palatum animæ  
 dono sapientiæ, per saliuam ex ore  
 defluentem significatæ: de qua sa-  
 pientia quoque scriptum est. *Ego ex ore Eccl. 24.*  
*alissimi prodium primogenita ante omnē*

*creaturam.* Tanta autem est huius diuini saporis & dulcedinis, quam Deus animis infundit, vis & energia, vt præ illa omnes facillè voluptates mundanæ contemnantur. Vnde quando Deus dignatur hoc diuinæ suæ dulcedinis dono purgare palatum animæ alicuius vario rerum terrenarum & carnaliū sensu infectæ, mox hæ omnes redduntur ei amaræ, easque ceu lætale venenum fugit & horret. Beatus mutus cuius lingua meruit diuina saliuæ oris ipsius Dei abluui. Non dubium, quin felix hic mutus incredibilem quandam dulcedinem & voluptatem interius persenserit, quando Dominus pariter cum oris sui saliuæ animæ infundens donum sapidissimæ sapientiæ degustandum ei dedit. *Quam dulcis & suavis est Dominus.*

*Psal 33.*

6. HOC factò, ait Euangelista, Dominus suspexit in cælum, & ingemuit, O Creator mundi, quidnam potuit cor tuum infinito amore plenum permouere ad gemendum & supirandum? O lætitia Angelorum, cur turbaris, & oculos tuos Sole lucidiores subleuas in cælum? Certè non aliud ad hoc te commouit, quàm quia in illo homine naturæ nostræ infirmæ statum confidera-

derasti, & videns in quantum vilitatem  
 & seruitutem è summa dignitate & fæ-  
 licitate deturbata sit, ex mera commise-  
 ratione ingemisti. Verum ex alia parte  
 quantum solatium, quanta voluptas a-  
 nimæ meæ accessit, dum considerat  
 hunc gemitum Creatoris ex mero amo-  
 re suæ creaturæ profectum? Mihi profe-  
 ctò Ò DEVS meus multum peccatum  
 meum, meaque miseria displicet, sed te  
 ingemiscente & suspirante pro me, vi-  
 deor mihi in mea miseria beatus. O sus-  
 pirium, quod infundis spiritum, & viui-  
 ficas mortuos. O suspirium transiens  
 cœlos, & diuinum Patris æterni pectus  
 penetrans, eumque quasi compellens  
 ad miserendum nobis. Hi sunt gemitus  
 qui omnem gratiam, omneque auxiliū  
 impetrant de cœlo. Nec alius effectus  
 fuit in hoc surdo & muto; cui in mō-  
 mēto ad tuū imperium patefactæ sunt  
 aures, & vinculum linguæ solutum est.  
 Ingemisti Domine mi, & suspexisti  
 in cœlum, vt homo, ad impetrandam à  
 Patre huius infirmi salutem; sed vt DE-  
 VS dixisti, Epheta, hoc est adaperire, di-  
 uina autoritate & potestate mandando  
 creaturæ, & restituendo illi esse, quod  
 in prima sua creatione illi dederas. Le-  
 gitur de te, quod *Iudæes in orbe terrarum,* Prou. 80.

nullo labore hunc mundum creaueris, sed nunc ad eum reformandum ingemiscis & suspiras: nec mirum, quia in opere creationis nullus tibi resistere potuit, at heu in opere redemptionis per arbitrij nostri libertatem quantopere repugnamus, quot obstacula diuinæ gratiæ ponimus, quantum laboris sudorisque tibi creamus, vt nos extrahas, è luto peccati? sicut conquerens dixisti per Prophetam, *Laborare me fecistis, in iniquitatibus vestris.* Quantus verò labor est Domine, quem tibi imponimus? maximè cum aliud nihil agamus, quàm quod destruiamus vel vitiumus summa pulchritudine, & rectitudine à te creata. Ingemuit ergo benedictus IESVS propter nostras humanas misérias, ingemuit ob peccati grauitatem & enormitatem, à quo omnes ærumnæ nostræ originem habuerunt. Et certè non potuit non summum & deterrimum malum esse, quod ex pectore illo diuino gemitus & suspiria expressit, nec iustissimo illi iudici vllum grauius malum est culpa mortali, quandoquidem illi nec supplicia inferni ex omni parte mala cēsentur, nisi ratione peccati. Legimus alijs duabus vicibus eum signa doloris demonstrasse, sed tantum ob peccata



eata. Et primò quidem, quando ita ma-  
 litia & peruersitas hominum creuit, vt  
 DEVS *tactus dolore cordis intrinsecus*, di-  
 xerit. *Delebo hominem quem creauì à fa-* *Genes. 6.*  
*cie terra ab homine vsq; ad animalia: po-*  
*nit et anim me fecisse eos.* Atque ita locu-  
 tus est Deus, non quod in eius pectore  
 beatissimo & immutabili, locus esse pos-  
 set dolori aut pœnitentiæ, sed quia talis  
 cōsecutus est effectus, ac si doluisset. Nā  
 vt homo dolens se rem aliquam cōstru-  
 xisse, mox solet eam destruere & euerte-  
 re, sic Deus immisis in terram diluuij  
 aquis, destruxit hominem & anima- *Genes. 8.*  
 lia à se condita. Secundò; Dominus in-  
 ternum suum dolorem demonstraui  
 apud sepulchrum defuncti Lazari, idq;  
 cum fremitu & lachrymis, & propter *Ioan. 11.*  
 sola peccata nostra, quorum causa mors  
 mundum ingressa erat. Sed heu licet tā-  
 ta sit peccati grauitas & sceditas, tamen  
 homines nō desistūt sponte & cum vo-  
 luptate etiam in omne scelus quotidie  
 ruere, quasi exultādo in sua miseria, sic-  
 ut de illis scriptum est. *Latantur cū ma-* *Prom. 24.*  
*le fecerint, & exultant in rebus pessimis.*  
 Meritò ergo CHRISTVS pro tanta  
 hominum temeritate & audacia gemit  
 & suspirat, instar misericordis Patris,  
 Aultam filij sui lætitiā considerans,  
 qui

136 **MEDITAT. DE VITA**

qui velut phreneticus, expers omnis rationis ruit in exitium, Doles mi dulcis IESU non propter tua, sed mea vulnera, non ob tuam mortem, sed ob meam infirmitatem. O anima mea agnosce semel vt minimum ex hoc gemitu Domini tui peccatorum tuorum gravitatem, quandoquidem aduertis Dominū vniuersi dolere vel ingemiscere non sui, sed tui periculi causa; tu quoque, cuius res agitur, cuiusque salus in discrimen vocatur, age, vt dum tempus est pœnitentiæ ac misericordiæ, contiuuis lacrymis & gemitibus tuas iniquitates deplores, profundisque suspirijs veniam pro omnibus erratis, quibus Deum offendisti, postules, vt breui huius vitæ planctu liberare te possis à sempiterno planctu inferni, & ad æterna Paradisi gaudia peruenire.

7. **CONSIDERA** denique profundā benedicti Iesu mirabilium operum effectoris humilitatem, quod post patratum hoc eximium miraculum restituti auditus & loquelæ, prohibeat omnibus ne publicent, nec manifestent illud cuiquā. At qua ratione Domine mi vis tacere illū cui soluisti vinculum vt loqueretur? Si enim ille à te curatus est, & facultatem expeditè loquēdi recepit, qua

alia

alia in te linguam suā occupare debet, nisi in prædicandis & decantandis tuis laudibus & miraculis: atque ideo merito deuotæ illæ turbæ hoc magis extulerunt voces suas, quò studiosius eis silentium imperasti. Fac ergo eis potestatem loquendi, nam in te conueniunt laudes Ô DEVS Israel. Si enim tu dixisti, *Gloriam meam alteri non dabo*, non debes grauatè ferre, si homines non recusent, sed reddant, quod tibi debetur, & quod tuum est. Præterea cum tu dixeris, neminem accendere lucernam, vt ponat eam sub modio vel lecto, sed super candelabro, vt luceat omnibus qui in domo sunt; quare tu vera lux, qui uenisti ad illuminandum tuis mirabilibus operibus mundum, iam vis eam abscondere sub paucarum personarum silentio, & non potius mandas, vt ad utilitatem & salutem multorum, publicentur omnibus? Verùm bene aduerto hoc præceptum à te profectum: non vt obligares quenquam eorum ad silentium, sed vt præberes eis humilitatis exemplum: quæ uirtus uti multum fuit à te amata, ita uoluisti eam in operibus tuis semper relucere. Agite ergo benedictæ turbæ, clamate audacter: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos lo-*

Esa. 42.

Luc. 8.

*Gen. 1.*

*loqui. Imò valde bene fecit, nam vti scriptum est. Vidit Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona.* Tu certè non scis quicquam facere nisi bonum & bene: & si quid mali est in creaturis, id non est, nisi à nobis. Si autem omnia naturæ opera à te facta sunt tam bona; quid quæso dicemus de spectantibus ad gratiam & redemptionem nostram, quæ miraculis à te factis repræsentantur? Quæ lingua dignè vnquam posset exprimere & declarare admirandam sapientiam, bonitatem & potentiam, quam in restitutione & liberatione generis humani demonstrasti? Dicite ergo benedictę turbę & nos vnà vobiscum, *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* O Domine mi, quot furdis aperuisti aures intellectus, quot mutis linguam soluisti, vt possent enunciare & de prædicare tuas diuinas laudes? sicut promisisti per Prophetam illis verbis, *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Quare primi clamate vos sancti Apostoli. *Non possumus quæ vidimus & audiimus non loqui.* Exurgite agmina Martyrum & Virginum, & sapientia, quæ idē Dominus ori vestro infudit, cōfundite aduersarios vestros, vt appareat vana & stulta mundi sapientia, auresque eorum patefiant ad intelligenda

*Esa. 48.**Act. 4.*

da mysteria pusillis & humilibus reuelata. Et tu quoque anima mea, ingredere parum in teipsam, & considera speciatim, quoties Dominus suis sanctis inspirationibus tibi aperuerit aures, & lingue tuæ imposuerit canticum nouum, vt in eius laudibus & præconijs semper occupata esses & continentes gratias huic singularissimo tuo benefactori rependeres. *Qui exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseria, & de luto fecis, & statuit supra pedes meos, & direxit gressus meos. Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.*

*Matt h. 10.**Psalm. 39.**Psalm. 145.*

## COLLOQVIVM.

**O**BSECRA Christum Dominum vt, sicut digito & saliuâ sua facultatem audiendi & loquendi illi homini restituit, ita in auribus intellectus tui ponere velit digitum sui sancti Spiritus. animæ vero tuæ ori gustandam dare suæ bonitatis dulcedinem: vt vocem eius possis audire, & promptè eiusdem sanctis mādatis obedire, ac simul lingua confiteri & semper benedicere sanctissimum eius nomen: atq; ita nunquā cessando ab eius laudibus mundo prædicādis, tum verbo, tum vita sancta, eadem misericordia qua te dignatus est, possis & alios

140 MEDITAT. DE VITA  
& alios multos exemplo tuo ad eam col-  
lendam & glorificandam attrahere.

DOCUMENTA.

1. **Q**VI adduxerunt hunc infirmum ad  
Christum, orarunt pro illo, & Do-  
minus eum liberavit. Quo docemur, si  
quando obtinere velimus gratiam ali-  
quam vel auxilium à Domino, non debe-  
re tantum nos ipsos illum orare, verum  
etiam sanctis vii intercessoribus, ut per  
eorum orationes mereamur obtinere quod  
petimus.

2. Christus sanaturus hunc hominem,  
semonit eum à turba. Si sanari velimus à  
Christo, & liberari à peccatis, necesse est  
ut secedamus à turba, hoc est à prava so-  
cietate, fugiamus tumultus mundi, & omnes  
peccandi occasiones, nã scriptum est. Qui re-  
tigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui  
cõmunicat superbo, induet superbiã, &  
amicus stultorum similis efficietur. Cor-  
rumpunt enim, ut loquitur Apostolus,  
bonos mores colloquia prava. Et con-  
tra, scriptum est. Qui cum sapientibus  
graditur, sapiens est.

3. Christus expuit, & saliva sua attingit  
muti linguam. Vnde discimus, uti stoma-  
chus purgatur prauos humores exspuen-  
do, sic ad purgandum stomachum consci-  
entia:

Eccl. 13.

1. Cor. 15.

Prou. 13.

antia, per confessionem euomenda esse foras peccata nostra, ut simus liberi à dæmonio muto, quod ipsorum peccatorum laqueis ligatam tenebat animam nostrā.

4. Dominus liberaturus hunc infirmū suspexit in cælum & ingemuit. Vnde discimus, quoties in arumna aliqua corporali vel spiritali sumus, unicum remedium esse attollere oculos in cælum, & cum gemitu ad auxilium diuinum confugere: nam si in terram oculos defigamus, nullū inde suppetet auxilium, quod de cælo tantum venit à Patre luminum, à quo Omne datum optimum, & omne donum perfectum. Et idem dixit Propheta. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.*

Iacob. 1.

Psalm. 121.

5. Christus quoq; respexit in cælum, & gemit, ad docendum peccatorem, ut vtrumq; præstet, nempe, ut sic deploret peccatum suum, ne de venia desperet, confidendo diuina misericordie, nec faciat quæadmodum Iudas, qui doluit quidem, seq; pœnitere demonstrauit de peccato, sed nō suspexit iu cælum, quia desperauit, & malè vitam clausit.

Math. 27.

6. Hic homo primò recuperauit auditū & deinde loquelam, ut intelligamus nos, antequam idonei simus ad loquendū de rebus diuinis, & ad alios exhortandos, de-

debere prius esse discipulos, & primò habere duces patulas ad audienda quæ Deus in nobis loquitur, & in nobis ipsis illa meditari, quàm alios doceamus.

7. Post factum miraculum, partim Christus, vetuit illud publicari, partim turbae illud publicè prædicarunt & Christum collaudarunt. Vbi primò à Christo discimus, quantum studium adhibere ad conservandam humilitatem debeamus, ex parte nostra omnem laudem propriam defugiendo & vanam gloriam, ac optando ut bona opera nostra lateant, atq; ipsi in notitiam hominum non veniamus. Secundò discimus à turba, ut conemur grati esse pro beneficijs à Domino receptis, laudando eum & benedicendo in æternū. Deinde ut Zelum habeamus tuendi alterius honorem & bonam famam, nos ipsos semper demittendo, & præferendo ac honorando alios.

8. In hac oratione à CHRISTO facta expressus est modus, quo homo peccator seipsum sanctificare possit; ad quam sanctificationem octo concurrunt, duo ex parte nostra, & sex ex parte Dei. Primò igitur turba adducunt infirmum ad Christum eumq; precantur ut velit eum curare: atq; hæc sunt adiumenta, quæ habemus à con-  
cionatoribus, alijsq; hominibus pijs:



deinde preces Ecclesia, orationes Sanctorum, & hominum iustorum, pro nobis supplicatum, ut exhortatur S. Iacob. *Iacob. 5.* Orate pro inuicem, ut saluemini. Secundo adductus est hic homo ad Christum, quo significatur liberi arbitrij nostri concursus: neq; enim satis est, alios hortari nos, & precari pro nobis, sed opus est nos quoq; diuinis inspirationibus consentire, & sponte Christum adire, remouendo occasiones peccandi, & faciendo quicquid ex parte nostra possumus. Atq; hæc duo requiruntur ex parte nostra. Ex parte uero Dei, Primum est, quod illum separauit à turba, uti legimus eum fecisse cum Abrahamo, cui dixit. Egredere de domo tua *Gen. 12.* Quod Deus facit, ut diuellat nos à conuersatione huius mundi, saltem animo; affectum nostrum abstrahendo à cupiditate rerum terrenarum, sicut ipse dixit. Ego *Ose. 2.* ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Secundo immisit digitos suos in aures huius surdi. Quod facit Deus nobis, quando Sancti Spiritus sui donis, per digitos significati aperit aures intellectus, ut intelligere possimus ueritatem, & quod Deus in nobis loquitur. Tertio salina attigit linguam huius muti. Salina designat sapienciã, ab intellectu, uelut salinam à capite profluentẽ, qua Deus uo-

luo-

Rom. 5,

luntatem nostram ad benefaciendum inclinat, impertiens simul voluptatem & facilitatem in agendo. Quarto, Christus respexit in caelum: quia gratia cum alijs donis caelestibus venit de superis, & à Deo infunditur. Quinto, Christus ingemit, quia eadem gratia à Deo nobis comunicatur propter meritum passionis Christi D. N. & gemitum ipsius. Sexto, dixit Dominus, Epheta, quo demonstratur Sacramentorum necessitas, quorum forma ita instituta est in prolatione verborum, ut ea peracta homo interiorius efficiatur sanus & liberetur à peccatis, non secus quam hic mutus & surdus, ad prolationem verbi Epheta à Domino factam, ab omni infirmitate sanus factus est. Post hac omnia Christus mandavit ne miraculum hoc manifestaretur, ut indicaret, opus nostrae iustificationis in hac vita esse occultum, nam ut scriptum est, nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.



Eccl. 9

DE



DE CONFES-  
SIONE PETRI, ET  
AVTORITATE EI  
DATA A CHRI-  
STO.

MEDITATIO VI.  
EVANGELIVM.

**I**N illo tempore venit IESVS in *Matth. 16.*  
partes Cæsareæ Philippi, & in *Marc. 8.*  
terrogabat discipulos suos di-  
cens. Quem dicunt homines esse fi-  
lium hominis? At illi dixerunt. Alij  
Ioannem baptistam, alij autem He-  
liam, alij verò Hieremiam, aut vnū  
ex Prophetis. Dicit illis IESVS. Vos  
autem quem me esse dicitis? Respon-  
dens Simon Petrus dixit ei. Tu es  
CHRISTVS filius Dei viui. Respon-  
dens autem IESVS, dixit ei. Beatus es  
Simon Bar Iona, quia caro & san-  
guis non reuelavit tibi, sed pater  
meus qui in coelis est. Et ego dico ti-  
bi,

146    MEDITAT. DE VITA  
bi, quia tu es Petrus, & super hanc  
petram ædificabo Ecclesiam meam,  
& portæ inferi non præualebunt  
aduersus eam. Et tibi dabo clauēs  
regni cœlorum. Et quodcunque li-  
gaueris super terram, erit ligatum  
& in cœlis, & quodcunque solueris  
super terram, erit solutum & in cæ-  
lis.

FIGURAE.

*Gen. 49.*    1. **I**ACOB benedicens suos filios, ut  
ad Iosephum super alios omnes  
amatam peruenit, post datam ei copi-  
osam benedictionem, & mentionem  
persecutionis fratrum factam, subie-  
cit. Inde egressus est pastor lapis  
Israel.

*Leu. 13.*    2. Deus in veteri lege potestatem  
dedit sacerdoti iudicandi leprosos, in-  
cludendo & condemnando eos qui in  
lepra perseuerabant: liberando eos &  
mundando illos qui signa sanitatis  
monstrabant.

*3. Reg. 17.*  
*Cap. 18.*    3. Deus dedit potestatem Eliae Pro-  
pheta orationibus suis claudendi &

ape.

aperiendi cœlum, vt dimitteret vel non dimitteret pluuiam, prout illi videbatur.

## P R O P H E T I A.

**E**cce ego mittam in fundamentis Sion *Esa. 28.*  
lapidem probatum, angularem, pre- *1. Pet. 2.*  
tiosum in fundamento fundatum. *Act. 30*

## C O N S I D E R A T I O N E S.

**I**Bat clementissimus generis humani redemptor, pro conuersione & auxilio animarum, indefesso studio & furore vltro citroque discurrens per totam Iudææ ditionem, & omnes ad pœnitentiã hortabatur: ad id enim erat missus, vt quæreret oues aberrantes domus Israel. Dum ergo officium à cœlesti Patre commissum omni diligentia exequitur, venit in partes Cæsareæ, ibique vt erat ad omnes homines iuuandos intentus, voluit imprimis suos discipulos in fidei merito promouere, & ideo quæstionem illam proposuit. Quem dicerent homines esse filium hominis? Nôrat quidem benedictus IESVS, vt pote DEVS, cuius solus est penetrare arca na cordium, quæq; *nulla latet cogitatio,* quæ hominum de se esset opinio; sed ta- *Iob 42.*  
men atq; si nō nosset, more hominum

interrogare voluit. Cur verò æterna sapientia Patris id facis? an fortè teneris desiderio laudum tuarum audiendarum? non certè; nam vt omittam fugisse te te semper istas laudes, verbisq̃ue & factis vt humilem Magistrum omnes humilitatem docuisse; exiguæ laudi tibi erat, vt, qui eras splendor gloriæ, & figura paternæ substantiæ, habereris vel pro Ioanne Baptista, vel Helia, vel Hieremia. Id ergo mouerit te ad quæstionem hanc faciendam, vt nempe dilecti tui discipuli ex vera & fideli confessione sua referrent meritum & præmium: in salute enim hominum concilianda requiris etiam ipsorum hominum cooperationem; exigis vt tuæ diuinæ gratiæ etiam nostrum adiungatur liberum arbitrium, *ne in vacuum eã recipiamus*, vt loquitur Apostolus, Deinde mouerit pariter te Domine mi; inflammatum! pectoris tui desiderium, ad depellendas viuificæ lucis tuæ splendore tenebras ignorantiæ, quæ adhuc mentes Apostolorum obscurabant; ne tempore passionis tuæ, quo tu verus Iustitiæ sol obscurandus eras, vnà cum illis Iudæorum manerent obscuratæ. Itaque voluisti eas exiguo hoc lumine collustrare, vt te cognoscerent esse ve-

rum

Hebr. 1.

1. Cor. 6.]

rum Dei Filium, & Redemptorem totius mundi: nam fingendo te non scire, quid alij de te sentiant, illis declaras, pro quo verè sis habendus. In qua quæstione, vide, quomodo ex vna parte maximè eluceat eiusdem Domini humilitas, quia non quærit, de opinione summorum Sacerdotum, Scribarum, & Phariseorum, sed vulgarium tantum & plebeiorum, suorumque pauperum discipulorum, quia hi maiori desiderio tenebantur cognoscendæ veritatis & viæ salutis, quàm illi. Vnde & IESVS potius gaudebat ab humilibus, quàm à magnæ auctoritatis & nominis personis cognosci & recipi, sicut de eo scriptum est. *Et cū simplicibus sermocinatio eius*, Ac sicut dixit S. Iacob. *Elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide.* Ad hæc vide, quanta modestia Dominus de se loquens non se nomet in propria, sed in tertia persona: cum quæ alijs nominibus uti posset, tamen utitur tantum nomine *filij hominis*, quod lingua Hebræa, qua CHRISTVS utebatur, significat hominem plebæum & vulgarem. VERVM bone IESV, cur negligis tot alios titulos meritò tibi congruentes, & solum assumis filij hominis? Verum est, Domine, hominem te esse

*Prou. 9.  
Iacob. 1.*

opera Spiritus sancti conceptum ex purissimo Virginis utero: sed verissimum quoque est te esse DEVM, altitissimi filium, de quo audita est vox de cœlo in tuo baptismo. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et cui ab omni æternitate dixit idem æternus Pater, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

*Matth. 3.*

*Psalms. 2.*

Quare ergo non potius quæris, *Quæ dicunt esse filium Dei?* sed quæris, *Quem dicunt esse filium hominis?* Non certè conuenit Domine mi, sponsum cognomine sponsæ appellari, at potius sponsam cognomine sponsi. Sed heu idem ipse amor, qui impulit te cùm esses DEVS, hominem fieri; effecit nunc, vt cùm meritò posses vocari filius Dei, malueris tamen filij hominis nomen vsurpare: tanto enim amore profecutus es humanam naturam sponsam tuam, vt uolueris eam exaltare, & honorato cognomine tuo nobilitare, atque ideo uoluisti omnes fideles appellari filios Dei, quando modum orandi tradidisti illis uerbis *Pater noster qui es in cœlis.* Tu autem humilians te ipsum, uoluisti semper appellari nomine ipsius sponsæ, & ideo nunc dicis. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Cùm ergo ô anima mea, videas IESVM tuum tantoperè

*Mat. 6.*

gau-



gaudere & oblectari nomine filij hominis, æquissimum est, vt tu quoque tibi complaceas, & delecteris nomine filiæ Dei, maliq̄ue contemnere & perdere omnia alia nomina & titulos, qui à mūdo tibi dari possunt, quàm amittere hūc vnum tam honorificum & à Deo tibi communicatum.

2. RESPONDERVNT ergo Apostoli ad quæstionem CHRISTI, & varias opiniones populi retulerunt, vt quod alij eum existimarent esse Ioannē Baptistam, alij Heliam, Hieremiam alij, vel vnum ex Prophetis. Vbi considera magnam illius gentis cœcitatē, quod cū paulò antè oculis suis vidissent singulare illud miraculum in testimoniū diuinitatis patratū, de saturatis exiguo *Matth. 24* pane tot hominum millibus: nihilominus more hominū, humano more res æstimantium, non potuerint sublimiorem de CHRISTO formare opinionem, quam eum esse vnum ex veteribus illis Prophetis, qui puri homines fuerunt. Et sicut per intellectus cœcitatē ad notitiā veritatis non peruenerunt, sed ab ipsa veritate, seipsos fallentes, aberrarunt, sic quoque sententijs, iudicijsq̄ inter se discordes fuerunt: hæc enim mendacij proprietates est, semper esse varium:

& à se diffentiens , sicut contra proprium veritatis est, vt vna tantum sit, & sibi semper consentiens. O benedictè IESVS; quàm parum cognitus es. iam multis annis laboraueras in illo populo prædicando, conuersando, & miracula multa faciendo , & tamen nondum cognoscunt, quisnam sis. Certè si non fecisses signa & opera , qualia nullus alius vnquam inter ipsos fecit, non magnum esset, si te non cognoscerent: verùm cum tanta feceris, quæ satis sint ad manifestandam tuam diuinitatem, non modò in Iudæa, sed in toto terrarum orbe , negari non potest, valde magnam eorum fuisse ingratitudinem, eoq̃ue maiorem, quanto plures inter eos ipsos, qui te non agnouère, fuerunt, quos singularibus beneficijs affeceras. Nos autem ex ista eorum cœcitate & tenebris, habemus occasionem magni luminis capiendi, ad agnoscendos nos ipsos, ingentemq̃ue obligationem , qua Dominus per specialia beneficia nos sibi deuincit: nam & nos eramus homines, nec minus quàm ipsi peccato originis exœcæcati; itaque oculi mentis nostræ minus idonei erant ad perspiciendas res supernaturales & diuinas, quam oculi no-

tua

*IOANN. 15.*

& quæ corporales ad contemplandum  
 lumen solis. Vnde possumus intellige-  
 re, quantum nunc de diuinis mysterijs  
 capimus & comprehendimus, non iam  
 nos illud lumine nostro, sed lumine fi-  
 dei à Deo per suam gratiam & infini-  
 tam bonitatem communicato perspi-  
 cere: in quo habemus magnam conso-  
 lationis materiam, quando quidem in-  
 uenimus nos esse (quæ est ipsius gratiæ  
 merces) intra sanctæ & Catholicæ Ec-  
 clesiæ gremium, tanto que in hoc lumi-  
 ne cõfirmari magis, quod Dominus no-  
 bis communicat, quanto clarius expe-  
 rimur opinionem fidelium omnium  
 hac in re esse consentientem, imò vnã  
 tantum, cum hæretici & schismatici  
 tantum opinionibus inter se dissideant,  
 & contra se mutuo digladiantur: quod  
 efficacissimum argumentum est, fidem  
 nostram veram esse, templumque hoc  
 Ecclesiæ sanctæ, in quo versamur, esse  
 illud de quo scriptum est. *Verè Dominus* *Gen. 28.*  
*est in loco isto,* nam vt dixit ipse Deus,  
*Vna est formosa mea, vna est colūba mea* *Cant. 6.*

3. CONSIDERA suauem diuinæ  
 prouidentię dispositionem, quæ sicut  
 in omnium operum suorū executione  
 postulat nostram cooperationem, sic  
 nunc ad dandam occasionem Petro

merendi, comparandi que se confessionis & fidei beneficio ad gradum, ad quem erat prædestinatus, post cognitam aliorum de se opinionem interrogat discipulos suos dicens: *Vos autem quem me esse dicitis?* quasi diceret, Alios homines huius sæculi, nihil nisi humanum de me cogitare, mirum non est: *animalis enim homo non percipit ea que Dei sunt.* sed tantum miraculis exterioribus capitur, nec ad inuestiganda interiora progreditur.

*Ceterum vos, qui estis quasi Dei, quoniam non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo, aliorumque hominum consortio, vos quibus datum est nosse mysteria regni Dei, quibusque tanquam amicis mea arcana patefeci, omniaque alia que audiui à Patre meo: Vos denique qui non velut turbæ in itinere per transennam meam doctrinam hausistis, & miracula vidistis, sed sæpius à me in rebus ad maiorem perfectionem pertinentibus instituti estis, multoque plura & maiora miracula, quam turbæ, conspexistis, quam opinionem habetis de me, quod testimonium mihi datis? neque enim mihi satis est, vos sectari aliorum hominum opinionem, sed maiora que dam à vobis expecto. Considera primo hic in modo loquendi Domini, cum*

di.

1. Cor. 2.

Ioan. 15.

Mat. 13.

dicit, *Vos autem*, magnam eius de discipulis confidētiā, quæ eum nullo modo fecellit, Tam singularis enim & illustris ex parte discipulorum secuta est confessio, vt Christi expectationi prorsus satisfecerint. Deinde cogita, si idem Dominus eadem fiducia quæstionem ealem hodie proponeret multis Christianis, qui profitentur se eius sectatores & discipulos, quàm parum quidam Christi voto sint facturi satis. Heu Deus meus, si, vt tunc, post auditas varias populi de te opiniones, hanc quæstionem proposuisti, ita nunc quoque de cælo, post conspectos tam varios errores de diuinitate tua, quos habent, non dico gentiles aut Mahumetani, sed hæretici vel schismatici, qui tamen nomen, doctrinamque tuam profitentur; imò, quod maiori admiratione dignum est, si conuerteres te quoque ad partes Petri, hoc est, qui in Ecclesiæ sanctæ sinu sub obedientia Vicarij tui in terris viuunt, & ab ijs peteres, *Vos autem quem me esse dicitis?* hoc est, vos qui concij estis non tantum miraculorum, vt Apostoli, sed innumerabilium aliorum multò maiorum quæ fideles mei in confirmationem diuinitatis meæ ediderunt; vos qui non solum in sacris

Euangelijſ haberis doctrinam à me Ap-  
 poſtolis traditam, ſed etiam explana-  
 tiones tot ſanctorum Doctorum &  
 Conciliorum: vos denique quos tot pri-  
 uilegijs donauit, quibus tot arcana, alijs  
 ignota, patefecit, vt meritò de vobis il-  
 lud Prophetæ dici poſſit, *Non fecit ſaliter  
 omni nationi, & iudicia ſua non ma-  
 niſtauit eis.* Si, inquam, nunc quæſtio-  
 nem illam poneretis, quot inueniretis, qui  
 ob reſpectus humanos non audent te  
 confiteri? imò qui ſacrilegijs ſuis maledi-  
 ctis te inceſſerent & negarent? Et licet a-  
 liqui ore fortaliſſis te confiterentur, factis  
 tamen negarent, diuinis præceptis mi-  
 nime obſequentes. O quàm arctus, quàm  
 exiguus in mundo eſt fidelium nume-  
 rus, & inter hos ipſos quàm pauci ſunt  
 ſynceri fideles, qui ſuum Deum agnoſ-  
 cant, & non potius pro Deo habeant &  
 colant aurum, argentum, honorem, Do-  
 minos, filios, vel corpus proprium, *quo-  
 rum Deus venter eſt.* Verè magnum nõ  
 fuit benedictum IESVM tunc à cæca il-  
 la gente non fuiſſe agnitum, quando in  
 ſtar S. Patriarchæ Iacob adhuc induta  
 erat veſtibus Eſau ad obtinendam be-  
 nedictionem patris ſui Iſaac. At quod  
 nunc, quando glorioſus in cælo ſedet  
 ad dexteram æterni ſui Patris, im-  
 mor-

Pſal. 147.

Tit. 1.

Phil. 3.

Gen. 27.

mortalitate vestitus, totoque orbe prædicatus, & promulgatus à tam multis, qui verbis non solum, sed sanguinis quoque & vitæ suæ profusione illustre testimonium illi reddiderunt, tam parui fiat, & à tam paucis cognoscatur, & honoretur, id verò maximè cæcitatibus & ingratitude nostræ argumentum est.

4. DIXIT ergo IESVS ad Apostolos suos, *Vos autem quem me esse dicitis?* Sed ô Domine mî, cur id postulas à vilibus istis piscatoribus, qui heri & nudius tertius auocati sunt à sua nauis & retibus? Vel enim nihil tibi respondebunt, vel responsum dabunt, quo, vt alias, proderit potius suam ignorantiam & simplicitatem. Vide magnam Domini bonitatem; nam dum interrogat discipulos, simul quasi diuini luminis radio discutiens è mentibus eorum tenebras, communicat responsum. Vnde Petrus, vti debebat esse caput omnium, ita plus alijs interius illustratus in omnium persona respōdit, *Tu es CHRIS- TVS filius Dei viuis*. Vide piscatorem idiotam, qui forte nec prima alphabeti elementa didicerat, interrogatum à CHRISTO, quanta fiducia & sapientia respondet. *Tu es CHRISTVS filius*

*Dei vni.* Cōfessio verè diuina & admirabilis; in qua responsione ex parte Petri, considera eximiam fidem quam demonstrauit: nam cum hucusq; non vidisset alia miracula à CHRISTO facta, quin eque magna, vel etiam maiora facta sint ab HELIA, & alijs veteribus Prophetis, nihilominus non fatetur cū turbis illum fuisse vnum ex illis Prophetis, sed perspicuè testatur illum esse magnum illum Prophetā, supra omnes Prophetas, CHRISTVM à Deo promissum in lege, tantopere ab omnibus gentibus desideratum & expectatum. Vbi ex alia parte perspicimus luminis magnitudinem, ad cognoscenda tam sublimia mysteria illi à domino communicata: cum enim inter omnia totius Theologiæ mysteria, duo sint reliquis excellentiora & inexplicabilia, nimirum illud de Incarnatione filij Dei, & illud, de æterna eius generatione, vtrumq; admirabiliter breuissimis grauissimisque verbis confessus est Petrus: nam dicendo eum esse CHRISTVM confessus est Saluatoris humanitatem, simulque respondit ad primam Domini interrogationem, *Quem dicunt homines esse filiū hominū? nō fuisse eum aliquem de Prophetis, vt turbæ*

dixit.

*Deut. 18.*



dixit aut, sed CHRISTVM & Messiam ore Prophetarum promissum. Deinde quando dixit, *eū esse filium Dei veri*, cōfessus est eius diuinitatem, & simul respondit ad secundā interrogationem, quam idem dominus fecerat. *Vos autē quē me esse dicitis.* Vbi cōsidera quā verū sit dictum Sapientis. *Anima viri sancti Eccl. 37.* *enunciat aliquādo magis verā, quā septē circumspēctores sedentes in excelsō ad speculandum,* O quot sacerdotes & Doctores scientia & prudentia clari erant in templo sedentes in sublimibus cathedris, quos si Dominus, post auditam populi de se opinionem, percunctatus fuisset, *Vos autem quem me esse dicitis?* non solum non ad notitiam veritatis peruenissent, verum etiam circa eā grauit̄ halucinati fuissent. Contra Petrus omnis humanæ scientiæ ignarus, sapientia autem diuina imbutus peruenit ad tam sublimem CHRISTI intelligentiam. Quid hic dicent huius mundi sapientes, qui ingenia sua & doctrinam venditant? Ecce piscator ignorans intellexit ea quæ vniuersa Philosophorū schola nunquā perfectē, neque percipere, neq; explicare potuit. Iam Petrus attractus erat à Patre ad filiū; postquam autem ei se adiunxit, eum quoq;

filium

filium Dei confessus est; sic vt Dominus tunc merito potuerit se ad Patrem

*Matth. 11.* conuertere, & dicere. *Confiteor tibi Pater Domine celi & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Abeant ergo qui tantopere gloriantur & insolent cum nomine sapientiarum, quando quidem Dominus illis contemptis, elegit simplices & rudes piscatores. Verum vt accuratiùs cognoscatur, quam singularis fuerit hæc Petri confessio, perpeade singula eius verba. Primo enim dicit. *Tu es CHRIS-TVS*, id est, vnctus, non iam oleo sacro, quo vncti sunt Reges & Prophetæ veteris testamenti, sed cælesti & diuino, cum plenitudine diuinitatis, quo tota humanitas Saluatorius vnctus fuit & consecrata. Adiunxit deinde *filius Dei*, non secundum gratiam, vti nos sed secundum naturam, non per adoptionem, sed per æternam generationem. Denique addidit, *Dei vni*, ad discrimen Deorum falsorum apud gentiles, qui sunt Dij mortui & insensibiles: ille enim solus est DEVS viuens, in quo est essentialiter vita, & qui solus possidet immortalitatem, teste Apostolo; immò est ipsa vita, sicut de se dicit. *Ego sum vita*, à qua omnes aliæ res habent suum esse

*Psal. 44.*  
*A. 10.*

*1. Tim. 6.*  
*Ioan. 14.*

esse & vitā. Beati, qui ita vitam suam à Domino ipsis communicatam instituant, ut mereantur per felicem participationem æternæ & beatæ vitæ viuis & vero Deo coniungi & vniri in cælo, imò per absolutissimam caritatem vnum quiddam fieri cum illo:

5. CONSIDERA quanta benignitate Dominus post nobilem Petri confessionem fidem suorum discipulorum approbârit, testimonium que de se datum, dicēs. *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Vbi vide, quomodo in signum amicitiae & ex singulari affectu illum proprio nomine appellet, vocetque beatum: quandoquidem bonus Petrus, nihil formæ serui, nec carnis infirmitate quam in CHRISTO videbat, offensus, credidit & confessus est verum Filium Dei. Ac verè potuit vocari beatus; siquidem tanto lumine gratiæ dignus habitus est, ut firma fide crederet verum Deum esse & Dominum, illum, quem cernebat more aliorum hominum pati famem, sitim, frigus, lachrymari, fatigari, aliisque humanis miserijs subijci. Vnde bene subiunxit dominus, *Bar Iona.* quod secundum literalem sensum, idem est,  
quod

quod, filius Ionæ, secundum spiritalē  
 verò filius columbæ, hoc est, Spiritus  
 sancti, quasi dicere voluisset. Felix &  
 beatus tu Simon, qui ex filio Ionæ  
 hominis vilis & abiecti, factus es fi-  
 lius Spiritus sancti: nam eruditus ab  
 æterno Patre meo ad eam intelligen-  
 tiam & confessionis excellentiam per-  
 tigiſti, quam neque caro, neque san-  
 guis, sed solus Spiritus Patris mei tibi  
 poterat reuelare. Age quæ causa est,  
 quod Pater æternus altissima hæc my-  
 ſteria potius reuelarit piscatoribus,  
 hominibus rudibus & imperitis, &  
 non Philosophis, Regibus, Scribis &  
 Pharisæis? videtur enim per hos citius  
 maiorique auctoritate propagare po-  
 tuisse fidē CHRISTI. At benè respōdit  
 Apostolus ad hoc dubiū, quando dixit:

*Videte vocationē vestrā fratres, quia nō  
 multī sapientes secundū carnē, non multī  
 potentes, non multī nobiles: sed quæ stultī  
 sunt mūdi elegit Deus, ut confundat sa-  
 piētes, & infirmā mundi elegit Deus, ut  
 confundat fortia, & ignobilia mūdi &  
 contemptibilia elegit Deus, & ea quæ  
 non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. Qui  
 iudicio mundi erant iufirmi, ignobi-  
 les, & contempti, hoc est, homines  
 gauperes, humiles & mansueti, electi  
 sunt.*

*v. Cor. i.*

sunt à Deo, quia tales ordinariè magis idonea & habilia instrumenta sunt, per quæ Deus mirabilia efficere possit, quam sapientes, nobiles & potentes, id est, superbi, vani, & gloriosi, cum hi, vt minus diuinæ gratiæ capaces, sint reprobati. Nam, vt scriptum *Prouer. 33.* est, Deus humilibus dat gratiam, super- *Iac. 4.* bis autem resistit: & vt benè dixit san- *1. Pet. 5.* ctissima mater, Dominus deponit po- *Luc. 2.* tentes de sede, & exaltat humiles. Beatus ergo fuit Petrus, quod à spiritu sancto instructus non solum cognouit, confessusque est CHRISTVM, sed etiam relictis omnibus, eum secutus est vsque ad sanguinis & vitæ suæ pro ipso profusionem. O quot hodiè confitentur CHRISTVM, nec tamen merentur vocari beati, quia confitentur fide mortua: id est, vitæ spiritalis, quæ in caritate consistit, experti, confitentur ore, sed nō opere. Et vide quemadmodum Dominus non dicat ad Petrū, *Beatus eris*, sed dicit in præsentī, *Beatus es Simō*: nō enim tantum beati sunt, qui in altera vita videbunt & cognoscēt Deū, sed etiā in hac vita per quādam participationem beati dicuntur, qui Deum cognoscūt, & CHRISTVM filiū eius eo modo quo hic possunt, sicut ipse his verbis

ex-

164 **MEDITAT. DE VITA***IOAN. 17.*

expressit, *Hac est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti IESUM CHRISTVM.* O quam magna est miseria & cæcitas mortalium, qui tanto cū labore & discrimine, alij transmittendo mare, alij peregrinādo in terra, alij occupando se in varijs & arduis huius mundi negotijs, quærunt pacem & beatitudinem, nec tamen inuenire possunt. Nam non consistit, nec inuenitur in eo, quod illi quærunt: nec vera est via ad inueniendam illam, quam illi inierunt, sed **CHRISTVS** solus est

*Ephes. 2.*

pax nostra, in eo solo cognoscendo, amando, & sequendo consistit nostra felicitas. E contra quam felices & beati sunt illi, qui relictis & contemptis omnibus dicere possunt cum Apostolo, se nulla alia in te huius mundi gloriari, nisi in **CHRISTO** crucifixo? De-

*Gal. ult.*

pone ergo & tu quoque anima mea curam omnem & sollicitudinem, & tantum huic scientiæ **CHRISTI**, cælestique doctrinæ, quæ te sola beatam reddere potest da operam, & quoniam nec caro, nec sanguis te eā docere potest, obsecra Patrem æternum, ut sicut dignatus est per gratiam suam reuelare eam Petro, sic per misericordiam suam velit quoque illuminare te, & informare

in

in hac vera fide, & cognitione vnigeniti filij sui, vt semel cognitum toto pectore amare & colere possis.

6. **CONSIDERA**, quomodo postquam Petrus sua fideli confessione meruisset præmium, ad quod Dominus sua benignitate & caritate iã cum prædestinãrat, mox Dominus ipse, qui vinci non vult gratitudine, liberaliter illi gratiam compensat: nam pro eo quod Petrus dixit. *Tu es CHRISTVS filij Dei viui*, Christus cõtra respondit. *Tu es Petrus, et super hanc petrã edificabo Ecclesiam meam.* Petrus confessus est **CHRISTVM** esse Deum, id est, primũ principium rerum omnium: & **CHRISTVS** constituit illum caput & Principem totius Ecclesiæ. Fuerat ante hac Petrus per imbecillitatem & imperfectionem mollis instar luti; at postquam Sol iustitiæ **CHRISTVS IESVS** immensi amoris sui & caritatis radios in eum coniecit, induruit & solidatus est prorsus in petram, vnde & nomen Petri à domino meruit honoris causa obtinere. Quanquam & illud obtinuerit, vt significaretur illum debere esse quasi petram fundamentalem nouæ ciuitatis Hierusalem, quam vidit Euangelista Ioannes descendentem de cælo, & su-

*Apoel. 27.*

& su-

& supra duodecim lapides pretiosos, qui erant duodecim Apostoli, fundatam, inter quos Petrus hodie à CHRISTO constitutus est caput. Tu es igitur Petrus & super hanc petram, dixit Iesus, ædificabo Ecclesiam meam, ac si diceret, Etsi ego sim petra angularis, & basis fundamentalis supra quam totum Ecclesie meae ædificium fundatum est: nam teste Apostolo, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS*, nihilominus etiam supra te, tanquam mihi immediatè substitutum & Vicarium, supra tuam fidem & confessionem fundabo & stabiliam Ecclesiam meam, & quidem eum in modum firmabo, ut quamuis aliæ particulares Ecclesie intra procellosas huius maligni sæculi undas, deficient & naufragium faciant: hæc tamen interire non possit. Ego enim, ait CHRISTVS alibi, *pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*. Unde & hic subiicit *Et porta inferi non præualebunt aduersus eam*. hoc est, nec malignorum spirituum impugnationes, nec tyrannorum persecutiones, nec peruersa dogmata, varique & callidi errores hominum impiorum poterunt unquam contra illam præualere,

2. Cor. 3.

Luc. 22.



ualere. Poterit quidem hæc meæ Ecclesiæ nauicula diuersis modis vexari & agitari, sed non poterit submergi: ego enim ero eius nauclerus, & à Spiritu meo dirigetur. Nunc cogita anima mea, quanta fuerit lætitia & consolatio Petri, quando intellexit se nouo hoc & tam excellenti nomine à Domino appellari, quo nomine certam fiduciam illi præbebat, & quasi pignus, nomen suum scriptum esse in cælo; velut aliàs Dominus ipse dixit. *Nolite gaudere, quia Spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Quod verò maius indicium huius habere poterat, quam ab ipso Rege cælorum tali nomine appellari, quod de cælo venerat vt illi imponeretur: sic, vt quamuis Petrus considerans seipsum quo ad naturam meritò potuerit dicere cum S. IOB, *Nō est fortitudo lapidum fortitudo mea.* Nihilominus nunc per hoc priuilegium & singularem gratiam quam Dominus illi faciebat, poterat iure dicere contrarium. *Fortitudo mea fortitudo lapidum,* vt completū videatur in hoc Apostolo, quod Patriarcha iacob olim dixit de dilecto filio suo IOSEPHO, *Inde egressus est pastor lapis Israel.* Non

Luc. 21.

Iob. 6.

Gen. 49.

Non

Non secus Petrus nunc factus est pastor omnium fidelium, quibus *CHRISTVS* suas oves pascendas commisit; & pariter factus est petra firma, supra quam Dominus dixit se Ecclesiam suam ædificaturum. Si ergo Petrus tantam habuit gaudendi causam, & gratias domino reddendi, à quo in Ecclesia sua tantoperè est exaltatus; tu quoque anima mea quæ gratia eiusdem Domini digna effecta es, vt esses vna ex viuis petris, quibus ædificandi sunt muri cælestis Hierusalem, quanta lætitia offerri debes? maximè si consideres tot angelos in peccato suo, eoque semel tantum commisso, relictos; totque alias animas, longè te quoad dona naturalia perfectiores, è quibus tanquam ex politissimis lapidibus potuisset suum sanctum templum Deus extruere, non esse electas, sed reprobatas? At inter tot creaturarum myriadas alioquin dignas, oculos suos coniecit in te, & te solam elegit, quæ es instar vilis luti vel calcis, qua placuit Deo nobile suum ædificium conglutinare. Hic vide, quãtas gratias quam gratam animi significationem debeas Deo; quod te adhuc petram rudem & impolitam, gratiæ suæ donis ita formare voluerit & polire, vt vnà cū Ma-

*Joan. vlt.**Gen. 2.*

tre sua sanctissima, cum Angelis, cum tot animabus purissimis merueris esse huius ædificij petra, ac pariter cum illis hoc spiritale templum efficere, cuius CHRISTVS IESVS non solum vult esse architectus & ianua, verum etiam vult vocari eius petra fundamentalis, vel fundamentum. Si tu ergo secura vis esse ab insultu dæmonis, mundi & carnis, cura vt ianitaris & incumbas huic viuæ petræ, id est CHRISTO, in eoq; omnem spem tuam reponas, nam si vel minimum ab eo declines, eris quasi murus pendens minansque ruinam, quamdiu autem illo nixa fueris, ne infernus quidem totus contra te præualere poterit.

7. CONSIDERA, quomodo, postquam Dominus constituit Petrum vicarium suum in terris, conueniens fuerit, vt illi quoque autoritatem & potestatem cū summo gradu, ad quem eū euexerat, cōgruentem, cōferret, & ideo subiūxit. *Et tibi dabo claves regni calorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in caelis.* Vbi vide, quomodo Saluator noster pro sua immensa erga nos peccatores caritate, hominibus communicet

H

illam

illam ipsam auctoritatem, quam ipse vt  
**DEVS**, habebat remittendi peccata, a-  
 perienti & claudendi portas cæli, atque  
 illam clauem Dauid, quæ erat eius pro-  
 pria, qua ipse aperit, & nemo claudit, &  
 rursus ipse claudit, & nemo alius aperi-  
 re potest. Hanc ipsam clauem, quam,  
 postquam primorum parentum lapsu  
 conclusæ fuerunt cœli portæ, nulli vn-  
 quam creaturæ puræ concesserat, nunc  
 infallibiliter promittit Petro, & sicut  
 Petrus eum confessus erat non solum  
 nomine suo, sed etiam aliorum disci-  
 pulorum, sic vicissim **DOMINVS** illi  
 promissionem hanc facit, non solum  
 pro persona ipsius, sed etiam pro o-  
 mnibus eius successoribus, & Eccl. siæ  
 suæ sacerdotibus. Vbi considera quàm  
 liberalis fuerit Dominus in Petrum,  
 & quam misericors erga peccatores  
 in concedenda auctoritate tanta, quan-  
 ta nunquam concessa fuit, nec in ter-  
 ra, nec in cœlo: non enim legimus vl-  
 li Angelicæ potestati dictum à **DEO**,  
*Quodcumq; ligaueris super terram, erit li-  
 gatum & in cælis, & quodcumq; solueris  
 super terram, erit solutum & in cælis.* Ma-  
 gna dignitas existimabatur, & verè e-  
 rat Sacerdotum veteris legis, quorum  
 officium erat discernere inter lepram  
 & le-

*Apoc. 3.**Deut. 17.*

& lepram, & iudicium ferre de leprosis, qui mundi vel immundi essent, sed non habebant potestatem sanādi illos. Quanto ergo maior dignitas & excellentia est sacerdotum nostrorum, qui præditi autoritate, hoc loco à CHRISTO promissa, non modo possunt leprosos discernere à sanis, sed etiam habent potestatem liberandi ab ipsa lepra, nō corporali, quæ solum inficit corpus, sed spiritali, quæ contaminat & occidit animā. Si in terra Rex aliquis aut Princeps cōcederet alicui seruatorum suorum autoritatem includendi vel liberandi è carcere quoscunq; vellet, non dubium, quin ille inter homines habendus sit foelix & beatus: quanto ergo maior foelicitas fuerit Petri, qui facultatem accepit non iam claudendi vel aperien- di portas terrenas, sed cælestes, non ligandi vel soluendi corpora, sed animas à lethalibus laqueis peccati & inferorum. Vnde quanto maior in hac re declaratur CHRISTI liberalitas in Vicarium ministrosque eius in terris, tanto amplior multo, imò ineffabilis demonstratur Dei bonitas erga peccatores, quod talem autoritatem tantum largiri voluerit in remedium & salutem eorum. Ita q; ingratiſſimi in tam beni-

gnum & munificum dominum, imò  
 & crudeles ac impij in se ipsos sunt ij,  
 qui conscij suis peccatis portas cœli ef-  
 se oclusas, sponte se tanto beneficio  
 spoliant, eo solùm, quod nolint se ad  
 pedes sacerdotum, qui claves ad illas  
 aperiendas promptas exhibent, demit-  
 tere, atq; ita sibi portas claudunt, & cœ-  
 lesti patria excludunt. Contra verò iu-  
 sti & pij summa fiducia animum cor-  
 roborant in suis lapsibus: dum confi-  
 derant tam facile paratū ad recuperan-  
 dam gratiam remedium, nempe vt se  
 tantum per pœnitentiæ sacramentum  
 clauibus Petri submittant. Vt meritò  
 completū dicere possimus, quod à Pro-  
 pheta olim dictum est. *Petra refugiū e-*  
*rinacijs.* Nam eo ipso, quod Petrus no-  
 mine nouo petræ appellatus est à Do-  
 mino, auctoritatemq; expiandi peccata  
 accepit, constitutus quoq; est quasi asy-  
 lum & refugium omnibus peccatori-  
 bus, per hæc animalia spinosa signifi-  
 catis. Heu dulcissime IESV, quid am-  
 plius ex summo tuo in nos amore præ-  
 stare poteras? aut quid amplius pote-  
 rat à te postulare vel expectare cor hu-  
 manum? quia non modo hominem  
 fecisti tuarum creaturarum dominum,  
 non solum ei tuam diuinam personam,  
 assum-

*Psal. 130.*

assumpta carne & forma humana communicasti, verum etiam ei domus tuæ, & regni tui claves tradidisti, vt possit illud pro arbitrio suo ingredi & possidere, quod non est aliud, quam hominem quadantenus facere Deum & Dominum regni cœlorum.

## COLLOQVIUM.

**O**RABIS CHRISTVM Dominum, vt per fidei & amoris meritum, quo Petrus eum filium Dei confessus est, velit tuæ modicæ & imbecillæ fidei tantum robur & vim imperitari, vt non solum corde firmiter possis in eum credere, verum etiam verbis, ac multo efficacius operibus eum confiteri; semper procurando omnibus vniuersis exequi, quicquid ille te vel verbo, vel sanctæ conuersationis exemplo docuit: vt recepto in hac vita tam honorifico testimonio in hominum conspectu ab ipso, merearis cum summo cordis iubilo gratissimum testimonium, quod aliquando in altera vita in æterni patris præsentia communicabit, audire.

## DOCUMENTA.

*x. Petiuit Dominus, quã opinionẽ de se haberet populus, ad informandos Prælatos & Doctores, omnesq; qui curam habent alios gubernandi in temporalibus*

ralibus vel spiritualibus, ut studeant explorare hominum de se opinionem, non per iactantiam, aut ob illicitum aliquem finem, ut quidam faciunt; sed ad emendandos suos defectus, si essent, remouendasq; mali occasiones: Et si foret aliquid boni pra manibus, illud id aliorum adificationem & utilitatem promoueant.

2. CHRISTVS ab Apostolis exegit rationem Fidei turbarum, ad quas instruendas à Domino erant missi, ut intelligant Praelati sicut ad ipsos pertinet docere subditos, ita quoq; apud Deum de earum fide & morib. rationem reddituros, & si cõtingat eos in instituendo populo fuisse negligentiores, aliquando poenam luituros.

3. CHRISTVS interrogans discipulos, qua turbarum esset de se opinio, appellat se humili nomine & vili, nempe filium hominis. Contra Petrus respondens eius interrogationi, appellat Messiam & filium Dei viui: Quare docemur, semper debere nos submissè loqui de nobis, & si forte ob opus aliquod bonum diuina gratia adiuuante à nobis prestitum, mereamur aliquam laudem, illam conuenit ab alijs potius, quàm à nobis enūciari secūdum illud: Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus & non labia tua.

PROV. 27.

4. Turbae uti non erant sub uno capite, sed



sed inter se diuise, ita non una quoq; erat earū fides & opinio de CHRISTO. Cōtra Apostoli sicut erāt uniti sub vno Magistro Christo, ita una erat omnīū fides & opinio, vnius Petri ore explicata, qui loco Christi omnīū caput erat, vnde intelligimus, in sola Ecclesia Catholica et Apostolica, qua unita est sub vno capite Christi Vicario fidei unitatē inueniri & consequēter veritatē, qua esse nō potest nisi vna, cōfessa et tradita ab ipso Christi vicario, capite omnīū fidelīū. Verū alij qui sūt extra Ecclesiā, ab hoc capite et ab hac vniōne Apostolica separati, vti nullā habent vniōnem, ita nullam possunt habere veritatem. Atq; ideo varia est eorum fides, dissimilia quoq; singulorū de Christo iudicia, deq; religione, vt liquet in hereticis & schismaticis.

5. IN quæstione proposita, qua esset opinio hominum de se, Dominus discriminē aliq; fecit inter turbas, & suos discipulos vt eiusmodi qui plus luminis & plura beneficia à se recepissent: Quo indicaret se plura exigere à Religiosis & Ecclesiasticis, alijsq; quos in hac vita præstantioribus donis & charismatis ornavit, quam ab alijs, quibus non tam multa impertijt, conuenienter illi quod scriptum est, Cui Luc. 22. multum datum est, multum quæretur

ab eo, & cui commodauerūt multum, plus petent ab eo.

6. **CHRISTO** rationem exigenti de se de Apostolorū, et si omnes idem crederēt, solus tamen Petrus, ut caput omnium, respondit; unde & Dominus illi sigillatim dixit factam reuelationē à Patre caelesti. Qua ex re perspicuè colligitur ad Petri successorem imprimis pertinere solutionē controuersiarū de fide, alijsq; rebus ad eā pertinētibus; utpote illum, qui speciatim à spiritu sancto ad hoc instruitur & dirigitur. Et eadē de causa dominus voluit Petrū esse Apostolorū Principē, ut Ecclesia haberet caput, vicariū suum, ad quod membra eiusdem Ecclesia possint in assiduo aliquo habere suum persequum.

*Matt. 18.*

7. Et si oēs Apostoli habuerint à Christo potestatem remittendi peccata: tamē Petro singulatim Dominus tradidit regni caelorum clauēs, & potestatis iudicialis principatum: ut intelligerent fideles omnes, quocumq; quocumq; modo ab unitate fidei sua successerint, & à sua societate separauerint, nō posse ullo modo se à laqueo peccati exuere, ac multò minus caelestis regni portam intrare.

8. **CHRISTVS** dū collaudat Petrum vocando eū beatum, simul occasionē humilitatis prabet dicēs: Quia caro & sanguis.

guis non reuelauit tibi. Vnde discere possumus, quàm parci esse debeamus in laudandis alijs: quando autē conueniens est, laudare aliquem ob bonum opus præstitū, ita fieri debet, ut ille non inde occasione capiat vanitatis sed humilitatis potius, transcribens quicquid factum est auctori Deo, à quo est omne datum optimum, lac. r. & omne donum perfectum.

9. Simoni, quando confessus est Christū, mutatum est nomen, & vocatus est ab eo Petrus, ut ex memoria impositi nominis meminisset esse constans, & perseverare in confessione facta: sic quilibet fidelis ex memoria nominis Christiani in baptismo recepti, deinde ex obligatione eiusdem nominis, quādo promisit se renuntiaturum diabolo & omnib pompis eius, meminisse deberet esse cōstans, et facere satis promissioni tunc factæ, cum voluntate imitandi, conuenienter nomini suo, non mundi Vanitates, sed Christi virtutes.

10. CHRISTVS mutauit nomen Simonis, vocando eum Petrū; hic enim est mos Dei, imponere nomina conuenienter officijs qua exercere debent, Vnde merito pudifera deberent multi Christianorum parentes; qui cum profueātur se sequi Christum, eumq; sanctos, nec aliud putentur facturi eorum filij. tamen nō Christiano-

178 **MEDITAT. DE VITA**  
*rum aut Sanctorū, sed gentilium, vel alia*  
*vana huius mūdi nomina illis imponūt.*  
11. Dominus primo Petrū fecit petram,  
& postea super illam fundavit suam Ec-  
clesiā Vnde discere debent, qui à Deo ele-  
cti sunt ad aliquod officium, quantumuis  
sublime & arduum, non mox trepidare,  
aut animum despondere: nam qui eos ele-  
git; non destituet quoq; viribus vel prae-  
sidijs necessarijs ad munus suum exequen-  
dum; qui verò electi nō sunt, sed ultro se  
ingesserunt, magnam trepidandi causam  
habent



**DE TRANS-**  
**FIGVRATIONE DO-**  
**MINI IN MONTE.**

**MEDITATIO VII.**  
**EVANGELIVM.**

*Matt. 17.*  
*Marc. 9.*  
*Luc 9.*

**A**SSVMP SIT IESVS Petrum  
& Iacobum & Ioannem fratrem  
eius, & ascendit in montem vt ora-  
ret, & ducit illos in montem excel-  
sum seorsum solos. Et facta est, dum  
oraret, species vultus eius altera, &  
transfiguratus est ante eos. Et resplē-  
duit

duit facies eius sicut Sol & vestimēta eius facta sunt splēdida & candida velut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias in maieſtate loquentes cum I E S V, de excessu eius quem completurus erat in Hierusalem. Et respondens Petrus dixit ad Iesum. Bonum est nos hic esse, & si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. non enim sciebat quid diceret; erant enim timore exterriti. Hæc autem illo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos & vox facta est de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Quod audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit I E S V S, & tetigit eos, dixitque eis, Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem amplius viderunt nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis Iesus, ne cuiquam quod vidissent narrarent, nisi cum filius hominis à mortuis resurrexit.

## FIGURA.

*Exod. 34.* **M**oyses, cum in monte cum Deo loqueretur, facta est facies eius splendida.

## PROPHETIÆ.

*Psal. 88.* 1. **T**HABOR & Hermon in nomine tuo exultabunt.

*Psal. 103.* 2. Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

*Psa. 2.* 3. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.

4. Prophetam de gente tua. & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.

*Deut. 18.* Dominus Deus tuus, ipsum audies.

## CONSIDERATIONES.

*Punct. 1.* **C**ONSIDERA, sicut Imperator vel dux belli, difficilem cum hoste conflictum initurus, consuevit militibus ob oculos ponere multas opes urbis vel provincie quam expugnare cogitat, ad eos incitandos, ut allecti spe optime predae fortius pugnent, & alacrius laboribus & periculis belli se exponant: sic sapientissimus IESVS Imperator cœli & terræ, qui paulo antè egerat apud discipulos de passione, eosque hortatus erat, ut si se sequi vellent, seipsos abnegarent, & tollerent.

lerent crucem quisque suam, ipsum per  
 viam mortificationum, afflictionumq;  
 sectando: quia autem videbat hoc totū,  
 non illis solū, sed omnibus fidelibus  
 fore arduum & difficile, utpote sensui  
 & carni contrarium, ne desponderent  
 animum, voluit eos ad tam nobile &  
 arduum certamen futuri præmij mag-  
 nitudine & præstantia ob oculos posita  
 inflammare & animare, præbens illis  
 specimen & præludium aliquod glorię  
 illius, qua vna secum essent aliquando  
 in cœlo perfruituri. Voluit igitur bene-  
 dictus IESVS dilectis suis discipulis  
 demonstrare vnam illius summi & in-  
 finiti boni particulam, vel vnam il-  
 lius immensi glorię pelagi guttulam,  
 quæ per crucem, pœnitentiam & tri-  
 bulationes patienter toleratas acquiri-  
 tur & paratur in cœlo. Hanc spem re-  
 præsentârunt exiguæ guttulæ, quibus  
 Propheta intellexit iustum instar tene-  
 ræ plantulæ exhilarari, quando dixit. *In Psalm. 64.*  
*Stillicidijs eius latabitur germinans,* Hęc  
 cogitatio & spes; tantum robur addi-  
 dit Apostolo Paulo in suis tribulatio-  
 nibus, ut in hæc verba scripserit. *2. Cor. 4.*  
*Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris*  
*est, &c. id enim quod in presenti momen-*  
*taneum est & leue tribulationis nostrę*

*supra modū in sublimitate aternū gloria  
pōdus operatur in nobis.* Hac spe deniq;  
se sustētauit spōsa reputās dulces & ama-  
biles omnes labores, à sponso tuo impo-  
sitos, dicens: *Lava eius sub capite meo, et  
dextera illius amplexabitur me.* Et si spō-  
sus meus sinistra mihi immittat afflic-  
tiones, dextera tamen, qua significatur  
quies & æternum præmium, me appre-  
hendet & consolabitur.

**Cant. 1.**

2. **DEINDE** considera necessarium  
fuisse vt Dominus tam gloriosum se de-  
monstraret, ad conseruandam in disci-  
pulis suis, omnibusque nobis fidem vi-  
uam, quod ipse esset simul Deus & ho-  
mo; sine hac enim cognitione vita æter-  
na obtineri nequit, cū ipse dixerit. *Hac  
est vita aterna, vt cognoscant te Deum  
vium, & quem misisti IESVM CHRI-  
STVM.* nam paris periculi erat, credere,  
vel Christum tantum fuisse Deum, &  
non hominem, vel fuisse tantū homi-  
nem, non autē Deum. Et quoniam disci-  
puli illum visuri erant in similitudine  
hominis passibilis: *factum in agonia, pa-  
uere, & dēre, & mœstum esse,* Præterea  
flagellatū, spinis coronatum, atque in-  
star latronis cruci affixum, vt occasione  
huius formæ causa nostra susceptæ, non  
languescerent in fide diuinitatis: de-

**Ioan. 17.****Luc. 24.**



monstrare illis voluit se simul esse Deū,  
 & gloriæ Dominū; quodque ex amore  
 summo quo nos prosequeretur hanc  
 gloriosam figurā assumpsisset. Vbi po-  
 tes anima mea considerare, quā verè hic  
 Dominus certo quodam modo plus te  
 amavit quàm se: nam gloria illa in trans-  
 figuracione sua demonstrata, quæ pro-  
 pter unionē animæ sanctissimæ corpo-  
 ri naturaliter debebatur, toto tempore  
 quo in hoc mūdo nobiscum vixit desti-  
 tuti voluit, suspendendo nimirū illā, vt  
 corpus afflictionib. & ærunis huius vi-  
 tæ obnoxium esse posset: atque ita pate-  
 retur in eo pro te, & pro peccatis tuis  
 satisfaceret. Voluit quoque Dominus  
 transfigurari, vt Ecclesiæ suæ aliquod  
 solatium relinqueret; cū enim apud  
 homines haberetur pauper, afflictus &  
 contemptus, si nullum diuinitatis suæ  
 signum dedisset, potuisset Ecclesia ab  
 omnibus ludibrio haberi, quasi Christi-  
 ani spem omnem collocassent in DEO  
 crucifixo, sicut dixit Apostolus. *Nos pra* <sup>1. Cor. 2o</sup>  
*dicamus CHRISTVM crucifixū Iudais*  
*quidem scandalum, gentibus autem stul-*  
*titiam, Quamobrem Dominus suo &*  
*Ecclesiæ suæ honori patrocinaturus vo-*  
*luit in hac transfiguracione, immen-*  
*sas suæ diuinitatis opes patefacere, ad*

184. **MEDITAT. DE VITA**

confusionem incredulæ & pertinacis Synagogæ, & stultæ gentilitatis admirationem. Denique transfigurari voluit & propter se, vt corpori suo exiguum hoc præberet refrigerium, post triginta annorum labores, & acerbaram pœnarum cruces toleratas. Verùm heu Domine quàm modica & breuis fuit hæc consolatio, respectu acerbissimorum & continuorum dolorum, quos illis triginta tribus annis in corde tuo sustinuisti, cum continenter ob oculos defixa haberes omnia totius mûdi peccata, tot animarum interitum, tantam hominum ingratitude: Pro quibus omnibus nunc illi vnâ tantum solatij horam rependis, eamque potius pro nostra quàm tua consolatione.

3. **CONSIDERA**, quomodo relictis alijs omnibus discipulis tres solos magis intimos & dilectos elegerit, quibuscum ascenderet excelsum illum montem, vt ibi gloriam suam illis demonstraret. O benedicte IESV, quandoquidem decreuisti pro nostra consolatione & utilitate hominibus manifestare tuam claritatem; cur minimum discipulos tuos, qui tecum in omnibus tentationibus societatem coluerunt,

non

non facis illius participes? imò cur non toti populo eam declaras, qui tanto studio & amore te hactenus est insecutus, ut hoc spectaculo de veritate conuicti, te verè Deum confiterentur & colerent, qui est tui aduentus finis. Et si, ut demonstrares te hominem esse, patibilem & mortalem, voluisti pati, & crucifigi in conspectu totius mundi, quare nunc, cum tam clarum diuinitatis tuæ testimonium es daturus, non id facis in præsentia omnium, sed quæris loca occulta, & excludis etiam plerisque omnes discipulos? O quantum discrimen est inter humana consilia & diuina iudicia. Nos, cum facimus aliquid honore & gloria dignum, id volumus ad omnibus videri & cognosci; quæ verò coniuncta sunt cum aliquo dedecore nostro & ignominia, ea curamus, si fieri possit, etiam subtus terram recõdi. Contra, humilis IESVS, non per testimonia, sed per seipsum omnibus mundi nationibus publicari & diulgari voluit ignominiam suæ crucis: at gloriam suæ transfigurationis voluit remanere occultam, & ore paucorum tantum testium manifestari, conformans se ei quod in lege scriptum est, *In ore duorum aut triũ testiũ stet omne verbum* Deut. 19.

*Math. 18.*

*bum.* O anima mea, quando aliter fieri non potest; desiderio saltem ascende post Iesum tuum in foelicem hunc montem, si forte tibi contingat vel vna guttula summi illius boni, tum mæque voluptatis, quæ degustârunt sancti discipuli. Mons enim hic, non est ille, de quo superbus angelus dixit, *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubiû, similis ero altissimo.* Ille enim erat mons frigidus & sterilis sine calore caritatis, & virtutum viriditate, quem incolunt amatores mundi, & homines arrogantes, qui insolenter affectant similitudinem DEI, Verum de hoc nostro monte dixit Prophe-

*Esa. 24.*

*ta, Mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est DEO habitare in eo.* In hunc montem non ascendunt, nisi humiles & CHRISTI amatores. In hunc ascendit Petrus, qui tam ardentè amabat CHRISTVM. Ascendit Ioannes, qui tam tenerè diligebat CHRISTVM, & vicissim à CHRISTO diligebatur. Ascendit etiam Iacobus, qui tam pròptè vna cum Ioanne obtulit se ad bibendum calicem passionis, primusq; inter Apostolos sanguinem pro CHRISTO effudit. In hoc monte vox Patris cœlestis auditur, pulchritudine

*Psal. 67.*

*in quo beneplacitum est DEO habitare in eo.* In hunc montem non ascendunt, nisi humiles & CHRISTI amatores. In hunc ascendit Petrus, qui tam ardentè amabat CHRISTVM. Ascendit Ioannes, qui tam tenerè diligebat CHRISTVM, & vicissim à CHRISTO diligebatur. Ascendit etiam Iacobus, qui tam pròptè vna cum Ioanne obtulit se ad bibendum calicem passionis, primusq; inter Apostolos sanguinem pro CHRISTO effudit. In hoc monte vox Patris cœlestis auditur, pulchritudine

*Math. 20.*

*in quo beneplacitum est DEO habitare in eo.* In hunc montem non ascendunt, nisi humiles & CHRISTI amatores. In hunc ascendit Petrus, qui tam ardentè amabat CHRISTVM. Ascendit Ioannes, qui tam tenerè diligebat CHRISTVM, & vicissim à CHRISTO diligebatur. Ascendit etiam Iacobus, qui tam pròptè vna cum Ioanne obtulit se ad bibendum calicem passionis, primusq; inter Apostolos sanguinem pro CHRISTO effudit. In hoc monte vox Patris cœlestis auditur, pulchritudine

dine

dine & claritate Unigeniti filij sui per- *Psalms. 43.*  
 fruimur, & Spiritus sancti arrham reci-  
 pimus. In hoc gustantur aquæ dulcissi-  
 mi fluminis, quod lætificat ciuitatem  
 Dei, in hoc inuenitur cella vinaria, in  
 qua bibitur pretiosum illud caritatis vi-  
 num inebrians omnes celi habitatores.  
 O anima mea, si posses semel excurrere  
 in verticem huius montis, diceres ꝑcul  
 dubio cum Petro, *Domine bonū est nos*  
*hic esse,* & ideo cōmutemus mūdum to-  
 tū, omnia bona deliciasque terrenas, oēs  
 honores & fauores mundanos, cū bono  
 summo quo in hoc mōte perfruemur.

4. CONSIDERA, quomodo Do-  
 mini vultus cū in hoc monte inter  
 medios discipulos oraret, subito solis  
 instar refulserit, vestimenta autem ni-  
 ue candidiora apparuerint: non quod  
 vultus Saluatoris non iam longe antè  
 splendidior sole fuerit, aut vestes eius  
 niue candidiores, sed quia nihil in hoc  
 mundo videmus oculis nostris, quod  
 maiorem his creaturis aut candorem  
 aut splendorem habeat. Nam si sancti,  
 vti scriptum est, qui comparantur stel-  
 lis, splendebunt instar solis in regno cæ-  
 lorum: quanto clarior & splendidior e-  
 rit hic Sol iustitię? Splendor quoque hic

*Dan. 12.**1. Cor. 15.**Mat. 13.**Exod. 32.*

CHRISTI longè alius fuit à splendore  
 Moy

Moyſis. Nam huius facies tantum exterius reſplenduit, propter colloquium in monte cum Deo habitum: ſed ſplendor **CHRISTI** erat internus ab anima ſanctiſſima profectus, quæ à primo ſue creationis momento fuit beata. Vnde quod ab illa hora ſue claritatis & pulchritudinis radios non communicaret huic ſacro corpori, id diuina diſpenſatione & ſpeciali miraculo factum eſt, vt pati poſſet pro peccatis noſtris. Vbi conſidera, quatuor eſſe animæ beatæ dotes, & quatuor corporis glorioſi. Dotes animæ ſunt, perfecta Dei cognitio in intellectu, conſummata ac perfecta charitas in voluntate, certa ſecuritas in memoria de poſſidenda in æternū beatitudine, & ineffabilis voluptas iuncta cum perpetuo cordis gaudio. Has omnes dotes ſemper anima ſanctiſſima **CHRISTI** actu habuit. Sunt deinde aliæ quatuor dotes corporis glorioſi, nempe, impaſſibilitas, Subtilitas, Agilitas, & Claritas, quibus Dominus non ſemper, ſed quando illi placuit, uſus eſt. Nam impaſſibilitatem declarauit in extrema cœna, quando ſub ſpecie panis & vini ſeipſum Apoſtoliſ tradidit in cibum, ſine vlla corporis ſui iactura vel diuiſione. Subtilitatem oſtendit naſcendo

do ex sanctissima Virgine, saluo Virginitatis sigillo. Agilitatem demonstravit ambulando super aquas. Claritatem denique declaravit in hac sua gloriosa transfiguratione. Iam potes tu perpendere, quantus simplicium illorum discipulorum mentes stupor inuasit, quanto gaudio corda eorum completa fuerint, quando viderunt Magistrum suum in eum modum transfiguratum: hæc enim lux ita splendida & fulgens, non creabat eorum oculis infirmis molestiam aliquam, sed potius admirabilem afferebat voluptatem & robur. Etenim facies CHRISTI, non solum luce collustrata, sed diuina etiam & supernaturali pulchritudine ornata fuit, ac tanta quidem, vt si omnis creaturarum pulchritudo & venustas collecta fuisset, non potuerint hanc speciem CHRISTI exæquare. Quare mirum non fuit Petrum incredibili lætitia exultantem, resque omnes humanas & terrenas fastidientem, ac ineffabili quodam mentis excessu rerum æternarum desiderio raptum fuisse quasi extra se, vt ignoraret vbinam esset, & quid loqueretur. Quo loco expende quanta bonitas caritasque fuerit Saluatoris nostri, qui cum per omne vitæ

sue

suæ tempus potuisset tanta refulgere gloria, tamen amore nostri ea priuare se voluit, retractis cœlestis influxus radijs, vt sacro suo corpore excipere posset cruciatus, dolores, ipsamque mortem acerbissimam pro peccatis nostris.

5. CONSIDERA, non tantum Christi gloriam, sed etiam Moyſis & Eliæ præſentiam oculis discipulorum ingentem attuliſſe voluptatem & conſolationem, qui in Maieſtate vna cum Christo apparebant. Nam ſicut fas non erat quenquam abiectè veſtitum in conſpectu Regis Aſſueri apparere; ſic congruens non erat, vt in præſentia regis æterni hi eius ſerui apparerent, niſi in habitu admodum ſplendido & fulgenti. Erant hi duo ſancti ob illuſtria ſua facta & eximiã miracula inter reliquos veteris Teſtamenti Patres autoritatis maximæ, è quibus Moyſes fuerat autor Legis, Elias verò eiufdem magnus deſenſor & zelator. Valde autem conueniens erat, vt Saluatoris humanitas ab vtroque, hoc eſt, à Lege & Prophetis teſtimonium acciperet, intelligerentque illum neutri, vt calumniabantur Iudæi, fuiſſe contrarium, lam verò quis verbis exponat horum  
ſan-

*Eſth. 2.*



sanctorum Prophetarum lætitiã & consolationem, proprijs oculis, spectantium Dominum non modo in carne præsentem, sed etiam tanta maiestate refulgentem, quem tanto tempore expectarant, tantoque affectu desiderarant? *LUC. 3.*

Si Sanctus senex Simeon, quod tantum meruisset videre Salvatorem adhuc infantulum fascijs inuolutum, tam lætus & libens cucurrit ad mortem, quanto maiori gaudio exultare debuerunt hi duo Patres, videntes eundem Dominum non iam puerulum humanis ærumnis subiectum, sed in maiestate sua gloriosum, & resplendentem? Considera hic anima mea ex vna parte, quàm celebris & solemnis fuerit hic actus, in quo inuenitur, quicquid erat eximium & excellens, tam in veteri, quàm in nouo testamento, & positer in cœlo & in terra: nam ex veteri testamento fuerunt Prophetarum Principes; ex nouo verò præcipui Apostoli: è cœlo adfuit beatissima Trinitas, è terra sacratissima Christi humanitas: Ex alia parte cogita quàm iucunda & læta fuerint inter tam nobiles & diuinas personas instiuta colloquia. Euangelium commemorat, quod loquebantur de excessu quem completurus erat in Hierusalem.

92 MEDITAT. DE VITA  
hoc est, de passione, de cruce, de morte,  
de opprobrijs & flagellis à Domino in  
vrbe Hierosolymitana tolerandis. Hæc  
erat huius læti colloquij materia. vo-  
luit enim Dominus tantæ suæ gloriæ  
& lætitiæ, misceri mœsta quædam &  
lugubria. Heu Domine mi, totos trigin-  
ta tres annos quibus in hoc sæculo vi-  
xisti nullam horam quietis vel refrige-  
rij habuisti, nisi hæc vnam, & tamen  
illis vis interuenire Moysen & Heliam  
vt tibi de acerbissima morte tua & pas-  
sione loquantur. O quam verè Prophe-  
ta te appellauit virum dolorum; nam  
tota vita tua non fuit aliud quàm per-  
petuus dolor & cruciatus: quare & rectè  
dixit Euangelista, eos locutos *de excessu*,  
nam ob amoris tui nimium exces-  
sum, & desiderium ardens patiendi pro  
nobis, videris nolle de alia re collo-  
quium apud te institui, nisi de passio-  
ne. Quod illis quoque verbis alibi de-  
clarasti. *Baptismo habeo baptizari, &  
quomodo coarctor usq; dum perficiatur?*  
Quid verò aliud p̄pessus es in sacra tua  
passione, nisi totidè excessus ex immen-  
so amore tuo profectos? poteras enim  
vel vno gemitu mille mundos redime-  
re; tu autem vel ad vnum redimendum  
mille edere gemitus, atq; etiam vitam

pro

Isa. 55.

Luc. 22.

propriam dare paratus fuisti. Satis erat ad salutem mundi vnam sanguinis guttulam à te effundi, vel obiri mortem leuiorem & honoratiorem, sed tu, vt copiosa esset nostra redemptio, voluisti profundere quicquid sanguinis in venis fuit, & morte acerbissima ignominiosissimaque occumbere. Erat ergo hoc colloquium non solum Domino gratum, sed etiam sanctis illis Prophetis iucundum: quæ enim res potest esse gratior mancipio, quàm si agatur de eius redemptione? & exuli, quam si de reditu eius in patriam? cum ergo Moyse & Elias tot retro actis sæculis exules fuerint à cœlesti patria, quid iucundius, vel gratius illi accidere potuit, quàm audire sermonem de morte summi Sacerdotis, cuius beneficio illis patefieret porta regni cœlestis?

7. CONSIDERA, quomodo nunc bonus Petrus, suauissimo hoc colloquio allectus, oblitus omnium aliarum rerum & cibi, & potus, & vitæ, & mortis, imò sui ipsius, & cupidus perpetuo ibi remanendi cum CHRISTO, eiusq; gloriosa præsentia fruendi, dixerit, nesciens quid diceret, *Domine bonum est nos hic esse, Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyse vnum, & Eliæ v-*

num. Vide quàm intemptiua hæc fuerit responsio. Moyses & Elias loquebantur de cruce & passione, & Petrus loquebatur de quiete & gaudio. Prophetæ illi aiebant necessarium esse vt Christus iret Hierosolymã ad perficiendã nostrã redẽptionẽ, Petrus aut̃ asserit bonũ esse in hoc monte persistere. O bone Petre quid dicis? vides tantam hominũ multitudinem dispersam quærere redemptionem, & tu vis eam hac ratione impedire? vides mũdum tenebris obrutum, & tu vis lucem illi subtrahere? visne gaudere de præmio & præda ante conflictum? an postulas cœlum, antequam Christus in cruce moriatur, & antequã tu patiaris pro ipso? cùm tamen non pateat aditus ad regnum cœlorum, nisi per multas tribulationes. Quare magnus hic erat Petri error, sed ex nimio amore, & desiderio errabat, & ideo dignus venia apparebat. Non erat quidem malum eius desiderium, sed non erat ordinatum, quia ante crucem expetebat gloriam, ante pugnam coronam, ante sementem volebat colligere fructum. Debuerat prius Petrus à CHRISTO ouium suarum fieri pastor. Bonus autem pastor, non debet studere

commo-

commodis suis, sed ouium suarum, sicut etiam CHRISTVS dum vixit in terra, vt nostris commodis studeret se sui corporis benedicti gloria spoliauit. Cæterum nihil mirum fuit, Petrum in hoc modo loquendi errasse: nam quam primum homo aliquid de rerum cælestium delitijs delibauit, mox omnium rerum terrenarum obliuiscitur. Guttulam tantum harum deliciarum bonus Petrus degustârat, & mox omnes huius mundi voluptates fastidiuit. O bone IESV, quid ergo dixisset, si ei non corporis tantum sed etiam animæ tuæ gloriam ostendisses. Et quod amplius est, quid egisset, si illi patefecisses ingentem illum deliciarum cumulum tuæ diuinitatis? quem abscondisti timentibus te, & præparasti diligentibus te? tunc enim iustius longè Petrus dicere potuisset, *Bonum est nos hic esse.*

Psal. 30.

7 CONSIDERA, pronunciante Petro illa verba subito fulgida nube quadam fuisse obumbratos; quæ non aliud designauit quam præsentiam diuinæ Maiestatis: nam & in veteri testamento in forma nubis gloria Dei apparere solebat, vt & scriptum est. *Nubes & caligo in circuitu eius* Ex hac nube igitur prædijit diuina vox, *Hic est fili⁹ me⁹*

Psal. 96.

*dilectus*, non iam per adoptionem, vt alij mei electi, sed proprius per generationem, non aliunde creatus, sed ex meipso generatus, mihi æqualis in essentia & Deitate; nec solum est filius meus, sed filius vnicus & dilectus, ac supra omnes alios amatus. Verùm ô pater benignissime, si tantopere filium tuum diligis, quomodo ferre potes eum tam malè tractari, & tam ignominiosè necari? certè videris plus dilexisse seruū tuū rebel-  
 lē & traditorem, q̄ proprium tuum filium, scriptum enim est. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret.* Deficit anima mea Domine in consideratione sublimis illius consilij tui de nostra salute instituti, quoniam neque mens nostra illud comprehendere potest, neque lingua aliud exprimere, quàm illud; *Quoniam sic placitum fuit ante te.* Itaque sequitur, *In quo mihi bene complacui*, nam solus ille mihi singulariter gratus fuit, & supra omnes placuit, vt extra ipsum nullus alius mihi placere possit, nisi per ipsum, in quo posui meum beneplacitum de hominū salute. *Quare ipsum audite*, solum ipsum pluris facite quam Moysen & Eliā, in illum solum credite, illi soli obedite:  
 ille

Ioan. 2.

Ioan. 3.

Mat. 11.

Ioan. 14.

ille enim est vera via, veritas & vita, qui  
 solus potest vobis demonstrare viam  
 ad cœlum, & per crucem suam potest a- *Ioan. 14.*  
 perire vobis portam ad vitam aternam.  
 Solum illum audite, non antiquum il- *Genes. 13.*  
 lum serpentem, non mundi impostoris  
 vocem, non carnis ludibria: ille enim est  
 verus Salomon, doctorque sapientissi- *Ioel 2.*  
 mus, de quo scriptum est, *Dedit vobis*  
*Doctorem iustitia.* Est quoque magnus  
 ille Propheta, de quo ipse Moyses dixit. *Deut. 18.*  
*Prophetã de gente tua, & de fratribus*  
*tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus, ip-*  
*sum audies.* iam verò vide quomodo in  
 hoc admirando mysterio tota sanctissi-  
 ma Trinitas apparuerit. Nam persona  
 Patris æterni declarata est in voce; per-  
 sona verò filij in carne: Persona autem  
 Spiritus sancti in forma splendidæ nu-  
 bis: ille enim est, qui vmbrae suæ refuige-  
 rio, carnalium desideriorum æstum in  
 nobis restinguit, & à terrenis ad cœlestia  
 nos attollit. Verè nubes, quæ continen-  
 ter nos irrigat rore diuinarum consola-  
 tionum, & imbre donorum & charisma-  
 tum cœlestium. Hæc diuina vox, non  
 iam fuit terribilis & formidanda, ve-  
 lut olim illa qua Deus cum fulguribus  
 & tonitruis in monte Sinai legem tradi-  
 dit, ea enim per terrefacti filij Israel dixe-

Exod. 19.  
& 20.

runt. *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Sed fuit suavis, & amabilis. Nihilominus discipuli ex nimio timore conciderunt in terram velut mortui. Quid ergo erit in illa die quando sonabit tuba illa horribilis, & Christus acclamabit damnatis. *Ite maledictis*

Matth. 23. *in ignem aeternum.* Et si tāto terrore Deus homines concussit, quando leni sermone hortabatur eos ad præstandam legem: quid faciet, quando exiget à nobis rationem de lege tam male obseruata & contempta? Verum bonus Iesus magna benignitate tangēdo discipulos suos omni timore solutos exurgere iussit. Vt verò surrexerūt, nec Moyſen, nec Eliam amplius viderunt, sed solum Iesum, vt intelligerent, in ipſo legem & Prophetas terminari, Patremque de illo solo locutum, toti que mundo inperasse, vt eum audiret: misit enim eum in Magistrum & Doctorem, qui scientiam salutis, & remissionis peccatorum consequendæ traderet omnibus gentibus.

Luce. 1.

§ NVNC Ô anima mea, quis dignus erit ascendere in montem Domini, vel stabit in loco sancto eius? Heu te infelicem, quæ semper, quamdiu in hac lachrymarum valle degis, eris peregrina, oberrabis.



obetrabis velut extorris & exul à tua  
 beata patria: neq; fas tibi esse potest cla-  
 re eum videre & contemplari, quē tan-  
 to opere amas & desideras nisi per fidem  
 & velut in speculo, Nam clara visio, qua  
 videtur DEVS sicuti est, & sicut vident  
 beati in cælo, transformati in imaginē  
 & similitudinem ipsius, reseruat in  
 montem illum gloriosum Beati igitur  
 qui digni erunt ascensu huius fælisis  
 montis, montis vere Dei, montis ferti-  
 lissimi, in quo libuit Domino suam ha-  
 bitationem figere. O infinitum bonum  
 meum, quando tandem post præpara-  
 tum iam locum, redibis ad nos, vt tecū  
 nos ducas, vt vbi tu es, ibi nos quoq; in  
 tua societate aliquando simus, quando  
 humilitatis & mortalitatis nostræ cor-  
 pus reformabis, configurando corpori  
 claritatis tuæ? concupiscit & deficit ani-  
 ma mea præ desiderio cœlestium illo-  
 rum tabernaculorum Quando veniam  
 Deus meus, & quando ante diuinam fa-  
 ciam tuam apparebo. *Beati qui habitāt*  
*in domo tua Domine; in secula seculorum*  
*laudabunt te.*

*Psal. 67.**Philip?**Psal. 83.**Psal. 4.**Psal. 83.*

## C O L L O Q V I V M.

**O**RABIS CHRISTVM IESVM  
 dulcem animæ afflictæ consolato-  
 rem, & suave refrigerium omnium, qui

amore sui sunt afflicti, vt dignetur & tibi largiri gratiam contemnendi & respiciendi omnes que extra ipsum sunt voluntates, oculisque tuis aliquando vidēdi, quod nunc per fidem credis. ac bonū illud summum quod nunc speras, & ad huc in terra degens è longinquo salutas manibus tangendi, & animæ tuæ brachijs amplectendi. ita, vt per gratiam suam particeps factus claritatis corporis gloriosi, & totus in eum ardenti caritate transformatus, possis semper esse cum ipso, & cum eo pace frui sempiterna.

## DOCUMENTA.

1. **C**HRIſTUS demonstraturus discipulis suam gloriam, eos deduxit in locum excelsum, & separatum; vt intelligeremus, si nos quoque illius participes esse velimus debere nos ab hominum mundanorum turba, & seculi tumultibus secedere, & conferre nos ad culmen perfectæ vitæ: nam qui animum habent in terram depressum, suasque voluptates querunt in hoc mundo, non cogitent se visione diuinæ gloriæ, minus autem diuini vultus cōspectu fruituros.

2. Christus inter orandum transfiguratus est in monte. Vnde discimus, si velis

mus in nobis aboleri malam figuram, quam effecit peccatum, & transfigurari unà cum Christo, debere nos addictos esse sancto exercitio orandi: quando quidem sicut proprius conuersationis mundana effectus est denigrare animam, sicut Propheta de Babylonijs, qui erant typus peccatoris loquitur. Facies combultæ vultus eorum, sic conuersationis diuina proprius effectus est dealbare animã in actionib. tam internis, q̄ externis, vti significauit propheta in illis verbis: Accedite: & illuminamini: sicut accidit quæ Moysi, cuius facies, post sermonem cum Deo habitum, mirè resp̄lenduit.

Esa, 28.

Psal. 103.

3. Tres tantum discipuli meruerunt videre Christi transfigurationem. vt intelligamus paucos esse, qui peculiariibus quibusdam donis ornemur à Domino. Cuius causa est, quia pauci sunt qui omnino mûdo & sibijp̄sis renuntient, & Christum in sectanda vita perfectã sequantur.

4. Christus in præsentia paucorum declarare voluit suam gloriam, nempe, tribus tantum discipulis, quibus etiam mandauit, ne cuiquam, donec ipse viueret, patefacerent hanc visionem: ad informandos nos, vt optemus, quoad fieri potest ea quæ conciliant nobis honorem & gloriam apud homines, manere occulta & ignota:

nec ea manifestemus nisi paucis quando postulabit necessitas, multi enim, quia facile dona sua à Deo accepta alijs publicârũ illis exciderunt: nam qui inquit S. Gregorius, thesaurum portat in publico, exponit se periculo, ne priuetur illo.

Eccl. 11.

5. CHRISTVS existens in gloria, voluit illos prophetas secum colloqui de sua passione, ad dandum exemplum eius, quod multo ante dixerat Sapiens, in die bonorum, ne immemor sis malorum. Et sic necessarium est, ut inter vitæ huius voluptates & consolationes misceamus semper aliquam amaritudinem, ne excœcetur, reuocando nimirum, in memoriam mortem, quam q̄ rationem aliquãdo redituri simus Deo, de occasionib. quas ad nos iuuandos prabet. Deinde ut parati simus ad perferendas aduersitates. si quæ Dominus nobis immittere velle.

61 Petrus videns Christum gloriosum, dixit. Domine bonum est nos hic esse tecum, sed post ea tempore passionis eum captum deseruit & aufugit. O quot hodie inueniuntur, qui amore proprio pleni tantisper Christum sequuntur, & colunt dum prospere omnia succedunt, & solatia affluunt, sed quamprimum afflictio aliqua abunde ingruit, eum mox derelinquunt,

7. Euangelium refert Petrum ignorasse  
quid!

quid diceret. Si hic Apostolus ob consolationem ex gloria Christi perceptam, nesciebat quid loqueretur, quanto verius dici poterit de nobis, cum huius vita illecebris & rerum creatarum solatijs affixi sumus nos ignorare quid dicamus vel agamus? nam inhiando falsis illis bonis, non aliud, quam nobis ipsis exitium & damnationem ultro aeterimus, licet minimè animaduertamus.



# DE ENER-

GVMENO A

CHRISTO SA-

NATO.

MEDITATIO VIII.

EVANGELIUM.

**F**ACTVM est sequenti die, descendentibus illis de monte, & veniens IESVS ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, Et confestim omnis populus videns IESVM stupefactus est, & expauerunt, & occurrentes salutabant eum, Et cum venisset ad turbam interrogavit eos: quid inter vos con-

Marc. 9.

Matth. 17.

Luc. 9.

quiritis? Et ecce accessit ad eum vir vnus de turba, & genibus prouolutus ante eum dixit. Domine, obsecro te, miserere filio meo, quia vnicus est mihi, & lunaticus est, & malè patitur. Nam ecce Spiritus apprehendit eum, & vbicunq; eum apprehenderit, subito clamat, & allidit eum, & dissipat eum cum spuma, & stridet dentibus suis, & arescit, & vix dilanians eum, & obtuli eum discipulis tuis, vt eijcerent eum, & non potuerunt. Respondens autem eis **I E S V S** dixit. O generatio incredula & peruersa, quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos? afferte huc illum ad me, & attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquam misit, vt eum perderet: sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. **I E S V S** autem ait.

ait illi: Si potes credere, omnia possible sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et cum vidisset Iesus concurrentem turbam, increpauit spiritum immundum dicens: Surde & mute spiritus, ego precipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum discerpens eum exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent; Quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius eleuauit eum, & surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli secretò interrogabant eum. Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis Iesus. Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dicetis morti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

## FIGURA.

1. Reg. 16.

**D**AVID sono sua Cithara eijciebat spiritum malignum à quo obsidebatur rex Saul.

## PROPHETIA.

Zach. 13.

**D**ICIT Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum, & spiritum immundum auferam de terra.

## CONSIDERATIONES.

Punct. 1.

**S**i mente expēdamus, hinc hominem hunc miserabilem ita obsessum, & ab humanæ naturæ capitali hoste discreptum, illinc verò **CHRISTVM** Redemptorem nostrum venientem ad eum ex hac dura & immani seruitute vindicandum, facile animaduertemus totum hoc verissimum esse typum & figuram maximæ liti illius & controuersiæ, quæ inter Deum & demonem, inter cælum & terram, de anima nostra iā olim intercessit. Hanc enim animam utraq; pars ad se attrahere conatur, & lucrari, licet intēione dissimili: demō qui dem ex inuidia stimulatus ad eā perdēdam, **CHRISTVS** verò ad eam seruandā, & ad æternam vitam traducendam. Si



itaque tam cœlum quam infernum respiciamus, videbimus omnia quodammodo reuolui in nos, atque si vtrinq; non alia dere, quã de nobis, ageretur. Ac primò quidẽ, si exordiamur à Deo, *Psal. 103.* vides quamuis ille in se sit beatissimus & felicissimus, nullius creaturæ opera egens, tamen in hac vnam curam & cogitationem præcipuè noctu diuque incubuisse, vt hominem saluaret, iuaret, custodiret, ne in damnationem incideret, atque si omnium aliarum rerum, quæ cœlo & terra continentur, prorsus fuisset oblitus. Quare & semper homini præsto est, semper se offert ei ad porrigendum auxilium, nunquam eum deserit, quocunque se conferat, vbicunque manserit ibi pariter manet cum illo. Neq; enim secus nobis cū agit clementissimus amãtissimusq; noster Deus, quam magnus Patriarcha Iacob cū suo dilecto grege, de quo scriptum est, quod neq; interdium quiesceret, neq; nocte somnum caperet, vt suas oues pasceret, custodiret, & tueretur. Vix natus erat agnus aliquis, quin in brachia sua sumeret, & in sino suo benignè foueret: nulla ouis erat deuia fessa, quam non iuaret, nulla infirma aut debilis, quin in hume-

208 **MEDITAT. DE VITA**  
ros sublatam deportaret in ouile. Amor  
ad hæc omnia facienda impulit bonum  
Jacob, sicut & amor nostri impulit  
Redemptorem vt pro salute animarum  
nostrarum de cælo descenderet. Mer-  
ces quam pro tot annorum labore ex-  
pectabat Jacob, erat, habere in sponsam  
formosam Rachelem. Merces verò quã  
Christus pro laboribus & ærumnis suis  
pro nobis susceptis postulat, non est  
alia præter salutem nostram, vt nempe  
anima nostra fiat eius casta & imma-  
culata sponsa. Ex alia parte si oculos  
reflectamus ad infernum, videbimus  
effectus omnino ab his discrepantes,  
imò contrarios. Etenim dæmon non  
aliud spectat, nec alio studium omne,  
artesque suas conuertit; quàm vt ope-  
ra Dei impediatur, & homo fructum be-  
nificiorum à Deo perceptorum amit-  
tat. Vnde lupi famelici instar circuit  
quærens furtiuum aliquem aditum in  
Domini ouile, ad deuorandas & di-  
spergendas oues. Vide quanta sit dæ-  
monis superbia, quæ semper in eo vi-  
guit; & ideo dicit, *In calum conscendã,*  
*super astra Dei exaltabo solium meum, si-*  
*milis ero altissimo.* Cum enim cognõrit  
animam cuiusque iusti esse ipso cælo  
Empyreo, in quo residet Deus, ceu in  
pro-

*Esaiæ. 14.*

proprio regno, nobiliorē, aduertens se expulsum vno cælo, molitur ascendere in aliud magis pium, nempe, animā nostram, & in ea, eiecto Deo, sedē suam collocare. Et sicut D E V S quando animam aliquam ingreditur, totam vult possidere: vnde ipse dicit, *Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua.* Sic dæmon, quando per peccatū alicui animę dominatur, conatur omnē eius vigorem & virtutem exsugere, vt debilitatis & fractis omnibus eius viribus & facultatibus, non possit se ampliùs, sine singulari Dei misericordia, iuuare, & salutem suam procurare. O animæ infelices peccatorum, quæ tam facile repudiato benignissimo redemptore, qui sanguinem & vitam profudit pro vestra salute, vt simul cum illo effectis hæredes in cælo, vos submittitis potestati huius tyranni infernalis qui non aliud quærit, & spirat quam nostram perditionem: expendite quęso quam stragem iste famelicus leo de vobis facere machinetur in inferno, quando, vt apparet in hoc miserabili iuvene tanto odio & furore in hac vita exagitat & discerpit corpora nostra.

2, **C O N S I D E R A**, quomodo  
CHRIST

210 **MEDITAT. DE VITA**  
**CHRISTVS** Dominus noster post de-  
monstratum in monte tribus discipu-  
lis suis, vti magis perfectis, sublime suæ  
diuinitatis arcanū, & gloriæ suæ prælu-  
dium, descendat ad turbas, quæ vt im-  
perfectæ & imbecilles ad superandum  
culmen montis in valle remanserant,  
vt illis quoq; sua doctrina & miraculis  
aliquam instructionem relinqueret. Et  
quoniam aliàs ex monte altissimo suæ  
diuinitatis descēderat, vt principem te-  
nebrarum ex hoc mundo exigeret, quē  
iniuste possidebat, congruens fuit vt  
in descensu huius montis illi obuiam  
fieret, qui in persona huius iuuenis  
oppressam & captiuam tenebat hu-  
manam naturam. Quare fortissimus  
hic belli Dux, cōserturus manum cum  
forti illo armato, ante descensū è mon-  
te, totam noctem in oratione, vt se ad  
hæc pugnam cōpararet, absumpsit. Verū  
quid causæ est dulcis Domine, quod  
humanitatem tuam tã cito exuisti glo-  
ria & consolatione in hoc monte illi  
communicata? Quod si forte discipuli  
tui, & turbæ illæ aliquid per absentiam  
tuam patiebantur, non vtiq; rationes tibi  
deerāt succurrēdi illis, vt minimè opus  
fuerit idcirco hunc montē felicē dese-  
rere. At immensa tua caritas, & inflam-

*Luc. 11.*

matum desiderium versandi inter discipulos tuos, & simplices illas turbas, vt eis auxilium aliquod impartires, effecit, vt pro bono nostro, volueris te priuare tuo, & ad nos solandos te priuare consolatione tua. Sicut etiam, cum esses in forma Dei beatissimus & gloriosissimus, voluisti exinanire te ipsum, *Phil. 2.* & formam serui, subiiciendo te humanis nostris miserijs, assumere. Verè pastor bonus, qui nō suum sed ouium cōmodum quærit, tenax consolationum, *Ioan. 10.* sed prodigus laborum & afflictionum pro nobis susceptarum. Vnde cum non posses ad horulam vnam esse sine nobis, maluisti tibi deesse, quam nobis nō adesse & prodesse. Nec mirum: nam in persona tua dixit Sapiens. *Delitia mea* *Prover. 8.* *esse cum filijs hominum.* Miror verò plurimum hominis ingratiudem sæpenu mero te, summum bonum, præ miseris his rebus creatis respicientis.

3. CONSIDERA Iesu de monte descendente, discipulos magno desiderio eius reditum præstolantes, simul atq; eum conspexerunt, confestim ad eum accurrisse, velut oues ad suum pastore, & filios ad amantissimū Patrē. Turbæ verò ignaræ vbi fuisset, & vnde veniret,

ret, inopinato hoc aduentu partim, vt  
 habet Euangelium, fuerunt obstupefa-  
 ctæ, partim expauerunt. Neque res no-  
 ua fuit hic stupor, quicquid enim in  
**CHRISTO** erat magno stupore & ad-  
 miratione dignum erat. Illud verò no-  
 num fuit, amabilissimam illam præ-  
 sentiam & conspectum **CHRISTI**  
 in quem desiderant angeli prospicere,  
 tantum illis incussisse pauorem, cum  
 Propheta ex aspectu huius benigni &  
 clementissimi vultus nobis promittat  
 salutem cum dicit. *Ostende nobis faciem  
 tuam & salui erimus.* Verum nō potuit  
 ille terror & pauor aliunde proficisci,  
 quam ex quodam splendore vultus;  
 quoniam enim paulò ante ipso sole  
 splendidus refulserat, adhuc scintillam  
 aliquam diuinæ illius lucis retinuerat.  
 Sicut accidit quoque filiis Israel, qui,  
 similiter conspecto splendore faciei  
 Moïsi de monte descendenti post col-  
 loquium cum Deo habitum, valde sunt  
 exterriti. Totus igitur populus, vt vidit  
**IESVM**, accurrit ad **IESVM**, eius  
 salutandi audiendique causa. Beati pe-  
 des qui meruistis adire **CHRISTVM**,  
 & beatæ linguæ, quæ digne fuistis eum  
 salutare. O quanta mihi hic se offert  
 confusionis occasio, dum video turbas  
 tan-

*Psal. 79.*

tanta promptitudine & desiderio accurrere ad Christum; animam autem meam tam fastidiosam & ignauam, ut non solum tam vicinum quærat, verum etiam vltro venientem, & ad fores cordis suis pulsantem, ac dicentem, *Aperi* *Cant. 5.*  
*mibi soror mea sponsa*, repellat, & ut ita dicam, ianuam in faciē occludat. Dominus verò cum ad turbas peruenisset, sereno vultu, verbisque benignis interrogauit dicens *Quid disputatis inter vos?* Quæsiuit autem id prudentissimus Iesus, non quod inscius esset eorum omnium, sed partim ad liberandos calumnia suos discipulos, quos Scribæ ob non eiectum dæmonem calumniabantur, partim ad præbendam occasionem illi afflicto Patri, qui filium energumenum adduxerat ut pro liberatione sibi supplicaret: neque enim vnquã postulare ausus fuisset misericordiam si ipsa misericordia eum non antè præuenisset, & ad id animasset.

4. AD HANC ergo vocem Patri energumeni additus est animus. Quare ex summo desiderio salutis filij, quo flagrabat, expectare non potuit, donec aliud responsum daretur, sed præcurrens alijs, fidensque magis eius potentiz quam discipulorum, adiunxit se illi.

## 214 MEDITAT. DE VITA

li. Vbi primo considera, quanta humilitate & ardore, bonus hic homo petitionē suam proposuerit; nam profunda submissione abiecit se ad pedes CHRISTI, & vocans Dominum magno clamore & multis lachrymis extremam filij calamitatem exposuit, ac ut amplius eum ad misericordiā commoueret, duas sui doloris præcipuas adduxit causas. Alteram, quod is, pro quo precaretur, esset filius vnicus. Alteram verò, quod horribili & miserando quodam morbo affligeretur, adeoque incurabili, ut nec discipuli quidem illi mederi potuerint. Contem-  
plare nunc hoc loco misericordem IESVM, quē verisimile est, dum in cæstus Pater prolixè calamitatem filij sui commemorauit, in persona huius energumini considerasse statum miserum totius humanæ naturæ, quæ obfessa & oppressa à diabolo, facta fuit (instar huius lunatici) instabilis & inconstans, atque à diuersis animi perturbationibus & indomitis cupiditatibus agitata, velut nauis, ab aduersis & turbulentis ventis nunc ad hunc, nunc ad illum mundanarum illecebrarum scopulum impulsæ. Vnde nihil minus facere potuit, quam per commiserationem, si



non oculorum, saltem cordis interiores lachrymas amarissimas vberim profundero, cum summo desiderio citissimè per sanguinolentum suum baptismum lethali nostræ infirmitati medēdi. Ex alia parte cogita, quāto dolore cor eius affligeretur, cum cerneret tantā incredulitatē, malitiā, & obstinationē illius populi: qui ad aliud non erat intentus, nisi ad calumniandam illius doctrinam & miracula. Nam & in præsentia, quod discipuli non potuerint hunc filium liberare, non tam causam dedit eorum exigua & imperfecta fides, quam magna incredulitas Patris, aliorumq; qui ibi erant. Vnde Dominus velut misericors Medicus, cum dolorem amplius celare non posset, misericordia simul & zelo salutis eorum commotus, non autem ex impatientia vel indignatione, exclamauit dicens. *O generatio in* *Matth. 17.*  
*credula & perversa, quousque ero vobiscum, usquequo patiar vos?* ( ) quanto re-  
 etius in te anima mea, hæc verba obiurgatoria Domini quadrabāt, cū hoc maior tua sit ingratitude, quā Iudæorum illorū, quo maior notitia tua est, quam illorum, & quo plura & maiora beneficia tibi à Domino. quam illis sunt collata. Heu quoties verbis Christi aures

aures oclulisti? quoties salutaribus inspirationibus repugnasti? quoties cōtra diuina mandata, conscientiamque tuam quodammodo per vim & pertinaciter delinquere voluisti, & tuæ effrenatæ obsequi voluntati? & nihilominus amabilissimus Deus præsto est tibi, te tolerat, nec cessat tibi prædicare & adiumento esse. Certe si non mouet te ratio propriæ salutis, moueat te saltem tanta bonitas, tanta benignitas, tanta longanimitas suavissimi tui redemptoris.

5. I A M verò, qui zelum hunc Christi notasset, & graua hæc verba quibus infidelitatem Iudæorum coarguebat, audisset, non videtur aliud arbitrari potuisse, quam illum potius voluisse eos à se repellere, quam beneficio aliquo afficere, quandoquidem non nisi necessitate coacti eum accesserant, & quāuis oculis suis vsurpassent tot tamque stupenda miracula, tamen parum illis credebant, imò multi eorum non tam diuinæ eius potentix, quam arcano alicui cum dæmone commercio attribuebant. At benignus IESVS, de quo scriptū est, *cum iratus fueris, misericordia recordaberis*, licet demonstraret se iratum contra eos, tamen subito dixit,

*Matth. 12.*

*Heb. 3.*

*Addu.*

*Adducite illum ad me.* An non poterat Dominus, ut alias non semel fecerat, liberare hunc hominem, & absens eijcere dæmonem dicendo Patri energumeni, ut dixerat Cananææ, *Vade, fiat tibi sicut vis?* Verum magna sapientia id fecit: nimirum ut populo circumstanti, dum oculis suis videt, quam diris iactationibus dæmon exagitet corpus huius energumeni adolescentis, etiam in CHRISTI præsentia, gravitas mali magis innotesceret, & pariter ex consequenti diuinæ potentiae magnitudo, atq; imprimis contrarietas inter ipsum & Satanam, lucem & tenebras, magis elucesceret, atque ita conuincerentur illum non patrare miracula in virtute Beelzebub, dæmoniorum principe, ut Scribæ criminabantur. Ac fortè eisdem de causis noluit Dominus fidei discipulorum cooperari in expellendo dæmone, ut hoc miraculum reseruaretur suæ potentiae, ad pettrahendos turbæ popularis animos in cultum & fidem CHRISTO præstandam, in quo eorum salus consistebat. Nunc ergo CHRISTVS percunctatus est Patrem adolescentis, quanto tempore hoc malo vexatus fuisset, non quod ipse illud ignoraret, sed ad stabilendam & perfi-

ciendam eius fidem, quæ post patefactam imperfectionem corrigi poterat: congruens enim erat, ut prius animum Patris infidelitate, quam corpus filij dolorum liberaret acerbitate. Et rectè quidem, nam cū narraffet Christo; quatenus dæmon afflixisset & dilacerasset filiū suum, dubitās, uti infirmus adhuc in fide, an fortè ob magnitudinē & diuturnitatem morbi, curationem sit recusaturus, ut fecerant iam discipuli, dixit ad illum. *Si quid potes, adiuua nos.* O fides verè imbecillis: non certè ita fecit leprosus, qui, licet diuturna incurabiliq̃ ægritudine detineretur, nihil de potentia CHRISTI ambigēs, dixit, non ut ille *Si potes adiuua, sed, si vis, potes.* Vide hic quam bene CHRISTVS hunc hominem, alludendo ad eius verba, in fide promoueat. Quia enim ipse dixerat, *Si quid potes,* Christus ei respōdet, *Si potes credere, omnia possible sunt credenti.* Vbi nota singularem modestiam à CHRISTO in verbis usurpatam, dum suam potentiam quodammodo submittit alienæ, imò nihil dicendo, quid ipse posset, totum alienæ fidei tribuit: neque enim respondet, ut videbatur debuisse, *Ego sine dubio possum, si tu possis crede-*

re: verum tantum dicit, si potes credere, omnia tibi sunt possibile. His humanissimis verbis, quibus tacita quaedam inerat reprehensio, quasi propter incredulitatem suam dignus non esset hoc beneficio, accensus ille homo, cepit plorare & exclamare: *Credo Domine, adiuvā incredulitatem meā*, Petitio verè nobis necessaria, qui vitio diffidentiae non impetramus à Domino quod volumus, Vnde bonum consilium nobis dedit S. Iacobus Apostolus illis verbis, *Postulet in fide nihil hesitant* Sed <sup>1 ac. 2.</sup> tã bonus & benignus est noster Deus, etsi tantum confiteamur fidei nostrae imperfectionē, & humiliter petamus, vt bonus hic homo fecit, vt dignetur eam perficere, & imperfectam non respicere, impetrabimus quicquid voluerimus.

6. VIDENS ergo Dominus concursationem turbarum, mandavit cum imperio immundo spiritui, vt è corpore illo egrederetur, nec amplius reverteretur. Quibus verbis declaravit potestatem & auctoritatem suam in daemones, iussit autem ne rediret, vt sciret beneficiū hoc non esse temporale sed perpetuū O quã pròptus, quamq; liberalis es Domine mi, in cōcedēdis beneficijs

à te postulatis? contra, quam tardi & negligentes nos sumus in implorando tuo auxilio? miser enim hic adolescens ab infantia erat à maligno spiritu obsessus, & in hanc usque horam pater eius nihil minus cogitauit quam de implorando tuo auxilio, & tamen non negas illi gratiam, imò plus ei largiris quam postulet; nam non solum liberaisti filium ab immundo spiritu, sed etiam ex anima Patris exterminasti spiritum incredulitatis, Obediuit igitur confestim dæmon voci Dominicæ; ac quid minus facere poterat, quam obedire omnipotenti verbo? quod uti sufficiens fuit ad condendum totum orbem terrarum, sic etiam ad destruendum, & in nihilum redigendum, quotiescunq; libèret. Exiuit ergo dæmon è iuvene, sed ita discerpto, vt iaceret humi quasi mortuus. Vnde liquet ægerimè dæmonem diuelli ab anima quã semel infederit; cum tantis viribus opus sit ad illum è corpore exturbandum. Manebat ergo iuuenis tanquam mortuus. Sed felix mors, quæ tam lætam vitam peperisti: nam **CHRISTVS** manu iniecta subleuauit eum, opus inchoatum perficiens. Totum autem hoc Dominus permisit, vt hoc secundo miraculo-

eulo confirmaret primum, inimicisq; suis omnem adimeret calumniandi occasionem. Rectissime autem dicit, eum eleuatum à CHRISTO quia vt aliud dæmonis institutum non est, quam homines per peccatum detrudere in terram, eosq; luto illecebrarum huius sæculi inuoluere: sic benignus IESVS non aliud quærit, quam nos gratiæ suæ manu attollere ad cœlestia: imò idcirco voluit exinanire seipsum, & in mortalitatis nostræ terram cadere, vt eius casu nos eueheremur in altum. O anima mea, quoties hic idem Dominus benigna sua manu te è luto extraxit, & pedes tuos defixit in petra, tuosque gressus direxit, vt rectà ingredereris viam iustitiæ; tu verò iterum incipis inclinare & prolabi in terram, è qua te eleuauit. Obsecro Domine mi alleuia graue peccatorum pondus humeris meis incumbens, ne me rursus deprimat in profundum; sed vt vi diuinæ gratiæ tuæ, instar huius adolescentis, totus sanus & ab omni periculo te nunquam amplius offendēdi deinceps immunis permaneam.

*Psalm. 39.*

7. RELIQUVM erat nunc, vt IESVS post curatam incredulitatem Patris, & sanatam ægritudinem filij, cu-

raret quoque imperfectam discipulorum suorum fidem: qui omnes pudefacti, quod in præsentia tanti populi non potuissent illum demonem expellere, veriti se ob aliquam indignitatem suam ea gratia destitutos, mox atque dominus domū ingressus est, humiliter se illi adiunxerunt, secretoque rogârunt causam istius suæ impotentiae, num forte per imprudentiam aliqua in re ipsum offendissent, & ita culpa sua virtutem patrandi miracula, daemonesque exigendi aliàs concessam perdidissent. Sed **CHRISTVS** vt bonus magister benignè respondit, duas fuisse causas impotentiae ipsorum, & primo quidem, imbecillitatem fidei ipsorum, exiguam scilicet fiduciam. Nam ad facienda miracula non solum requiritur fides, qua discipuli illi non carebant, sed opus est quoque fiducia firma à Deo omnia obtinēdi: quæ fiducia non est aliud, quam excessus quidam & feruor fidei, quæ ob efficacitatem suam à Domino comparatur grano sinapis, & tanti roboris est, vt, sicut idem subiungit, possit transferre montes, id est, quiduis quantumuis arduum impetrare. Hic ergo peccârunt discipuli, forte perterrefacti daemonis istius malignitate



tate iam in corpore illo inueterati, & ideo diffisi sunt se posse eum debellare. Altera causa erat, quod hoc genus dæmonum, non cedebat nisi orationi & ieiunio, quorum neutrum discipuli adhibuerant. Vide quam prudens consilium hi Sancti discipuli ceperint, & verè declarârint se esse discipulos eius, qui magister erat omnis perfectionis. Nam verisimile est, si petitionem illam non proposuissent Christo, illum, ut erat benevolentissimus, & imperfectiones eorum dissimulabat, expectans donec ipsos errati pœniteret, nihil dicturum fuisse: verum maluerunt illi pro sua mortificatione erratū patefacere, ut possent se emendare, quam celare, nulla secuta emēdatione. O quam dissimiles sumus hac in parte istis discipulis: neq; enim solum lapsus nostros agnoscere nolumus, verū etiam agnitos, ipsa licet reclamante conscientia, diligentissimè suppressimus, ne in aliorū notitiā veniant. Vide quoq; quāto perè in duobus illis deficiamus, de quibus Christus cōmonetecit suos discipulos. Quid ergo mirum, si hoc sæculo tā pauca fiant miracula, & si post concionatorum clamores & labores tam difficulter dæmon expellitur, ipsumq; peccatum ex

animis peccatorum. Plurimum profectò elanguit fides nostra, & caritas refrixit. Dicimus quidem nos credere in **CHRISTVM**, sed opera **CHRISTI** nō preestamus. Magnam fiduciam ponimus in nobis ipsis, in diuitijs, in mundi potentia, & favore, sed exiguam ponimus in **Christo**. Est quoq; necessaria oratio cū ieiunio ad expugnandum spiritum malignum: neque enim dæmon timet hominem per orationem Deo non cōiunctum: nec dominari potest dæmoni, qui per ieiunium & carnis mortificationem non dominatur sibi ipsi. Quo ergo homo carnem suam amplius subiecerit spiritui, & spiritum Deo coniunxerit, hoc aptior erit & robustior ad immundos spiritus oppugnandos & vincendos. Sed quàm bene **DEVS**, exiguum studium adhibemus in hac sancta orandi, & mortificandi corporis nostri exercitatione? O quam erant primi olim **Christiani** deuoti, quam ardentés, quanti contemptores mundi, sui, omniumq; rerum terrenarum? atque ideo mirum non est eos tanto terrore fuisse dæmonibus, quos facillimè eiciebant. At nos tepidi **Christiani**, qui ab omnibus incommodis abhorremus, & bene carnem nostram tractare volu-

volumus, sensuiq; & voluntati nostræ  
facere satis, atq; ita potestate dæmonis  
submittimus, quid mirū est, si nō domi-  
nemur ipsi, vel non possimus eū exter-  
minare ex corporib. vel animis aliorū?

## COLLOQVIVM.

**O**RA CHRISTVM Dominum,  
quoniam dignatus est ex cœlesti  
monte descendere in hęc humillimam  
terram, ad liberandum nos à morbis &  
ærumnis, servandumq; ab insidijs &  
molestijs hostiū nostrorum, velit quoq;  
pro bonitate sua tui singulare patrocini-  
niū cōtra malignos spiritus noctu diu-  
que tibi infestos suscipere, simulq; lar-  
giri gratiam, vt occupando te continē-  
ter in sancto orandi, ieiunandi que exer-  
cizio, robur tibi suppetat, ad omnes ten-  
tationes & fraudes eorum superandas:  
victis autem diuino eius favore aduer-  
sarijs omnibus, aliquando merearis ex  
humili hoc loco assumi in illum subli-  
mē, vnde illi per superbiam suā deiecti  
sunt, & à sua Maiestate recipere coronā  
victoriæ,

## DOCUMENTA.

1. **C**HRISTVS post transfigurationem  
suā descendit ex monte, & contulit  
se ad turbas à quib expectabatur. Quare  
voluit instruere Prælatos & religiosos,  
K 5 aliasq;

aliasq; personas spirituales, ut postquam transfigurati fuerint in se per orationis, contēplationisq; exercitia, non obliuiscantur redire ad pascēdas animas sibi cōmissas, exercēdasq; misericordie officia erga proximos secundū rationem vitæ actiue.

2. Christus post tantam gloriam sua transfigurationis, tamq; eximium aterni Patris testimonium, non dedignatus est iterum cōuersari cum suis rudibus discipulis, & paupere ac simplici turba, atq; etiam cum infirmis & energumēni curationis causa isthuc adductis. Haud secus verbi Dei prædicatores etiam si excellent donis natura & gratia, nõ vereri debent se demittere ad informādos homines rudes & pauperes, imò & peccatores, ac quotquot infirmi sunt spiritu. Omnes enim anima rationali præditi sunt, & omnes vult Dominus saluari.

3. Satis erat Patri energumēni, petere à Christo liberationē, nec opus erat, addere, discipulos non potuisse eum liberare: aut potius omnem culpam conferre debebat in se & modicam suam fidem, quam in discipulos Domini. Sic hodie multi ætatem optatam obtinendam, ne illis lapsus vel erratum aliquod obijciatur, in alios culpam conijcere conantur, & excusando seipos, accusant alios.

4. Et si incredulitas Patris energumens magnam causam dederit, cur discipuli demonem pellerent non potuerint, tamen CHRIS-  
TUS non reprehendit nominatim eius incredulitatem, sed generatim tantum, ad  
instituentos concionatores, ne publicè re-  
prehendant particulares personas, sed vi-  
tia tantum generatim carpant, singulis-  
que relinquunt, ut quod eos tangit sibi  
accommodent.

5. Energumeno hoc ad Christum adu-  
lto spiritus capit eum conturbare, ad ter-  
ram affligere, & deterius tractare quam  
antè. Homo non solet tentationibus agi-  
tari, quando vitam solutam ducit secundum  
voluntatem demonis: sed dum conatur se  
abducere ab eius imperio, & redire ad  
Christum per vitam piam & sanctam, tunc da-  
mon, ne prada labatur è manibus, omni-  
bus artibus utitur ad eum retinendum,  
varias tentationes ei immittendo, uti be-  
nè monuit Sapiens illis verbis. Filius acce- Ecc. 2.  
dens ad servitutem Dei, sta in iustitia &  
timore, & præpara animam tuam ad ten-  
tationem.

6. Primo damo miserum hunc adolescē-  
tem deiecit in terram, deinde vero varijs  
modis afflixit. Hoc præcipuum officium  
& studium est demonis, efficere, ut  
homo per peccatam etiam unicum præ-

labatur in terram; nam semel prolapsus  
deinde facile in alia atq; alia detrudit &  
precipitat.

7. Christus perfectam sanitatem huius  
iuueni redditurus, mandauit damoni nō  
solum ut exiret, sed etiam ne rediret. Inde  
liquet peccatorem bonam & veram pe-  
nitentiam egisse, quando non solum dese-  
rit peccatum, sed etiam in idem non re-  
labitur, nec alia noua cōmittit: sicut con-  
tra, qui post confessionem peractam con-  
tinuo redeunt ad vomitum, manifestè in-  
dicant confessionem vel cōtritionem suā  
fuisse imperfectam, hoc est, non habuisse  
firmum & constans propositum, quod re-  
quiritur, emendanda vita.

8. Iesus post expugnatum damonē, ma-  
num iuuenis apprehendit, eumq; ele-  
uauit & in pedes erexit: ut intelligeret  
peccator, in potestate sua quidem esse la-  
bi & peccare, sed non eleuari & surgere  
à peccato, si absit diuina gratia auxi-  
lium: deinde ut disceret, postquam pec-  
catum euomuit, non debere se compone-  
re ad sedendum, aut manibus complicatis  
remanere, sed potius erigere se in pedes,  
& in bonis & sanctis operibus exercere.

9. Christus noluit suos discipulos repre-  
hendere in presentia populi, sed tantum  
priua.

privatim, cum soli versarentur in do-  
mo : erant enim futuri aliorum Ma-  
gistri, & ideo non conveniebat, ut populo  
constarent eorum imperfectiones. Quare  
indicare voluit, admonitiones & corre-  
ptiones omnes faciendas opportuno tempo-  
re, & loco: personasq; publicas non esse re-  
prehendendas publice, sed privatim & sa-  
cretò.

10. Dixit Christus genus illud dæmo-  
num, à quibus adolescens ille erat tanto  
tempore obsessus, non potuisse eijci, nisi ora-  
tione & ieiunio. Prociaret ergo peccator,  
dum invenis est, & peccatum recens, subi-  
tò cum verò dolore & confessione eum e-  
ijcere: si enim prava longi temporis con-  
suetudine siverit eum in anima sua inus-  
terascere non poterit tam facile expelli:  
nam ad exuendos habitus inusuetatos nò  
quavis media & remedia sufficiunt,  
sed opus est adhibere crebras  
preces, ieiunia, aliasq;  
corporis aspe-  
ritates.



DE ANGELIS,  
ET SPECIATIM  
DE ANGELIS CV-  
STODIBVS.

MEDITATIO IX.

EVANGELIVM.

Matth. 18.

**A**CCESSERVNT discipuli  
ad IESVM, dicentes. Quis  
putas, maior est in regno coe-  
lorum? Et aduocans IESVS par-  
uulum, statuit eum in medio eo-  
rum, & dixit. Amen dico vobis, ni-  
si conuersi fueritis, & efficiamini  
sicut paruuli, non intrabitis in re-  
gnum caelorum. Quicumque er-  
go humiliauerit se sicut paruulus  
iste, hic est maior in regno caelo-  
rum. Videte ne contemnatis v-  
num ex his pusillis, dico enim vo-  
bis, quia Angeli eorum, in caelis  
sem-



semper vident faciem Patris mei,  
qui in caelis est.

PROPHETIÆ.

1. **Q**uis sicut Dominus Deus noster,  
qui in altis habitat, & humilia  
respicit in caelo & in terra? *Psalm. 112.*
2. Deus ponit humiles in sublime. *Iob. 5.*
3. *Aspiciebatur donec throni positi sunt,* *Dan. 7.*  
& antiquus dierum sedit, vestimentum  
eius candidum quasi nix, & capilli capi-  
tis eius quasi lana munda, millia millium  
ministrabant ei, & decies millies centena  
millia assistebant ei.
4. Angelis suis mandavit de te, ut cu- *Psalm. 90.*  
stodiant te in omnibus vijs tuis.
5. Immittet angelos Domini in circuitu *Psalm. 90.*  
timentium eum, & eripiet eos.
6. Ne dicas coram Angelo, non est pro- *Eccl. 3.*  
videntia: ne fortè iratus Deus contra ser-  
mones tuos dissipet cuncta opera manus  
tuarum.

CONSIDERATIONVM

PARS PRIOR.

IN COMMUNI.

**C**ONSIDERA, qua ratione  
CHRISTVS Dominus noster  
pro magno amore, quo nos creaturas  
suas prosequitur, nunquã desinit novas  
pra-

præbere occasiones gratiam suam consequendi, & in virtutibus progrediendi, vt tandem perueniamus ad finem, æternam scilicet foelicitatem ab eo nobis præparatam. Atque ideo voluit in Ecclesia sua celebrari omnia nostræ redemptionis mysteria, vt renouata indies memoria omnium, quæ Dominus egit, aut passus est pro salute nostra excitamur ad amandum illum & colendum, atque etiam ad conformandum omnes actiones nostras ad sanctissimæ vitæ suæ exemplar nobis relictum. Neque hac re contentus, voluit præterea sigillatim suæ sanctissimæ & benedictæ matris, atque ex omnium Sanctorum cœtu, quorundam præ cœteris excellentium peculiarem in eadem Ecclesia agi memoriam, vt essent velut patroni & protectores nostri, suisque orationibus nobis subuenirent in necessitatibus tam corporalibus quàm spiritualibus, simulque occasionem darent nobis suas virtutes & sanctæ conuersationis suæ exemplum imitandi. Voluit deinde quoque, vt quoniam Ecclesia & omnes nos Sanctorum Angelorum ministerio tot tantaque beneficia à sua maiestate quotidie recipimus, eorum quoque solennis me-

moria quotannis haberetur. Et certe  
 conueniens erat, vt homines erga illos  
 aliquam grati animi significationem  
 demonstrarent, quando quidem tanto-  
 perè desiderant & procurant salutem  
 nostram. Eam igitur ob causam Eccle-  
 sia sancta memoriam recolit gloriosi S.  
 Michaelis singularis sui protectoris, o-  
 mniumque reliquorum Angelorum  
 & Archangelorum hierarchie cœlestis,  
 quia omnes, teste Apostolo, sunt ad-  
 ministratores spiritus, laborantes quo-  
 dammodo pro salute omnium electo-  
 rum. Non dedignantur beati spiritus  
 demittere se ad ministerium hominum,  
 alioquin ipsis longè inferiorum, quia  
 vident Deum optimum maximum cui  
 tam cupidè & ardentè seruiunt, eous-  
 que demisisse se, vt ob salutem homi-  
 nis, etiam formam hominis assumpse-  
 rit. Neque etiam dedignantur homi-  
 nem in suam societatem cooptare, &  
 permittere, vt ex nobis vermiculis, ex  
 hoc vili puluisculo ædificentur muri  
 cœlestis Hierusalem, suæque ruinæ re-  
 staurantur, quia adorât supra se, ipsum  
 hominem factum Deum. Considera  
 autem hic, quàm congruenter Ecclesia  
 Sancta in festo huius inuicti Archan-  
 geli præsens Euangelium de virtute

Hebr. v.

humilitatis legat. Nam sicut superbus Lucifer ad usurpandum diuinum honorem exaltissimo Paradisi throno precipitatus fuit in profundum inferni: sic humilis Michael cum toto Angelorum bonorum exercitu, subiiciendo se creatori suo, & zelo gloriæ eius opponendo se fastuoso illi serpenti, tantopere fuit honoratus, & in summam dignitatem euectus. Proponitur quoque hoc Euangelium in solennitate omnium eorum Angelorum, qui vnà cum beato Michaelle virtute humilitatis consecuti sunt coronam gloriæ; vt homines intelligant hoc esse ineffabile & æternum decretum Dei, neminem posse peruenire ad gloriam, quam possident Angeli, nisi per viam humilitatis, quam illi primum instituerunt. Imò & Christus Saluator noster beneficio huius virtutis sui sacri corporis gloriam acquisiuit, vt dicit Apostolus. *Humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum.* Quare prodigiōsa res esset, si eius fideles alia via, quàm caput ipsorum, ingredi regnum cœlorum vellent.

2. **CONSIDERA** excellentiam horum cœlestium aulicorum Paradisi principum, quam licet mens nostra

per-

*Apoc. 12.*

*Phil. 2.*

perfectè capere non possit, tamen pro exigua luce, ex eorum erga nos ministerio nobis communicata, conabimur in eorum honorem ob oculos ponere partem aliquam dignitatis & gloriæ à Domino eis concessæ. Tria igitur sunt, quæ illustrem solent reddere, aulam, vel exercitum magni Principis. Primò nobilitas personarum; secundò earundem numerus; tertio ordo. Tria hæc imprimis relucet in angelicis spiritibus. Si enim primò consideres eorum naturam, inter opera manu artificis magni Dei condita, principem locum vendicant: sunt substantiæ spirituales: natura sua incorruptibiles, omniumque creaturarum nobilissimæ: intelligentia tanta, ut in rerum naturalium notitia expertes sint omnis erroris & ignorantiae. Huic quoque tanto lumini intelligendi conformem habent voluntatem ita firmam & perfectam, ut nulla perturbatione affici vel vinci possint. Si verò te conuertas ad statum, in quo beneficio gratiæ nunc versantur, nullo vnquam admissio peccato consecuti sunt gloriam & æternam foelicitatem. Ad hæc in sua essentia ornati sunt habitu diuinæ gratiæ, qui eos pulcherrimos & gra-

& gratiosissimos in conspectu Dei reddi-  
 dit. In intellectu dotati sunt claro lumi-  
 ne gloriæ, quo à facie ad faciem vi-  
 dent suum Creatorem: in voluntate ve-  
 rò habitu caritatis, quò amantes amo-  
 re perfectæ amicitie Deum, simul Filij  
 & amici ipsius Dei efficiuntur. Nunc  
 ergo anima mea, contemplare horum  
 cœlestium civium pulchritudinem, qui  
 instar tot stellarum matutinarum, imò  
 clarissimi Solis, resplendent in ciuitate  
 Dei, in quibus tanquam in lucidissimis  
 speculis diuinæ perfectiones, vt infinita  
 potentia, æterna sapientia, ineffabi-  
 lis bonitas, & ardentissima Creatoris ca-  
 ritas relucet. O quàm amabiles, quàm  
 puri, & candidi sunt hi beati Spiritus,  
 quàm zelosi vindicandæ Domini glo-  
 riæ, quàm cupidi & solliciti de nostra  
 salute, atque ideo quàm digni, vt à no-  
 bis peculiariter amentur & colantur. E-  
 tenim si honor (vt aiunt Philosophi)  
 est cultus qui alicui debetur ob excel-  
 lentiam, vel virtutem quam in se ha-  
 bet, & idcirco ijs hominibus, licet om-  
 nes secundum naturam inter se sint  
 pares, qui aliqua laude alijs præcellunt,  
 maiorem honorem deferre solemus:  
 quanto potius nos creaturæ tam viles  
 & abiectæ, si cum cœlestibus spiritibus

conferamur, omnem honorem & cultum eis deferemus? cum vnusquisque eorum, licet minimus, in supra commemoratis dotibus & excellentijs, nobilissimum quemque hominum mortalium longè superet. Præterea si sancti angeli, creaturæ tam nobiles natura & graua, omnibus reliquis antelatae, demittunt se & honore afficiunt hominem, quia Deus eundem amauit & honorauit; multo certè conuenientiùs, nos perpusilli vermiculi, omni honore, & deuotionis affectu prosequemur eos, quos Deus tantopere honorat & exaltat in caelo.

Hi enim sunt filij illi dilecti, qui temper contemplantur faciem Patris, & candida illa & pura lilia inter quæ ipse pascitur, & montes aromatibus odoriferis pleni, in quibus caelestis sponsus ambulat, & se recreat.

*CANT. 2. 8.*

3. POST dignitatem & excellentiam huius aulae caelestis considera numerum & ordinem aulicorum, Et primò, quod ad numerum attinet, is tantus est, vt non solum excellat numerum hominum omnium qui nunc viuunt, verum etiam eorum qui vnquam extiterunt, aut futuri sunt vsque ad diem iudicij. Multitudo horum beatorum spirituum, similis est arenis maris, & stel-

248 **MEDITAT. DE VITA***Ecol. 1.*

stellis, quas Sapiens dicit, numerari non posse. Atque vt asserit S. Dionysius Areopagita capite 9 coel. hierarchiæ, maior est numerus angelorum cuiuslibet ordinis, quàm in mundo sit in vlllo ordine rerum materialium.

*Dan. 9.*

*Millia millium*, dicebat Propheta, *ministrabant ei, & de dies millies contena millia assistebant ei.* vbi more suo scriptura vsurpat numerum certum pro incerto, & quidem numerum hominum opinione maximũ, vt intelligatur numerum eorum à solo Deo iniri posse, quod quæ apud Deum numerabile est, id apud homines esse infinitum & innumerabile. Et ideo legimus in Iob:

*Iob. 25.*

*nunquid est numerus militum eius?* De quorum numero etiam dixit regius Propheta loquendo de Angelis.

*Psal. 67.*

*Currius Dei decem millibus multiplex, millia letantium, Dominus in eis, in Sinai, in sancto.* Sanctus quoque Euang. vt est in Apoca. ait visam magnam multitudinem in conspectu Dei ex omnibus populis & linguis & nationibus, quæ numerari non poterat. Si hic electorum numerus, quem scimus minimã esse hominum partem, tã magnus est, vt numerari non possit, quãtum putamus, fore Angelorum, qui decies omnium hominum numerum excedunt.



dunt? Meritò autem tantum hic cœlestis monarcha habet aulicorum numerum: nam si, vt dicit Sapiens. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis*, cum Deus sit princeps ille excellentissimus, rex regum, & Dominus dominantium, valde conueniens erat, vt familiam amplam, & aulam numerosam in spatio so illo regno & immenso cœli palatio haberet.

O quantum gaudium & solatium tibi afferret animâ mea, si multitudinem tantâ nobilium creaturarum, cum natura tantâ gratia præstantium, atque etiam gloriæ nomine beatarum intueri posses. O si tibi fœlix illa fors aliquando contingeret, vt inter cœlestia illa agmina in tantorum Principum & filiorum Dei, imò fratrum tuorum cœtu versatère: non enim erubescunt sublimes illi & amabiles spiritus homines pro fratrib. agnoscere, eo quod Dominus eorum, non solum non veritus est vocari, verum etiâ verè, per assumptam carnem, voluerit fieri frater noster. O quàm libenter etiâ tu vnâ cum vocibus illis angelicis laudares & benediceres Dominum tuum, pro tanto beneficio ab eo recepto.

4. CONSIDERA deinde mirabilem ordinem à diuina providētia angelicis spiritibus decretum & cōstitutum; sine

*Prov. 14.*

*1. Tim. 6.*

cum Deo, siue inter se, siue cum alijs huius mundi creaturis componantur. Si enim conferas illos cum Deo, nulla est inter eos discrepantia, omnes enim eum vnanimiter colunt & reuerentur, tanquam solum Principem, & coelestis suæ ciuitatis Dominum Si inter se, nulla in tanta multitudine confusio, summus ordo, admiranda distributio, diuersis intelligendi modis consentaneæ; Alius alio sublimior & excellentior, prout **DEVS** illis sua arcana reuelat, eorumque ministerio in hominum salutem vtitur. Et vt ad particularia descendamus, tota gloriosorum illorum spirituum multitudo tribus Hierarchijs, suprema, media, & infima continetur. Quæuis autem Hierarchia in tres choros, summum, medium, infimum, distinguitur. Prima earum continet Seraphinos, Cherubinos, & Thronos. Vbi ex eorum nominibus facile cognosces eorum officia in quibus exercetur: proprium enim Dei est, imponere creaturis nomina officijs eis commissis conformia. Contemplare igitur primum chorum Seraphinorum, qui velut cubicularij secreti & intimi Regis coeli, conuenienter nomini suo non solum sunt pleni & inflammati caritate, sed spi-

Spiritalis ignis instar diuino amore  
 semper ardent, & simul eodem accen-  
 dunt, & illustant Angelos sibi inferio-  
 res. Deinde contemplare Cherubi-  
 nos, ita vocatos, ob plenitudinem sci-  
 entia, maiusque lumen intelligen-  
 tia quo excellunt omnes reliquos in-  
 feriores spiritus, eò quod clarius DE-  
 VM videant, & in eo plura cognoscant.  
 Quare sunt velut Consiliarij Regis cœ-  
 lestis, clari scientia & sapientia, quam  
 etiam communicant Angelis inferio-  
 ribus. Contemplare post hæc Thro-  
 nos, qui velut familiares & intimi Dei  
 secretarij hoc nomine ornati sunt,  
 quod sint quasi sedes & throni regij,  
 in quibus quodammodo residet &  
 quiescit diuina Maiestas, quam etiam,  
 quocumque vadunt, quasi in sede Pon-  
 tificia, secum deportant. Descende de-  
 inde ad secundam Hierarchiam, quæ  
 continet alios tres Angelorum cho-  
 ros, Dominationum, Virtutum, & Po-  
 testatum, qui singulatim vniuersali  
 gubernationi horum inferiorum sunt  
 attributi. Et primo contemplare Do-  
 minationes, quæ representantes supre-  
 mi Principis Dominiũ, regiorum Præ-  
 sidum more, inferioribus suis impe-  
 rant, & in diuinis mysterijs ad guber-

nationem orbis emittunt . Secundò contemplare Virtutes, quæ sua potentia & vi adumbrantes infinitam potentiam Domini virtutum, omnia ardua & difficilia exequentur, mirabilesque effectus in creaturis ad DEI gloriam operantur. Tertiò contemplare Potestates, qui instar iudicum repræsentant auctoritatem & potestatem summi & vniuersalis iudicis, officiumque habent aereas potestates coercendi, omniaque impedimenta & molestias ab hominibus remouendi, ne eis aditus ad salutem intercludatur. Descendendo denique ad tertiam & vltimam Hierarchiam, in qua continentur tres alij chori, Principatus, scilicet Archangeli & Angeli ; contemplare primò Principatus, ita appellatos. quod, sicut hæc extrema Hierarchia à DEO constituta est, ad exequenda diuina iussa erga creaturas, ita Principatus, qui sunt Angeli primi chori, quoniam repræsentant supremum Principem, præpositi sunt gubernationi diuersarum prouinciarum, & regnorum particularium. Hi quoque, vt præcipui, quemadmodum à DEO immediatè mandata accipiunt, ita eadem alijs Angelis inferioribus committunt, &

auxilium etiam præbent ad ea præstanda, Sequuntur deinde duo alij Archangelorum & Angelorum, qui conuenienter nomini suo, sunt velut legati & nuncij à DEO in mundum varijs de causis emissi, atque etiam custodiendis certis locis & hominibus àdscripti. Nec aliud discrimen inter hos duos choros est, quam quod Archangelis maiora, Angelis minora committantur. Atque hoc totum, est illud exiguum, quod nos de diuina illa architectura, & ordine domus DEI intelligere possumus. Quod si acies intellectus nostri longius progredi posset, & penitus inspicere naturam & functionem cuiusque Angeli, deprehenderet eos, sicut singularia singuli officia & exercitia habent in superna Hierusalem, ita singulari quoque ordine suo omnem illam beatam aulae cœlestis multitudinem mirificè exornare. Etenim quemadmodum videmus hoc nostrum spectabile cœlum tot stellis ornatum, & secūdum numerum planetarum, in orbes distinctum, mirabili ordine moueri, & vim suam in terram subiectam exercere: sic cœlum illud spirituale & inuisibile, ordine magis admirando & diuino tot angelorū?

quasi stellarum varietate ornatum est, per quos Dominus vniuersitatis, tanquam per totidem planetarum orbis omnes donorum & charismatum spiritalium influxus in humanum genus deriuat. Ergò age anima mea, si Regina Saba audita sapientia Salomonis, & conspecta regij palatij magnificentia, numeroque & ordine ministrorum illi inseruentium, ob summam admirationem prudentiæ sapientissimi Regis attonita, *non habebat*, vt loquitur scriptura, *ultra spiritum*, dixitque: *Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.*

Quanto magis tu occasionem haberes non tam admirandi cum illa Regina, quàm cum bono illo Propheta deficiendi præ desiderio & amore beatæ habitationis, si posses perfectè intelligere dignitatem, excellentiam, & ordinem aulæ veri Salomonis, quam sua æterna sapientia & arte constituit & ordinauit. Quæ consolatio, quod gaudium, rogo, tibi esset, si post huius vitæ cursum tibi quoque illa scelicitas contingeret, vt vnà cum cœlestibus illis spiritibus aulicum agere possis tanti Domini, cui *seruire, regnare est.* O Sancti & puri angeli, o verè beati, qui perpetuò

petuo diuino conspectui assistitis, & tanta cum lætitia faciem illius cœlestis Salomonis inspicitis; à quo tanta ornati estis sapientia, tot ditati prærogatiuis, & digni effecti tanta gloria. Vos stellæ lucidæ, quæ tam foeliciter splendētis in cœlo Empyreo, infundite quæso in animam quoque meam beatos vestros influxus, seruate fidem meam immaculatam, spem firmam, mores inculpato, amorem integrum in Deum & proximum. Oro vos angeli beati, vt auxilio vestro quasi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quã vos primum institistis, vt post hanc vitam vnà vobiscum æterni Patris faciem contemplari merear, & reponi in locū alicuius stellæ olim per superbiam de cœlo delapsæ.

## DE ANGELIS SPECIATIM.

### PARS POSTERIOR.

**V**ERVM post contemplationem Angelicarum Hierarchiarum, dignum est, vt aliquid quoque contemplemur de inuictō illo cœlestis exerci-

tus Duce Sancto MICHAELE Archangelo qui ob egregium suum zelū, & fidelitatem à DEO Princeps constitutus est omnium illorum Angelorum, qui ad diuersa ministeria in mundum amandantur. Fuit quoque beatissimus Michael hoc nomine, quod interpretatur, *Quis ut DEVS*, honoratus; nam cum superbus Lucifer elatus fuit aduersus Deum, ei que similis fieri voluit, fortissimus hic Archangelus, non ferens tantam Domini sui iniuriam, ardentissimo zelo flagrans exclamauit, dicens, *Quis ut DEVS?* Quis ut DEVS? hoc est, quis tam audax, tam potens est, vt audeat se assimilare DEO? atque si diceret. Non est, siue in cœlo, siue in tota vniuersitate, creatura aliqua similis Deo nostro. O fortissime Michael, hoc nomine verè dignissime, benedictus sis inter omnes angelos, & omni laude & honore dignus inter homines, quia ita fidelis fuisti & zelosus in vindicanda DEI gloria. Hic gloriosus Archangelus non solum in triumphante, verumetiam militante Ecclesia fuit à Deo multis dotatus priuilegijs. Nā primo in veteri Legge factus est protector & custos Synagogæ, in noua verò princeps & defensor



Ecclesia DEI. Hic est præpotens ille  
 Dux & Capitaneus, cuius ingentem  
 animum & fidelitatem sectatus totus  
 bonorum Angelorum exercitus viru-  
 lenti illius serpentis audaciæ se obie-  
 cit, & obruto eius capite, victoriam  
 obtinuit, eumque præcipitem de cælo  
 egit, cum omnibus suis affecclis. Ad-  
 hæc, quotiescunque opus fuit aliquo  
 cœlesti auxilio, & pro salute fidelis po-  
 puli pugnandum, semper præsto adfuit  
 inuictus Michael. Hic enim in Æ-  
 gypto pro DEI populo depugnauit,  
 quando per multa signa & miracula  
 è Pharaonis seruitute liberatus est. Hic  
 est, qui horribili illa nocte, omnia Æ-  
 gypti primogenita percussit. Hic est,  
 qui per quadraginta annos tanquam  
 Capitaneus & Dux filios Israel antee-  
 dens, in mari rubro exercitum Pharae-  
 nis illos persequentem demersit: dein-  
 de occidit, & excidit tot gentes & ex-  
 ercitus illi repugnantes, ac denique  
 saluos & incolumes perduxit in terram  
 à Deo promissam. Post mortem quoq;  
 Moyſis, cum callidus dæmon conare-  
 tur populum Dei ratione sacri eius cor-  
 poris inducere in idololatriam, hic  
 fortis Archangelus zelo honoris diuini  
 ardens, & salutis populi, validè se illi

*Apoc. 12.**Exod. 7.**Deut. ult.  
Iudas in-  
pist.*

opposuit, cumque in fugam coniecit.  
 Hic denique, israhelitico populo dum  
 captiuus in Babylonem abductus est,  
 tempore captiuitatis exacto, manum  
 auxiliarem porrexit, omniaque impe-  
 dimenta liberationis remouit. Quam-  
 uis verò in quibusdam locis & actio-  
 nibus iam recitatis non sit nomen Mi-  
 chaelis expressum, tamen quia ille à  
 Deo constitutus est protector & custos  
 illius populi, certò credi potest, illum  
 ipsum, vel certè alios angelos ex com-  
 missione ipsius interuenisse. Præterea  
 hic gloriosus Archangelus, supra ge-  
 neralem protectionem Ecclesiæ san-  
 ctæ quam sustinet, habet specialem  
 quoque functionem sibi demanda-  
 tam, omnes iustorum animas recipi-  
 endi, qui ex hac vita ad alteram demi-  
 grant, easque insidijs & oppugnatio-  
 nibus dæmonum ereptas tribunali  
 CHRISTI præsentandi, vt con-  
 sequantur præmium, pro meritorum  
 ratione illis à Deo attributum. Dein-  
 de in fine & cōsummatione huius  
 mundi fortissimus quoque hic Archan-  
 gelus apparebit ad bellum ineundum  
 cum Antichristo, qui confictis mira-  
 culis fideles peruertere conabitur, vt  
 Ecclesiam DEI aduersus terribilem

illam persecutionem tueatur. Post ob-  
tentam autem victoriam, & Principem  
tenebrarum in puteo abyssi infernalis  
alligatum, ipse Archangelus horribi-  
lem illam tubam inflabit, ad cuius so-  
num omnes mortui resurgent, & æter-  
no iudici sistentur, extremam senten-  
tiam audituri, qua iusti æternæ gloriæ,  
peccatores autem, perpetuis supplicijs  
addicentur. Tunc non erit amplius  
locus vel tempus misericordiæ aut  
gratiæ, sed tantum seuerissimæ Dei iu-  
stitiæ; omnesque iusto Dei iudicio ad-  
iudicabuntur loco, quem quisque in  
hoc mundo degens promeruerit. O in-  
uictè Princeps, & custos fidelissime Ec-  
clesiæ Dei, animarumque fidelium, qui  
semper tanta caritate, zeloque tot pu-  
gnis interfuisti, tantasque ex hoste vi-  
ctorias retulisti, non ad conciliandam  
tibi famam & existimationem, vt so-  
lent Duces huius sæculi, sed ad conser-  
uandum, tuendumque honorem & glo-  
riam, quam omnes DEO debemus,  
deinde ad salutem humani generis  
promouendam; veni, quæso, in auxi-  
lium animæ meæ, quæ continenter  
cum tanto periculo à suis inimicis,  
carne, mundo & demone impugnatur,  
& sicut Dux fuisti populo Israhel per

desertum, sic quoque velis esse fidelis  
dux & comes meus per desertum huius  
mundi, donec securè me perduxeris ad  
foelicem terram viuentium, ad beatam  
illam patriam, à qua omnes exulamus.  
O anima mea, vtinam quando aderit  
ultima hora profectiois tuæ, terroris  
& discriminis plena, cùm à corpore  
tantopere amato cogeris discedere, so-  
laque & nuda angustissimã mortis por-  
tam, per tot infestas infernalium dra-  
conum, capitalium hostium tuorum,  
acies transire, qui te instar famelico-  
rum leonum rugientes circumdabunt,  
ad te rapiendum & deuorandum para-  
ti; vtinam, inquam, illo temporis pun-  
cto hic inuictus Archangelus, vti sem-  
per promptus fuit in omnibus anima-  
rum fidelium periculis, tibi quoque cū  
honorata sua cohorte dignaretur sub-  
uenire, & pro te pugnare, & fortissimo  
protectionis suæ scuto efficere, vt se-  
curus per medios hostes in patriam ce-  
lestem euadere posses. Quod si et-  
iam ante seuerissimi iudicis tribu-  
nal tui patrociniū susciperet, pro  
te respondendo, suisque precibus pec-  
catorum tuorum veniam obtinendo,  
& denique te sub suo victrici vexillo  
receptum perduceret ad sanctam illam  
bea-

beatamque lucem, qua ipse cum omnibus Angelis & electis filiis lucis refulget cum sempiterno gaudio & gloria Creatoris, quanto cum solatio & lætitia cordis ex hoc mundo excederes?

6. POST gloriosum Principem Michaellem considera dignitatem & præstantiam prærogatiuorum Archangeli GABRIELIS, qui licet in scripturis vocetur Angelus, non ideo existimandum est, eum fuisse ex infimo Angelorum ordine, qui peculiariter mittuntur in auxilium & ministerium hominum, sed fuisse Angelis superiorem, nempe Archangelum, & inter Archangelos primum. Nam sicuti mysterium ad quod annunciandum ille venit, non fuit commune, sed excellentissimum, dignissimumque ex ijs quæ vnquam DEVS exhibuit; ita cogitandum est, diuinum hunc legatum fuisse vnum ex nobilissimis in illa Hierarchia comprehensis. Hic est fidelis cœlestis sponsi amicus, qui factus ab eo conscius altissimi illius secreti de sua Incarnatione, primus illud mundo patefecit. Hic est ille gratiosus paranymphus, qui mediator fuit inter altissimum Deum, & humilem virgunculam, de

Nazaret, inter verbum æternum & nostram naturam humanam. Iam ad melius intelligendam huius Archangeli dignitatem, considera sigillatim officia à Domino illi commissa. Et primò, vt quidam sancti affirmant, piè credi potest, illum in singularem custodem beatissimæ Virgini attributum. Ac sicut DEVS aliam puram creaturam neque in cœlo, neque in terra habuit nobiliores, & quæ ipsum impensius amaret, MARIA Virgine: sic cogitare potes, sicut Principes huius mundi res sibi carissimas custodiendas dare solent aulicis fidelissimis, sibi que addictissimis, sic in illa cœlesti aula gloriosum Gabrielem meritò inter meliores & cariores apud Regem cœli numeratum fuisse. Considera deinde alterum huius beati Archangeli officium, quod erat, esse Legatum à Sanctissima Trinitate missum pro negotio sublimi & maximi momenti, nempe pro incarnatione Vnigeniti filij Dei, & redemptione ac salute totius mundi. Quare optimè, in eum conuenit nomen Gabrielis, nomen mysterij plenum, quod interpretatur, VIR. DEVS: nam CHRISTVM annunciauit mundo, qui simul futurus erat DEVS.

Deus & Homo. Deinde hoc nomen Gabrielis, magis propriè idē est, quod, *Fortitudo Dei*, idque ad denotandum idem mysterium, quod annuntiârat mundo, nempe fortissimum & triplicatum funiculum, id est arctissimam diuinæ naturæ vnionem cum corpore & anima sanctissima Christi in vna hypostasi, & æterni verbi persona, sicut scriptum est, *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Dicitur quoque fortitudo Dei quia legationis suæ beneficio diuinam fortitudinem nobis communicauit, hoc ipso quo Deus cum humana natura nostram quoque imbecillitatem assumpsit. Vnde homines beneficio huius fortitudinis facti sunt ita animosi & fortes, vt multa fecerint quæ omnem fortitudinem; viresque humanas excedunt. Angele verè fortis, quia legatione tua hominibus non solum diuinum robur attulisti; verum etiã ipsum Deum omnium fortissimum, qui ablati spolijs, & forti armato profligato, qui tanto tempore diuam in nos tyrannidem exercuerat, nos è seruitute vindicauit, & filiorum Dei libertati restituit.

Eccles. 40

Luc. 40

7: RESTAT nunc post consideratum zelum, factaque Principis Michaelis

**Tob. 12.**

lis illustria, & mysticam Archangeli Gabrielis fortitudinem, vt consideremus quoque officiosam caritatem angeli Raphaelis, qui cum sit, ipso teste, vnus è, septem spiritibus in conspectu Dei semper assistentibus, probabile est illum esse vnum ex præcipuis angelis paradisi. Et ex consequenti considerabimus multa beneficia quæ quisque tã in corpore, quam in anima recipit à suo angelo custode. Nam hic gloriosus Raphael tum ratione nominis sui, tum officiorum misericordiæ quæ ille detulit vtriq̃ue Tobiaë, seni & iuueni, omnino fuit typus & figura luculenta eorum, quæ faciunt erga nos angeli custodes. Et primò aptissimè in illum cõpetit nomen Raphaelis, quod interpretatur, *medicina Dei*, ab effectu medicinæ tam spiritualis iuueni Tobiaë datæ, quam corporalis qua seniori Tobiaë Patri visum restituit. Quo verò alio officio fungitur erga te Angelus custos, nisi medici tam corporalis quã spiritualis? vt inferiùs dicetur. Quare vt id melius intelligas, considera tres esse humanæ vitæ status. Primus est, quo homo adhuc degit in vtero matris. Secundus, à tempore natiuitatis, vsque ad mortem, & iudicium animæ suæ particulare.

**Tob. 6.  
6. 11.**



lare. Tertius est, in quo homo versatur post mortem. In vnoquoque ergo horum statuum, congruenter omnibus actionibus Raphaelis Angeli, contemplare singula officia quæ custos Angelus erga te exercet. Quod ad primum statum attinet, narrat Scriptura, cum senior Tobias cogitaret filium suum in remotam regionem mittere, sollicitum fuisse de fido committatu ei attribuendo. Et ecce, antequam bonus iuuenis domo paterna pedem efferret, Angelum à Deo missum, specie humana, se offerentem in comitem atque etiam in ducem totius itineris. O caritas immensa, & cura plus quam paterna creatoris, qui antequam è ventre Matris prodires, priusquam vllam inimicorum tuorum & periculorum impendentium notitiam haberes, mandauit vni beatorum spirituum, qui semper diuinam eius faciè contemplantur, atq; illi ipsi, qui primus Matris tuæ custos fuerat, vt tui curam susciperet, inciperetq; te in tenello illo statu multis periculis obnoxio vna cum Matre præseruare, quo sine impedimento vllò, securè ad gratiam baptismi peruenire posses, & in filiorum Dei numerum inscribi. Sed quid dico ego

de

de cura & memoria à Deo habita pro te adhuc in vtero materno existente imò ab omni æternitate, ante quã angelos, vel aliud quicquam cõdidisset, cum nondum essent abyssi, nondum locata essent fundamenta cœli & terræ, iam ô homo miserabilis tui memor erat & de tua salute sollicitus. Et quanquam ob æterno tuam ingratitude & indignitatem prævidit, nihilominus ex mera bonitate sua, nullo tuo antegresso merito, non solũ decreuit tibi illud auxilium præstare, sed etiam omnia beneficia in te conferre, quæ huc vsque à primo tuæ conceptionis momento recepisti, & deinceps vsque ad vltimum, omnium maximum, æternam scilicet beatitudinem es recepturus.

8. **DEINDE** quod ad secundum statum vitæ tuæ attinet, cum in lucem huius vitæ prodijsti, subiungit scriptura sacra quemadmodum Angelus Raphael egressus cum Tobia è domo Patris, promiserit se fidelem eius comitẽ toto itinere futurum, saluumque ad locum destinatum perducturum. Non secus Deus te, simulatque natus es, cum vno horum cœlestium ciuium comitatus est, vt tanquam singularis custos, & pædagogus tui patrociniũ susciperet,  
tuum.

erumque aduocatum apud suam Ma-  
 iestatem in cælo ageret. In hac enim vi-  
 ta omnes sumus velut pueri, opusque  
 habemus tutore & pædagogico, qui qua-  
 si manu nos ducat & sustentet, ne fortè *Gal. 4.*  
 pedes nostri in aliquam petram pecca-  
 ti impingant, aut graue aliquod peri-  
 culum adeant: qui quoque nos in bra-  
 chia sua excipiat, vt securè loca pericu-  
 losa transeamus, nec ante periculum  
 animaduertamus, quam euaserimus.  
 Secundo, sicut angelus Raphael ducens *Tob. 5.*  
 iuuenem Tobiam per viam, optima  
 consilia illi suggerebat; instruebatque  
 sigillatim, qua ratione matrimonium  
 inire deberet, nempe non hominum  
 carnalium more; sed cum sancto timo-  
 re Dei, crebraque oratione: sic Ange-  
 lus tuus custos continenter tibi bona  
 consilia suppeditat, & in omnibus a-  
 ctionibus dirigit: ille enim te excitat  
 & impellit ad multa bona opera facien-  
 da, quæ sine hoc auxilio non faceres,  
 idque nunc alliciendo CHRISTI Do-  
 mini & Sanctorum exemplo, nunc tuam  
 voluntatem consideratione bonitatis  
 diuinæ, infinitorumque eius beneficio-  
 rum inflammando, nunc etiam futuri  
 iudicij, pænarumque inferni memoria  
 mentem illuminando. Tertiò pergit  
 Scri-

*Tob. 6.*

Scriptura narrare beneficia, quæ Tobias ab Angelo Raphaelē, tam quo ad suam personam, quam quo ad bona temporalia, recepit. Cum enim peruenisset ad fluuium Tigris, & in eo vellet lauare pedes suos, insiliit in eum piscis in manibus ad eum deuorandum: sed angelus eum defendit, & ab illo periculo liberauit, voluitque vt fel eius acciperet ad restituendam cæco parenti sanitatem. Adhæc idem Angelus non solum redemit pro Tobia summam illam pecunie, ob quam erat missus, sed hæredem quoque eum fecit omnium facultatum soceri sui Raguelis. Iam quid aliud agunt Angeli nostri custodes, nisi vt continenter, ad auxilium nobis præstandum in necessitatibus nostris vigilant, haud secus ac mater intentos semper oculos habens in puerulum suum, ne fortè labatur, aut mali aliquid faciat. Cogita igitur à quot periculis corporalibus te præseruauerit, quæ æquè ac alij, incurrere potuisses, atque etiam quam fuerit sollicitus in procurandis tibi bonis temporalibus: vt sanitate, viribus & alijs adiumentis, vt vitam conuenienter statui tuo instituire posses, atque illi statui, qui ad salutem consequendam tibi esset accommodatior.

tior, QUARTO, sicut Angelus Raphael (vt ipse dicit) officium sibi vendicabat, orationes, bonaque opera Tobiae *Tob. 12.*

Deo offerendi, sic angelus noster custos pro nobis exercet munus procuratoris in conspectu Dei offerendo orationes tuas & desideria, & qualiacunque opera bona quæ facis, temperque à Deo aliquod donum gratiæ diuinæ ad te referendo. Vtinam videre fas esset, quanto studio angeli sancti nunc ascendant, nunc descendant pro nobis, vti faciebant in scala à Jacob Patriarcha conspecta, ascendant exponendo necessitates nostras, precandoq; Deum vt diuinam suam misericordiam nobis impertiat: descendant autem, reportando à Patre cælesti sanctas inspirationes, cogitationes bonas, aliaque diuina auxilia, & interdum etiam correctionem aliquã paternã, vt excitet nos, nosq; ipsos exploremus, ne simul cū hoc mundo condēnemur. QUINTO, sicut angelus Ra

*Genes. 28.*

aphael Tobiam docuit modū, quē tenere debebat ad exterminandū dēmoniū, vt nō haberet amplius potestatem in ipsum cōtra quē etiã ipse angelus pro iuuenis defensione pugnavit: sic angelus noster custos non aliter, quã fidus Capitaneus, cui commissa est arx aliqua aduersus hostes

*1. Cor. 17.*

*Tob. 8.*

hostes defendenda, diligenter vigilar, ne vi vel fraude ab illis occupetur. Hi enim Angeli sunt fideles illi custodes, quos Dominus dicit collocatos in muris Hierusalem ad custodiendum per vigiliis noctis gregem suum, ne lupus ille infernalis aduersarius noster, instar leonis, animas nostras abripiat. Ad hos quoque custodes angelos pertinent illa verba Apocalypsis. *Esto vigilans, & confirma.* Vigilat enim Angelus custos pro nobis contra dæmonem, obicendo se eius incurfibus, frangendo & debilitando eius vires, & acceptam reparando iacturam, ne amplius tanta confidentia & audacia inuadere audeat.

*Apoc. 3.*

Confirmat quoque nos, nunc remouendo peccatorum occasiones, nunc à multis vitijs & peccatis deterrendo, in quæ, destituti eius auxilio, facile incidere mus, nunc etiã corroborando nos & animando in occurrentibus temptationibus & afflictionibus, ac denique à Domino impetrando fortitudinẽ ad victoriam obtinendam. **SEXTO**, sicut Angelus Raphael dæmonem, ne Tobias, velut omnes reliquos maritus, occideret, comprehensum alligauit in deserto: ita noster bonus Angelus,

gelus singulariter nobis tempore mortis assistit, vt illa hora ab insidijs & impugnationibus dæmonis nos tueatur, & immunes reddat, qua acrius, quam aliàs solet, circuire quærens quem deuoret: deinde vt à peccatis illis, quibus id temporis maximè obnoxij esse solemus, vt infidelitate, & desperatione nos præseruet; atque ita ex miserijs huius mundi liberi ad cœlestem patriam migrare possimus. Ad hæc postquam anima è corpore excessit, idem angelus eam comitatur, solatur, animat vt confidenter se tribunali diuino sistat; obijciens eius oculis merita IESV Christi pretiosissima, in quibus tempore illius iudicij fidere debeat. Si autem ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit Purgatorio, ibi eam sæpe inuisit, solatur, certiozem reddit de precibus piorum pro ea in mundo fufis, & denique de futura liberatione securam esse iubet.

9. QVOD ad tertium, eumque extremum tuum statum attinet, considera quid denique angelus Raphael fecerit quomodo videlicet, cum coniugem inueni Tobia assignasset, omnibusque *Tob. 6.* sui socii bonis ditasset, multis donis *Et 10.* & opibus onustum eum in domum  
pater-

paternam reduxerit : vbi tanto maiore gaudio receptus est, quanto maior erat mœstitia de eius reditu retardato, metuentibus omnibus ne fortè periisset. Hic simul contemplare tui fidi custodis officium, qui animam tuam postquam confecta longa & periculosa peregrinatione ab omni macula expurgata fuerit, cœlesti sponso per cœlestem paranympum coniunctam, multisque donis & diuinis charismatibus ornata ac totam hilarem & lætam conducet ad cœlum, ad illam supernam Hierusalem matrem nostram, ibique magno gaudio & exultatione omnium paradisi angelorum & sanctorum à quibus multo antè fuerat expectata, cœlestis Patris conspectui præsentabit, vt diuinis eius manibus recipiat coronam gloriæ, & fœlicitatis eius, quæ ab æterno ei præparata fuit, & pro qua nos miseri adhuc ingemiscimus, & suspiramus in hac lachrymarum valle. O millies beata anima, quæ postquam suo Creatori fidelis extitit, bonisque sui Angeli custodis consilijs paruit, post annos vitæ suæ laudabiliter exactos, ab eodem Angelo in beatam illam patriam, in illa æterna iustorum taber-

*Gal. 4.**Rom. 8.*



macula introducetur. Ibi celebrabun-  
 tur veræ nuptiæ agni cum sua dilecta  
 sponsa, ibi plena erit lætitia, perfecta  
 pax & quies sine fine. Sed tu anima  
 mea, quæ per omnem vitam tuam  
 non aliud quam offendisti Creato-  
 rem tuum, bonumque Angelum cu-  
 stodem in cœrore affecisti, quod sola-  
 tium illi erit in te deducendo in con-  
 spectum Patris tui? & tu qua fronte au-  
 debis comparere coram illo? Heu  
 Deus an ergo mihi desperandum est?  
 non certè. cum enim misericordiæ  
 tuæ non sit numerus, & in persona il-  
 lius boni Patris Evangelici tanta cari-  
 tate filium pœnitentem receperis, pla-  
 ne confido, me, si de antea cta vita do-  
 lens, & pœnitentiam agens ad te Pa-  
 trem meum reuertero, non eiectum,  
 sed receptum à te misericordissimo Pa-  
 tre iri, si non vt filium obsequentem,  
 saltem vt pœnitentem. Iam verò quid  
 retribuere poterimus Domino pro ta-  
 libus & tantis beneficijs à sua Maiesta-  
 te receptis? quicquid enim debemus  
 beatis spiritibus, quorum opera hæc  
 beneficia nobis cootigerunt, id totum  
 debemus Creatori, qui angelis manda-  
 uit, vt nos custodirent in omnibus vijs  
 nostris, quanquam ipsis quoq; angelis  
 custo-

*Luc. 15.**Psal. 119.**Psal. 90.*

custodibus, ob immensam eorum in nos caritatem, fidumque ministerium demonstratum maximas gratias debeamus. Et primo quidem Angelo tuo nomine assistentiæ perpetuæ, debes honorem, cultum, & reuerentiam, cauendo ne in eius conspectu facias, quod non faceres in præsentia cuiuscunque hominis te superioris: ac vè tibi, si hic Angelus sanctus, tuis peccatis & negligentijs offensus, te sua præsentia, angelicaque visitatione reputauerit indignum. Præter hæc multæ sunt virtutes, quæ angelis Sanctis placent, quasque optant in animabus nostris videre, atq; illis consequendis omne studium merito adhibere debemus. Eæ sunt, sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, frequentes gemitus cum lachrymis deuotis, & oratione feruenti: sed super omnia, vnio, pax, & fraterna caritas: eæ sunt virtutes, quas imprimis angeli pacis à nobis postulant. O anima mea, o imago creatoris pulcherrima, vtinam tuam dignitatem agnosceres, quatum amata sis à Deo, quantique ab Angelis æstimata; non dubium, quin, ad non inferendam amplius iniuriam illi, qui tantoperè te honorauit atq; ad non cōtristandum tuum fidelissimum custo-

dem

*Genes. i.*

dem non amplius tã facile sis peccatorum fece & sordibus te cõtaminaturus. Nam si tantum gaudium est in cœlo *Matth. 18.* apud omnes angelos pro vnius peccatoris conuersione, cogita quanta mœstitia afficiatur bonus tuus Angelus, dum videt te per peccatũ spoliari diuina gratia: si enim sanguinem vel vitam haberet, quam profunderè posset, libèter ad imitationẽ Domini pro tua salute profunderet. Age ergo vt illis potissimum te exornes virtutibus, quæ exhilarant angelos, & Creatorem glorificant, vt ex his pretiosorũ meritorum seminibus, conuenienter virtutibus angelicis, fructum dulcissimum similem ipsorũ Angelorum præmio colligere possis.

## COLLOQVIUM.

**O**RABIS Deum Dominum nostrum, vt sicut ille tam mirabili ordine in hominum gratiam distribuit Angelorũ suorũ officia & ministeria, ita tibi quoq; concedere dignetur, vt ab omnibus illis beatis spiritibus, semper diuinæ eius Maiestati assistentibus in cœlo & seruientibus, tua vita continenter custodjatur, & à crudelibus tuis inimicis defendatur. Et sicut illis tam copiosum gratiæ donum concessit, sic velit, per eorum orationes tibi quoque con-

M

cedere

cedere gratiam, eorum humilitatem, caritatem & puritatem imitandi; ut in terra ducens vitam angelicam, merearis aliquando similis angelis reddi in cœlis, & cum iisdem optata gloriosi Dei visione in æternum perfrui & gaudere.

**DOCUMENTA.**

1. **D**OMINVS dicit, nisi efficiamur sicut paruuli, non ingressuros nos in

*Matth. 19.* cælum: nam ut ipse alibi dicit. Talium enim est regnum cælorum. Quare si saluari volumus, conuenit nos paruulorum habere proprietates talibusq; uti morib; qualibus illi in illa a:atula utuntur. Paruuli simplices sunt, malitiæ expertes & fraudis, puri sunt mente, & corpore, honore vel dedecus nõ estimant, iniuria neminẽ afficiunt, illatam non vindicant, non contendunt cū quoquã, omnib; cedunt, deniq; timet suos maiores, facileq; illis se submitunt. Atq; hæ sunt virtutes Christiana, quas ipse Christus professus est.

*Matth. 23.* Et imitandas docuit, cū dixit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, in quibus duabus virtutibus omnes dicta proprietates continentur.

2: Dixit quoq; Dominus Qui humiliauerit se sicut paruulus iste, erit maior in regno cælorũ Quã benè ergò dixit Apostolus sapientiã carnis inimicã & contrariã esse

esse sapientia Dei: in mundo enim illi putantur maiores, qui honoris, & existimationis suae statum & gradū diligenter tuentur, quos Deus nihili facit. Contra verò, qui rationem honoris sui non habent, & conātur se demittere, omniumq; pedibus subijcere, verè sunt in conspectu Dei magni, & in cælo etiam alijs erunt maiores, secundum dictum sapientis. Quāto maior es, humilia te in omnibus: & coram Deo iuuenies gratiam. *Ecclesj 8.*

3. Quanto minorem homo se fecerit alijs, tanto reddetur maior: quia quo quis humilior est, hoc similior & vicinior est Christo, qui est supra omnes. Quod si ita sit, nō deberent Christiani, et homines spirituales inter se cōtendere de primo loco, & honoris prerogatiua, sed potius de loco ultimo. Qui enim optat primū locum obtinere in terra, iuueniet se post factum in cælo. Ne ergo studeamus videri maiores alijs, sed poti⁹ faciamus nos inferiores omnibus, non enim iustior aut melior est, qui honoratior; sed poti⁹ quo quis iustior hoc maior est, & maiore honore dignior.

4. Si tāta reuerentia deferenda est sanctis angelis custodibus, ut sicut Dominus commendat, propter illos neminem pusillorum contēnere debeamus; & similiter Apostolus consulebat mulierib, ut capita

sua tegeret, ne forte vanitate sua vel indecentia offenderent Angelos salutis hominum promouenda cupidos: quãto potius cauere debemus, ne iniuria, vel alia noxa grauiori offendamus proximos nostros: siquidẽ offendẽdo illos, offendimus quoq; ipsorum angelos, qui velut amiciet intimi Deo domestici, exigent contra nos vindictam, vel proculdubio obirebunt.

3. Et si angeli tantam curam & studiũ adhibeant in hominũ custodia, nunquam tamen mente cessant contemplari Patris caelestis faciem, nec à diuino amore diuelluntur: nam cura & sollicitudo, qua tanguntur propter nos, subordinata est ipsi amori, & propter amorẽ Dei ab ipsis suscepta est: Sic homines pijs & spirituales, dũ curis & occupationibus externis distinguntur, procurare debent, vt illa non solum nõ impediãt interna exercitia, sed etiã promouẽant ad fructũ spiritalem & rerum diuinarum contemplationem. Quod aueniet; quando sanctorũ angelorum exemplo, efficiẽt vt actiones externa procedant, & efficaciam suam sortiantur ab internis, ab his ordinentur, & dirigãtur, id est, vt non alio fine, quam ex puro Dei amore suscipiantur.

4. Qui curã habent homines adducendi ad penitentia, non debet unquã à seipso desiste-

desistere, ob fastidium laboris, aut quia  
 Vereantur rem non habituram optatum  
 exitum in illis, quos spiritualiter iuuare vo-  
 lunt: sicut suo exemplo nos docuerunt cu-  
 stodes Angeli, qui nunquam curam & cu-  
 stodiam peccatorum deserunt, etiam si eo-  
 rum peccatis grauiter offendantur, imò  
 non deserunt, etiã si diuinitus cognouissent,  
 eos quorum curam habet, nunquam conuer-  
 tendos: quare nec unquam cessant eos  
 quamdiu in hac vita sunt & in statu,  
 quo per pœnitentiam ad Deum redire poss-  
 sint ad emendationem exstimulare.

7. Seneca Philosophus gentilis, scribens  
 ad amicum quendam suum, monet eum, ut si  
 in actionibus sermonibusq; suis à recto di-  
 scedere nolit, cogitet sibi semper Catonem  
 tanquam seuerum Censorem assistere Quo  
 documento multo magis nos Christiani  
 uti deberemus, cogitareq; in omnibus a-  
 ctionibus nostris semper præsto adesse An-  
 gelos custodes, uti seueros censores nostros,  
 idque eo fine, ut ista cogitatio reddat nos  
 memores nostri, ac sedulo expendamus  
 quicquid agere vel dicere volumus: si o-  
 nim aliter fecerimus, verendum erit, ne  
 qui sunt iam aduocati nostri apud Deum,  
 postea in die iudicij fiant no-  
 stri accusato-  
 res.



# DE MULIERE ADULTERA.

## MEDITATIO X.

### EVANGELIUM.

*Joan. 8.*

**I**ESVS perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templū, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio: In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. IESVS autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseverarent interrogantes eum: erexit se, & dixit eis. Qui sine peccato est vestrum, primus in  
illam



illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra: Audiētes autē vnus post vnū exhibant, incipientes à senioribus; & remansit solus IESVS, & mulier in medio stans. Erigens autem se IESVS, dixit ei: Mulier vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autē IESVS. Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

## FIGURAE.

**T**HAMAR accusata de fornicatione à Iuda socero suo cōdemnata est ad mortem: sed postquam patefactum est ipsum Iudam potius eius criminis reum, Thamar liberata est. Gen. 38.

2. Iniqui illi Babilonijsenes, populi Israheliti iudices accusarunt Susannam, testificantes se eam deprehēdisse in adulterio. Sed à Daniele conuicti de mendacio, patefactisq; iniquis eorum conatibus à populo sunt condemnati, Susanna autem liberata. Dan. 13.

**PROPHETIÆ.***Pfal. 9.*

1. **I**N laqueo isto quē absconderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

*Iob. 5.*

2. **Q**ui apprehendit sapientes in astutiis eorum & consilia pravorum dissipat.

**CONSIDERATIONES.**

**I**AM impij Principes Sacerdotum & Pharifæi sub hoc tempus consilio inuito decreuerant **CHRISTVM** è medio tollere, & addicere eum morti, qui de cœlo venerat vt afferret eis vitam. Quia verò Dominus quem nihil latet, horum omnium conscius erat, idcirco tunc temporis studiosius prædicationi, populoque instruendo vacabat. Nam cum ille esset lampas illa ardens & lucens, posita super candelabrum vt præberet lucem mundo, quo vicinius erat tempus vt extingueretur potius quam accenderetur, hoc viuacius resplēduit, & radios salutiferæ lucis sparsit. Itaque benedictus **IESVS** hoc tempore totos dies in docendo consumebat in templo, & sub vesperam ciuitate egrediebatur, & ibat in montem Oliueti. Id cū non ignorarent scelerati illi Pontifi-

*Matth. 5.*

ces, existimantes opportunum tempus esse comprehendendi Christum superiori proximo die ministros suos in templum ad id præstandum amandarent. Verū illi, cum se ei more suo præbuisset, ita verborum suauitate & vi capti sunt, vt attingere eum non auderent, & re infecta redirent. Reprehensi autem acriter à Sacerdotibus, responderunt. *Nūquā sic locutus est homo.* O quā potens & efficax est veritas, maximè quando cum amore & salutis alienæ zelo coniuncta est: hæc enim valet non ad amicos tantum, sed etiam ad inimicos ipsos expugnandos, & conuincendos: eoque amplius, quod ex eius ore profecta & pronunciata sit, qui est ipsa veritas, & fons infiniti amoris & caritatis. Benè verò dixistis vos Ministri, nunquam hominem sic locutum esse: nam verba quæ audistis, non fuerunt puri hominis verba, non sancti alicuius Prophete, multo minus angeli cœlestis, sed Domini angelorum & Creatoris cœli & terræ. Iam verò, quoniam Nicodemus occultus CHRISTI discipulus illi malignantium concilio interfuera, ex his ministrorum verbis, *Ioan. 6.* occasionem sumpsit CHRISTVM de-

fendendi. Quare diffensione inter eos  
 orta, peruerſi Phariſæi nouum confi-  
 lium inierunt quemadmodum publi-  
 cam aliquam calumniã in benediſtum  
**IESVM** conſtarent, & populo infa-  
 mem & exoſum redderent, ne quis de-  
 inceps auderet contra eos mutire, vel  
 impijs eorum conatibus obſiſtere. Ab-  
 ijt ergo Saluator in montem Oliueti,  
 & mox ſummo mane redijt ad tem-  
 plum, vt quemadmodum omnibus  
 præcedentibus diebus fecerat, ſaluti a-  
 nimarum promouendæ vacaret. Non  
 latebat manſuetum agnum peſſimus  
 Iudæorum animus in ſe: nec tamen id-  
 eo deſtitit fontem miſericordiæ ſuæ  
 eis aperire, & bonum pro malo redde-  
 re, nouis in dies afficiendo beneficijs.  
 Et bene dicit Euangelium eum dilucu-  
 lo veniſſe Hieroſolymam, nam in-  
 gens ille & irrequietus amor iuuandi  
 animas, quo pectus eius continenter  
 ardebat, impellebat eum, vt nulla in-  
 terpoſita mora, conferret ſe ad paſcen-  
 das & tuendas oues, quæ inter impioſ  
 Iudæos, quaſi crudeles lupos, verſa-  
 bantur. Deinde ideò ſummo dilucu-  
 lo redijt, vt miſeræ illi mulieri adul-  
 teræ, cuius infelicem caſum præuide-  
 rat, in tempore manum ſuam præberet.

ac non solum manibus Iudæorum, qui  
 decreuerant eum lapidare, verum etiam  
 dæmonis infernalis faucibus, à quo a-  
 nima eius obsidebatur, eriperet. Vnde  
 congruenter scribitur venisse, ex monte  
 Oliuarum, id est, misericordiæ ex mon-  
 te pietatis ad saluandam illam animam:  
 sicut per eadem, misericordiæ viscera a-  
 moris plenissima iam ante dignatus e-  
 rat venire ab alio ad illuminandas no-  
 stras mortales tenebras, & dirigēdos pe-  
 des nostros in viā pacis & salutis. *Luc. II.* Quid  
 denique aliud tam subitus & matuti-  
 nus CHRISTI reditus significauit, quā  
 iam incipere tempus nouæ gratiæ, quo  
 Euangelicæ veritatis lux, depulsis, no-  
 cturnis veteris legis tenebris, ac figura-  
 rum antiquarum vmbriis, nascentis so-  
 lis instar oriri debuit, & radios suos in  
 vniuersum mundum diffundere? Qua-  
 re & rectè subiunxit, totum populum  
 cōfluxisse ad eum in templum, ipsum-  
 que sedentem eos docuisse: nam quan-  
 do Dominus in Ecclesia sua per sui E-  
 uangelij prædicationem sedere cœpit,  
 omnes populi deserta suorum idolorū  
 vanitate, sanctam eius doctrinam com-  
 plexi sunt.

2. ADDUXERVNT ergo ad  
 CHRISTVM Scribæ & Pharifæi mu-  
 lierem in adulterio deprehensam di-  
 centes. *Magister, hac mulier modo depre-*  
*hensa est in adulterio: In lege autem Moy-*  
*ses mandavit nobis huiusmodi lapidare.*  
*Tu ergo quid dicis?* Nunquam pessimi  
 Scribæ & Pharifæi à persequendo benedi-  
 cto IESU cessabant; nunc cum calumnia-  
 bantur in suis discipulis, nunc ob con-  
 uersationem cum peccatoribus, nunc  
 ob miracula vel doctrinam. tam autem  
 calumniam illi frueri conantur in ob-  
 seruatione Legis, atque ita per summam  
 fraudem & nequitiam conantur ex eius  
 ore extorquere aliquod verbum, vnde  
 ansam capiant eum accusandi, & ceu  
 Legis transgressorem condemnandi.  
 O anima mea, quam solliciti & diligen-  
 tes sunt hostes Domini tui in quæren-  
 da occasione eum persequendi, & tu  
 incuriosè sinis elabi tot occasiones ei  
 inseruendi, cum speciatim multis no-  
 minibus, ob quam plurima beneficia  
 ab eo recepta, ad gratias agendas ei sis  
 obligata. Deprehenderant iniqui illi  
 homines miseram mulierem in adul-  
 terio; itaque gaudio exultantes, quasi  
 tentandi Saluatoris opportunam occa-  
 sionem inuenissent: comprehensam ad  
 eum

eum adduxerunt; & primo quasi honoris causa, compellant eum Magistrum, deinde allegata Moyſis lege, de adultera lapidanda ſententiam eius ſciſcitantur. Oreuerentiam malitioſam, ô ſubmiſſionem ſimulatam venenatæ mentis, & duplicis cordis, ô labia plena impoſturæ & falſitatis. Appellant Magistrum, vt profiteantur, ſcilicet, ſe diſcipulos eius, cuius erant capitales inimici: Poſcunt eius ſententiam non ad cognoſcendam iuſtitiam, & veritatem, ſed ad tendendum laqueum veritati. Dicebant ergo impij iſti intra ſe: Si reſponderit mulierem ſecundum legem eſſe lapidandam, illudemus illi, quaſi oblito ſuæ miſericordiæ, quam tam ſtudioſè annunciat, imò digito eum tanquam hominem crudelem demonſtrabimus, & plebi à qua nomine manſuetudinis hætenus tantopere amatur & colitur, reddemus exoſum.

Sin autem, ne nomen manſueti hominis amittat, reſponderit non eſſe lapidandam, tunc eum, tanquam ſcelerum patronum, Legis tranſgreſſorē, & Moyſi; imò Deo ipſi, qui per Moyſen legem dedit, contrarium, publicè curabimus comprehendi, & velut dignum morte vñ cum hac adultera lapidibus obrue-

mus. Verum, quid dicitis o infaelices Iudaei? an omnes vestrae artes, doli & fraudes potuerunt aliquid aduersus diuinam sapientiam & potentiam? *Non est sapientia, inquit ille, non est prudentia, non est consiliu contra Dominum.* Considera hic quam indiscreto zelo fallae iustitiae scelesti illi Pharisaei hanc miseram foeminam eduxerint ad lapidandum; cum ipsi multo illa deteriores fuerint, licet amore sui & superbia excecati id non agnoscerent, & indulgentes sibi, tam seueri erga alios fuerint. Considera deinde ex alia parte clementissimum IESVM, quanta prudentia, post auditam mulieris accusationem, nullo responso dato, inclinans se digito in terra scripserit.

Quid enim aliud hoc exemplo redemptor noster declarare voluit, quam se esse illum ipsum, qui legem per Moysen datam tabulis lapideis digito inscripserat, ac proinde se quoque, velut autorem Legis, habere auctoritatem condonandi poenam Legis? Inclinat quoque se in terram, vt ostenderet se commotum & flexum ad misericordiam versus peccatores. Nam si filius Dei non inclinasset suos coelos, & in terram descendisset ad scribendum in terra, & o-

pe-

*Psalm. 1.*

*Exo 32. 34.*

*Leuit. 9.*

*Psalm. 17.*



perandum in ea salutem hominum, nunquam ista natura nostra adultera liberata fuisset, nec homo cœlum ascendere potuisset. Inclinat se instar innocentis agni de cœlo in terram delapsus ad tollenda peccata mundi, ad onerandam se etiam huius miseræ adulteræ peccatis, sicut omnia humanæ naturæ peccata in se susceperat. Adhæc inclinavit se Saluator, scripsitque in terra, ut quo digito scripserat legem iustitiæ, scriberet etiam legem caritatis in terrenis cordibus Iudæorum: itaque hoc ritu voluit ipsos quoque commovere ad humiliandum & inclinandum se, ut suam intus conscientiam discuterent, agnoscerentque se etiam esse infirmos & peccatores, atque ideo per scelera sua multo illa pœna se digniores esse, quàm fuerit adultera, donec miserti alienæ miseriæ, à tam immiti iudicio abstinerent.

Inclinat se denique ut misericors pastor, *Luce. 19.* qui inuenta infirma ovis, se inclinavit ad subleuandam eam in humeros, & deportandam in ouile, ut pristinam recuperet sanitatem.

3. INTERIM Scribæ & Pharisæi urgebant IESUM, ut responderet, sed animo fraudulento nec tentes laqueum, ut caperent eum in sermone.

Alta-

Astabant velut lupi rapaces, non solum ad deuorandam hanc aberrantem ouiculam, nempe adulteram, sed etiam ad discerpendum mansuetum agnellum CHRISTVM. Ex altera parte in horum luporum, accusatorum medio assistebat miseræ hæc muliercula, oppleta lachrymis, rubore, & pudore suffusa, non ausa oculos suos à terra attollere, præ nimia verecundia sui lapsus. Stabat inter spem & metum; considerans enim seipsam, magnam metuendi causam habebat, cum agnosceret se peccatricem & mortem ex lege promeruisse. Sperabat tamen oculis in Saluatorem coniectis, de quo iam audierat, quàm esset misericors, & quot peccatoribus peccatriciisque peccata benignè condonasset: quare nec potuit sibi persuadere, ex ore tanta dulcedine redundanti tam crudelem posse sententiam prodire. Etenim qua ratione respondere potuisset lapidandam esse hanc peccatricem is, qui venerat non ad perdendum animas, sed potius ad eas quæ iam perditæ erant quærendas & saluandas? Cum ergo Pharisei persisterent in extorquendo responso à Iesu, ea spe freti se eum, aut de crudelitate, aut certè de iniustitia conuicturos, tandem erexit

se CHRISTVS & respondit. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat* O responsum sapientia diuina plenum, & veraci illo ore dignum, à quo est profectum. Responsum prudētissimum, quod neque legi erat contrarium, nec à misericordia & clementia alienum, quasi dicere voluisset. Rectissime mandauit Moyses, vt eiusmodi peccatrices lapidarentur, sed conueniens non est, vt id præstetur manibus peccatorum. Implete ergo vos primo iustitiam legis, & sic poteritis manibus mundis peccatricem hanc lapidare. Si autem agnoscitis vos quoque esse peccatores, vel liberate illam, vel vos quoque pœnæ legis subiicite. *Quid nunc dicitis Iudæi? vbi est nunc vestra callida prudentia? cum ratiocinantes intra vos dicebatis; si ille dixerit, lapidandam, conuincemus eum non esse mansuetum, sed crudelem: si negarit, conuincemus iniustitiæ. Ecce nunc sapientissimus IESVS, de quo scriptum est, quod sapientes comprehendat in sua astutia, & consilia impiorum dissipet, responsionem dat omnino iustam & mitem dicens: Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat. Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus*

1. Cor. 3.

Iob. 5.

292 **MEDITAT. DE VITA**  
bus. Impleatur Lex, sed non à Legis  
transgressoribus. Verbum profectò  
abbreviatum, sed viuum & efficax, om-  
niquè gladio ancipiti penetrabilius.  
O quomodo hoc verbo confixa &  
transuerberata sunt dura illa pectora,  
quàm validè hoc lapillo percussæ &  
confractæ sunt æreæ malignorum lu-  
dæorum frontes. Dominus verò post  
compressam hoc veraci responso ac-  
cusatorum audaciam, rursus incli-  
nat se, & in terra scribit. Vbi perpende-  
tes esse sententias datas de hac pec-  
catrice. Prima fuit seueræ iustitiæ,  
quam dederunt Pharisæi allegantes le-  
gem Moylis; quæ sententia suum ef-  
fectum habere non potuit, nisi à Chri-  
sto, qui erat finis & complementum  
legis confirmaretur. Duas reliquas sen-  
tentias postea dedit **CHRISTVS**.  
Prior fuit veritatis, Posterior gratiæ,  
conuenienter, si dicto Ioannis *Lex per  
Moysem data est, gratia & veritas per  
IESVM CHRISTVM facta est*. Prio-  
re, quæ fuit plena veritatis, Dominus  
pudescit accusatores, vt loqui non au-  
derent. Posteriore peccatricem absol-  
uit. Post priorem ergo sententiam  
prolatam, Dominus denuo cœpit scri-  
bere in terra. Quid verò putamus aliud  
cum

*Ioann. 1.*

eam scripſiſſe digito illo, quo ſcripſerat Legem Moyſi datam in tabulis lapideis, quàm ipſam Legem, ac imprimis illa præcepta, contra quæ illi Scribæ & Phariſæi, qui tam erant ſeueri in puniendis alijs, plus alijs delinquebant?

Vbi cogita Dominum interea, dum ſcribit in terra, interius in cordibus Phariſæorum operatum fuiſſe, eiufmodi luce illud colluſtrando, vt inſpecta ſua conſcientia, facilè agnoſcere poterint ſe eſſe omnium illorum præceptorum transgreſſores, atque ita viderint grauiorem aceuſationem contra ſe inſtitui, quam ipſi intenderāt peccatrici. Vnde quia partim exiſtimabant improbitatem ſuam, quam ipſi tam aperte cernebant, alijs quoque patefactam, partim quod reſponſo CHRISTI adempta eſſet illis ſpes omnis proſequendæ ſuæ aceuſationis, laqueiſque ſuis implicandi Chriſtum, quali clara luce præſentiæ Chriſti percuſſi, non ſine pudore alius poſt alium ſe ſubducere cœperunt, vt compleretur illud Prophetæ dictum. *In laqueo hoc, quem absconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.* Pſal. 92.

4 CONSIDERA admiranda Domini iudicia. Nā vt impij illi ſenes Babylonij  
cum

D. 13.

cum accusassent & condemnassent Sufannam quasi ream adulterij, vt lapidaretur; à Daniele de mendacio conuicti sunt, & deprehensi criminis rei, à populo condemnati & lapidati sunt: sic improbi hi Iudæi venerunt accusatores sed discesserunt rei; venerunt ad condemnandam & lapidandam hanc peccatricem, sed ipsi à CHRISTO conuicti, quod peccatrice essent deteriores, à propria conscientia condemnati & lapidati sunt: & fortè quia illis in mentem veniebat exemplum illorum Babyloniorum iudicium, veriti ne CHRISTVS, sicut ipsam clarissimè suam improbitatem patefecerat, ita patefeceret alijs, atque ita à populo lapidibus obrueretur, partim pudore, partim metu coacti inde dilapsi sunt. Vbi simul considera, fortè benignum IESVM, non minus illorum, quàm peccatricis misertum, ne nimium pudefieret, postquam responso illo suo eos pupugisset, studio se inclinasse ad scribendum in terra, vt videretur alij rei, more hominum, intentus, atque ita ipsi minore rubore, & liberius discedere possent. Ergo hi peccatores, mulieris accusatores, ad præsentiam IESV patroni eius & defensoris, disparuerunt, non aliter, quàm



annauit? Quæ dixit. Nemo Domine. Illeque subiunxit. Nec ego te condemnabo. Vade & iam amplius noli peccare. O vox misericordix, ô auditus gaudij & lætitiæ salutaris. Vide quomodo in vna eademque sententia obuiârint sibi misericordia & veritas, pax & iustitia. Nam quod Dominus noluerit condemnare hanc adulteram, fuit opus misericordix & dulcedinis; quod autê dixerit ei, ne amplius peccaret, fuit opus veritatis & iustitiæ, Benignus Iesus, tanquam clemens & misericors huic peccatrici condonauit peccata preterita, liberando eam à pœna: sed vt iustus peccatum eius damnauit; vetuit enim illi, ne in posterum amplius peccaret, quia scriptum est, Deum non velle iniquitatem, & odissè omnes qui operantur eam. Dixit ergo *Nemo te condemnauit? nec ego te cõdemnabo* ô verba suavissima, ad quoduis durum cor rumpèdum valentia. Neque mirum est, eam à Iesu condemnatam non esse: si enim Scribæ & Pharisæi inimici eius non cõdemnârunt eam, quomodo potuit eam condemnare amicus ita fidelis, cuius fuit tanta caritas, vt non pro amicis solum, sed etiam pro inimicis voluerit animam suam ponere? Quomodo ad-

*Psalm. 84.*

*Psalm.*

*Rom. 5.*



vocatus poterat damnare illam, quam *I. IOH. 3.*  
ratione officij tenebatur defendere? \*

Qua ratione sententiam mortis ferre potuit is, qui ad nos iuste condemnatos liberandos, iniustæ mortis sententiæ se submitit? Denique quomodo ex illo ore, vnde prodibant verba vitæ, poterant exire verba mortis? Certè non poterat sententia mortis proficisci ab auctore vitæ, de quo scriptum erat, quod mortem non fecerit, & in viuorū perditione nō delectetur: & de quo iterum scriptū est, quod non velit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Imò ab eo non aliud expectandum erat, quàm misericordia & clementia, cum sit Filius Patris misericordiarum & consolationis: illius benignissimi Patris, qui, *2 Cor. 3.*  
ipso Domino teste, facit ori Solem super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quare mirum non fuit, Solem iustitiæ, lucem suam, radios que communicasse huic peccatrici pluuiamque gratiæ suæ illi immisisse. Vbi considera occultos modos & vias; quibus DOMINVS solet ad salutem perducere eos, quos ad vitam æternam prædestinavit: nam huic mulieri lapsus initium dedit salutis, & quod fuerit obnoxia peccato, viam illi

*Sap. 1.*  
*Ezech 18.*  
*Eccl. 33.*

*Matt. 9.*

aperuit ad liberationem, non solum ab illo peccato, sed etiam ab omnibus alijs, & denique quod fuerit accusata, occasionem dedit eius absolutioni.

*Psalm. 76.* Quam verè ô Deus meus, de te ille Prophetæ dixit. *In mari via tue, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscuntur* Felix mulier, quæ post lapsum non in hominum, sed Dei manus incidisti, de quo scriptum est, quod cadenti supponat manum suam, ne totus collidatur. Felix, quod infirma adducta es ad hunc cœlestem medicum, à quo exiit virtus sanans omnes, ac denique quod cum esses ouicula errabunda, vero & bono pastori tuo obuiaueris, qui te ereptam è faucibus immanium luporum incolumem ad electum suum gregem reduxit.

*Psalm. 36.*

*Luc. 6.*

6. **CONSIDERA** postremò benedictum IESVM hoc iudicio & sententia de hac muliere prolata, non aliud præfigurare voluisse, quàm solenne iudicium & sententiam nostræ naturæ humanæ datam, cuius typus mulier hæc peccatrix fuit. In quo iudicio, & diuinæ iustitiæ plenè satisfactum est, exigenti, ut pœna expiaretur peccatum, & diuinæ misericordiæ, ut culpa gratis remitteretur, & cōdonaretur. Fue-  
rat

rat humana natura in statu innocentiae  
 sponsa dilecta, quam sibi misericors  
 Deus desponsauerat in misericordia &  
 fide: sed discedens à sua obediētia, qua-  
 si stulta dixit. *Vadam post amatores me- Ose. 2.*  
*os.* Itaque violata fide facta est adultera,  
 veramque & legitimum sponsum dese-  
 ruit, quod deplorans Deus per Prophe- *Ibid.*  
 tam, *Tu quidem, inquit, fornicata es cū*  
*amatoribus multis: Quare rigor iustitiæ*  
 conuenienter seueritati illius Legis, po-  
 stulabat vt illa lapidaretur, vt scribit A-  
 postolus illis verbis. *Irritam quis faciens Heb. 10.*  
*Legem Moysi sine ulla miseratione duo- Deut. 17.*  
*bus aut tribus testibus moritur.* Erat ergo  
 humana natura sua rea mortis, sed non  
 erat homo vllus peccati expers, qui pri-  
 mus possit eijcere lapidem, & satisfacere *Iob 25.*  
 pœnæ Legis: nam vt dicit S. Iob. *Nemo*  
*mundus à sorde.* Solus Christus filius  
 Dei, verus & viuus lapis ex monte al- *Dan. 2.*  
 tissimo abscissus, id facere poterat, cum  
 solus ipse, teste Apostolo, sit *sanctus, in Heb. 7.*  
*nocēs, impollutus, segregatus à peccatori-*  
*bus.* Qui Legi satisfecit, & hanc adulterā  
 in persona propria tunc lapidauit, quan-  
 do ex monte Oliueti descendit, hoc est,  
 de excelsis cœlis, se in terram inclinauit,  
 vt digito in ea scriberet; quando humi-  
 liauit se, carnem nostram assumendo,

ad salutem hominum efficiendam, ut in te supplicium peccatis nostris debitum transferret, *interficiens*, ut loquitur Apostolus, *inimicitias in seipso*, & Legi satisfaciens, quæ nolebat peccatum remitti sine effusione sanguinis. O quantum discrimen est, Domine clementissime, inter nostram & Mosaicam Legē? & quanto tu mansuetior es illo? Moyses enim condemnat & occidit, sed tu absoluis & viuificas. Beata foret anima mea, si cognoscens suauitatem tuæ sanctæ Legis eam cordi meo inscriberet: tunc enim certa esset se non scribendam tanquam reprobam cum Pharisæis in terra, sed in cœlo cum tuis sanctis discipulis. O quæ verum est dulcis IESV quod per Prophetam dixisti: *Perditio tua ex te Israel tantummodo, in me auxilium tuum*. Tu enim, ut dicit Apostolus, omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: sed nos peruersis operibus nostris contra nos ipsos sententiam scribimus, & inimici facti propriæ salutis, bellum mouemus cōtra nos ipsos, atque instar phreneticorum proprijs manibus cor nostrum vulneramus. Magnam certè occasionem haberes Domine pudefaciendi me in conspectu tuo, quando mecum reputo quoties velut sponsa infida fidem datā

Ephes. 2.

Hebr. 6.

IOAN. 10.

OSE 13.

1. TIM. 2.

violauit. Sed ex alia parte quando te audio dicentem. *In fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Ad hæc verba amoris plenissima colliquescit totū cor meum: & incipio audere in tuū conspectū prodire, ac dicere, dulcis mi sponse, *Verba vita aeternā habes,* quibus me tam suauiter inuitas & trahis ad te. Ecce ergo Domine, tuæ immensæ caritati confusus, *reuertor ad te virum meum prorem, quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc.* Placeat ergo tuæ bonitati, me secundum promissionem tuam recipere, nec permittere, vt amplius ab amore tuo diuellar, sed desiderem semper tecum viuere, & mori.

## COLLOQVIVM.

**O**Rabis Christum Dominū per clementiam illam, qua mulierem adulteram è manibus accusatorum suorum eripuit, & sine cōdemnationis sententia misericorditer dimisit, vt dignetur quoque misericordiæ oculis respicere animam tuam toties ab illo vero & legitimo sponso suo per peccatum, consensu ad suggestiones adulteri inimici dato digressam & separatam, nec velit tecum in iudicium intrare, & antiquarum iniquitatum tuarum meminisse:

*Pfal. 142.*

quandoquidem in cōspectu eius nemo viuens iustificari possit: sed potius velit te à crudelibus accusatoribus, & seuerissimæ iustitiæ timore liberatum, gratiæ & beneuolentiæ suæ sententiā absolueret & dimittere in pace: cū suæ bonitatis proprium sit semper misereri & parcere illis, qui ex corde pœnitentiā agunt, & cum fiducia ad eum recurrunt.

## DOCUMENTA.

1. **A** Dultera à multis accusabatur, et ab omnibus condemnabatur, quā diu erat in manibus Iudeorum: sed ut primum cœpit versari in conspectu Christi, omnes Pharisei se subduxerunt, & nullus eam condemnauit. Quare à Christo absoluta est. Sic nos, quando permanemus in peccatis, longe remoti à Christo, non solū demonem & propriam conscientiam, sed tot accusatores, quot peccata habemus: verū quādo per cōfessionem humiliati adimus Christum per remissionem peccatorum consecutam, nō est amplius, qui accuset vel cōdemnet, & ita à Deo absolui- mur & liberamur.

2. Christus primò Iudæis adultera nomen deferentibus, sententiāq; ab ipso sciscitantibus, non respondit, deinde in terra scri-

scribere cœpit: cumq; denuo responsionem  
 urgerent, ambiguo responso dato, rursus  
 scribere cœpit, & ita digressis accusatori-  
 bus, mulierem liberavit. Quo factore voluit  
 nos docere, si quando lapsus aliquis proxi-  
 mi nostri ad nos deferatur, etiam si repre-  
 hensione dignus sit, non debere nos ad iu-  
 dicandum esse faciles & precipites apud  
 nos ipsos, multo autem minus ad condem-  
 nandum eum apud alios: sed rationem eam  
 & viam inire excusandi illum & immi-  
 nuendi, cogitantes nos omnes è terra factos  
 & posse similiter peccare & labi.

3. Christus audita accusatione mulie-  
 ris adultera, digito scripsit in terra Terra  
 significat cor humanum, ex quo omnes fructus  
 boni & mali actionum nostrarum procedunt.  
 Digitus designat discretionem. Quando  
 ergo aliquid mali de proximo audimus,  
 non debemus statim temerè eum iudica-  
 re, sed prius discretionis digito humiliter  
 cor nostrum discutere, inquirendo si mus-  
 ne immunes à peccato, vel non: & si de-  
 prehendamus nos esse peccatores, condo-  
 leamus à priorum lapsibus.

4. Distulit quoq; Dominus responsum  
 suum ad informandos Principes & Iudi-  
 ces, ut dum audiunt aliquas accusationes,  
 non confestim sententiam proferant, sed  
 prius causam eiusq; circumstantias exa-

minent. ne iniquitate accusatorum, vel specie aliqua iustitiæ defraudati, iniustā sententiam pronuncient.

5. **CHRISTVS**, ut accusatores suo responsō pudefecit, eorumq; iniquitatem demonstravit, denuo se in terram ad scribendum inclinavit, ne magis, si in eos diutius respexisset, pudefierēt, & liberius se inde subducerent. Nimirum nos quoq; instituens, si quando videamus aliquem nostra commonitione, vel reprehensione pudefactum, non illi instare diutius, vel oculis in eius vultum coniectis maiorem illi ruborem procreare, sed potius fragilitati humana miserendo, dissimulare.

6. Qui in Dei consp. Etum prodeunt corde duplici, non merentur exaudiri in suis precibus, sed potius cum pudore repudiari, ut hic accidit Pharisæis, quorum conatus in irritum reciderunt. Nam exitum foelicem habere non possunt negotia, que et si speciem boni præ se ferant, tamen non ad honorem & gloriam Dei, sed proprii commodi causa suscipiuntur. Contra vero qui in conspectum Dei prodeunt cum humilitate & verecundia, agnoscentes se peccatores, merentur obtinere veniam, sicut obtinuit humilis ille publicanus, & hac quoq; adultera.

**LUC. 18.**

7. Qui sine peccato est vestrum, inquit  
**CHRI-**



CHRISTVS, primus in eam lapidem mittat. Qua sententia discimus non murmurare, aut malè loqui de proximis nostris, considerando multas nostras imperfectiones & peccata: quia quantumcūq; sanctus & iustus homo sit semper, si bene conscientiam suam excutiat, inueniet q̄ in se reprehendat, atq; ita nō facile lapides ob murmurationem in alios emittet.

8. Dixit CHRISTVS mulieri, neq; se condemnare illam; iret modo, & non peccaret amplius. Vide eundem Dominum, qui in hac vita tam misericordem se declarat erga peccatores, quos peccati pœnitent, quiq; peccare desistunt, seuerissimum in eos futurum, qui bonitate eius, persistendo in peccatis: abutuntur. Vnde qui nunc dicit Ego te non condemno, postea durū & terribilē profert sententiā, qua cōdēnabit peccatores ad supplicia inferni.

9. CHRISTVS non condemnauit eā, q̄ à nullo erat condēnata: ut tu intelligas si tuas te vita non condēnet; nec cōdēnā dum esse à Deo. & licet multa peccata admiseris, si tamen per pœnitentiam illa expiāris, & solus cum Christo, uti hac mulier, permanseris, cum proposito voluntati eius obsequendi, & sanctam eius legem praestandi, non dubium, quin iusto Dei iudicio sis absoluendus.

10. *Idem Dominus, qui dixit mulieri: Non te condemnabo, dixit quoq̃. Vade et noli amplius peccare: ubi iustissimus hic iudex non promittit aut misericordiam solam, aut minatur solum iudicium, sed utrumq̃, facit, ut omnes intelligãt: si causam habeant fidendi in ipso, quoniam suavis est & misericors. similiter causam habere timendi, quoniam iustus est. Unde q̃ nũc cum misericordia tolerat, ut inducat eos ad pœnitentiam, postea seuerissimè castigabit, si pœnitentiã agere nolint. Vult ergo Dominus, ut inter spem & metum semper viuamus. speq̃, erecti post lapsum in peccatum non desperemus: & timore perterriti, promissione misericordia abutentes in iudicium nõ incurramus. Quare benignus Iesus, qui vult omnes saluos fieri, ijs qui sunt in periculo desperationis proponit portum remissionis & veniã: q̃ verò sub umbra misericordia sua veniũt in periculum nimia fiducia, differentes de die in diem emendationem, minatur seueritatem suã.*

*institis.*



# DE CAECO

NATO A CHRI-

STO ILLUMI-

NATO.

*MEDITATIO XI.*

*EVANGELIVM.*

**P**RÆTERIENS IESVS *Ioan. 9.*  
 vidit hominem cæcum à natiui-  
 tate: & interrogauerunt eum  
 discipuli eius, Rabbi, quis peccauit,  
 hic, aut parentes eius, vt cæcus na-  
 sceretur? Respondit IESVS: Neque  
 hic peccauit, neque parentes eius,  
 sed vt manifestentur opera Dei in  
 illo. Me oportet operari, opera e-  
 ius, qui misit me, donec dies est, ve-  
 nit nox, quando nemo potest ope-  
 rari, quamdiu sum in mundo, lux  
 sum mundi. Hæc cum dixisset, ex-  
 puie in terram, & fecit lutum ex

N 5 spu-

spuito, & liniuit lutum super oculos eius & dixit ei. Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus. Abijt ergo, & lauit: & venit videns. Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem, Nequaquam, Sed similis est ei. Ille verò dicebat. Quia ego sum. Dicebant ergo ei. Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur IESVS, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad natatoriam Siloe, & laua. Et abijt, & laui, & vidi. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait. Nescio. Adducunt eum ad Phariseos qui cœcus fuerat. E autem Sabbathum, quando lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset, Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos & la-

laui, & video . Dicebant ergo ex  
 pharisæis quidam : Non est hic  
 homo à DEO , qui Sabbathum  
 non custodit . Alij autem dice-  
 bant : Quomodo potest homo  
 peccator hæc signa facere? Et  
 schisma erat inter eos . Dicunt  
 ergo cæco iterum : Tu, quid di-  
 cis de illo qui aperuit oculos tuos?  
 Ille autem dixit . Quia Propheta  
 est . Non crediderunt ergo Iudæi  
 de illo , quia cæcus fuisset & vi-  
 disse, donec vocauerunt paren-  
 tes eius qui viderat , & interro-  
 gauerunt eos , dicentes : Hic est  
 filius vester, quem vos dicitis, quia  
 cæcus natus est ? Quomodo ergo  
 nunc videt ? Responderunt eis  
 parentes eius , & dixerunt . Sci-  
 mus, quia hic est filius noster, &  
 quia cæcus natus est, quomodo au-  
 tem nunc videat , nescimus , aut  
 quis eius aperuit oculos, nos ne-  
 scimus, ipsum interrogate: ætatem  
 habet, ipse de se loquatur . Hæc  
 dixerunt parentes eius , quoniam

timebant Iudæos, iam enim conspi-  
 rauerant Iudæi, vt si quis eum  
 confiteretur esse Christum, extra  
 Synagogam fieret. Propterea paren-  
 tes eius dixerunt. Quia ætatem  
 habet, ipsum interrogate. Voca-  
 uerunt ergo rursus hominem qui  
 fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da  
 gloriam Deo, nos scimus quia hic  
 homo peccator est. Dixit ergo eis  
 ille: Si peccator est nescio: vnum  
 scio, quia cæcus cùm essem, modò  
 video. Dixerunt ergo illi: Quid  
 fecit tibi, quomodo aperuit tibi o-  
 culos? Respondit eis: Dixi vobis  
 iam, & audistis: quid iterum vul-  
 tis audire? nunquid & vos vultis  
 discipuli eius fieri? Maledixerunt  
 ergo & dixerunt: Tu discipulus il-  
 lius sis; nos autem Moyse discipuli  
 sumus. Nos scimus quia Moyse locu-  
 tus est DEVS, hunc autem nesci-  
 mus vnde sit. Respondit ille homo  
 & dixit eis: In hoc enim mirabile  
 est, quia vos nescitis vnde sit, & ape-  
 ruit meos oculos: scimus autem  
 quia peccatores Deus, nō audit: Sed  
 si quis

si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo nō est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, nō poterat facere quicquā. Responderūt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerūt eum foras. Audiuit IESVS quia eiecerunt eum foras; & cū inuenisset eum dixit ei: Tu credis in filiū Dei? Respondit ille & dixit. Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait. Credo Domine. Et procidens adorauit eū.

## FIGVRAE..

**T**OB IAS iuuenis posito felle piscis supra cæci Patris oculos visum ei restituit: *Tob. 11.*

2 ELIZEVS misit Naaman Syrum ad aquas fluij Iordanis, vt in illis se lauaret, et sanitatem reciperet. *4. Reg. 5.*

## P R O P H E T I Æ.

*Esa. 35.*1. **D**EVS ipse veniet et saluabit nos tunc  
aperientur oculi cæcorum.*Esaie. 29.*2. In die illa de tenebris & caligine oculi  
cæcorum videbunt.

## C O N S I D E R A T I O N E S.

*Punct. 1.*

**P**RÆTERIENS Iesus vidit hominẽ  
cæcum à natiuitate. Ter vidit Deus  
humanum genus cæcum à sua Nati-  
uitate, cuius hic bonus cæcus à CHRI-  
STO sanatus, fuit expressa figura; &  
qualibet vice illi quoque misericorditer  
prouidit remedium. Vidit illud primò  
oculo suæ æternæ prouidentia, quan-  
do pro immensa sua bonitate decreuit  
hominem creare, prouidensque pari-  
ter eum fragilitate humana lapsurum,  
diuinæque gratiæ luce spoliandum, mox  
reperit antidotum, nempe, missionem  
vnigeniti filij sui in mundum, ad illu-  
minandum omnes qui in peccati tene-  
bris sedebant, De qua missione, & æter-  
no Dei proposito loquens Propheta di-  
xit, *Egressus eius ab initio, à diebus æter-  
nitatis.* Secundo idem Deus vidit homi-  
nem

*Luch. 5.*



nem, quando eum ex limo terræ formavit, communicansque illi imaginē suam, lumine vultus sui cælesti, & gratia diuina signavit: verum cum per inobedientiam suam lumine illo se paulò post priuasset, & tenebras peccati incurisset, pater ille misericordiarum mox addixit illi remedium, quando minatus antiquo serpenti omnium malorum auctori dixit, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter sement tuam & semen illius, ipsum cõteret caput tuum.*

Genes. 2.

Gen. 2.

Psalm. 4.

Gen. 3.

Tertio denique Deus vidit hominem hunc miserum, quãdo iam amore eius vestitus carne, instar peregrini transiens mundum, aspexit hunc cæcum natum, qui eius typum gerebat, cui & antidotum antè promissum suis manibus præbuit, ac perfectè eum sanavit. Hic expende hominem hunc pro omnibus vicibus, quibus à Deo conspectus est, rectè posse vocari cæcum à natiuitate: quando enim ab æterno Deus eum vidit, simul præuidit cæcitatem quam erat incursum. Postea quando homo fuit creatus, ipso natali suo die miserè diuinæ gratiæ lumen perdidit: nunc quoque, dum in persona huius cæci à CHRISTO visus est, dicit Euangelium, illum à natiuitate sua lumine oculo-

314 **MEDITAT. DE VITA**  
eulorum caruisse: Benedicti sint diuini  
illi oculi, qui præuisa tanta nostra mi-  
seria, non etiam respexerunt nos cum  
rigore suæ iustitiæ, sed decreto mox an-  
ti doto, respexere cū dulcedine suæ mi-  
sericordiæ. Benedicta quoque sint vi-  
scera miserationum Dei nostri, quod  
hominem in ipso suæ creationis exor-  
dio turpiter peccantem, non extemplo  
seueritate suæ iustitiæ, in profundum  
desperationis præcipitârît, sed beni-  
gnè cum spe redemptionis erexit.  
Benedictæ sint denique benignæ illæ  
redemptoris manus, quod nobis instar  
huius miseri hominis existentibus ve-  
rè cæcis, remedioque omni destitutis,  
sic vt neque sciremus vnde remedium  
expectari posset, ille pro sua incredibili  
caritate proprii sanguinis fonte sordes  
peccatorum nostrorum eluerit, oculos  
mentis nostræ illuminârît, & ex iis fi-  
lijs, filios Dei fecerit:

*Apocl. 1.*

2. **CONSIDERA** mysticam si-  
militudinem, quæ est inter hūc cæcum  
natum & humanam naturam: nam  
non solū hic homo sua cæcitate ge-  
nus humanum, etiam cæcum & à na-  
tali suo luce priuatum, repræsentabat:  
verum etiam sicut huius hominis cæci-  
tas vt ipse Dominus dixit, à Deo per-  
missa

missa est ad maiorem ipsius gloriam, & ad manifestanda diuina eius opera; sic cæcitas, quam per peccatum genus humanum contraxit, occasionem præbuit Deo pro salute ipsius hominis res quasdam diuinas & admirandas operandi. Magnum profecto & diuinum opus fuit aperire oculos vnici cæci nati, sed maiora & diuiniora fuere, quæ Dominus patrauit ad lucem gratiæ nostræ naturæ cæcæ restituendam. Præterea huic cæco, præter corporalem videndi facultatem multa alia dona maiora Dominus contulit; vt quod oculos mentis eius collustrârit, quod dignum reddiderit, vt non solum videret, & cognosceret vnigenitum filium Dei, sed etiam in ipsum crederet. Nec secus misericordissimus Deus pro sua infinita bonitate & sapientia, ex hac nostræ cæcitatæ pœna, quam per peccatum incurreramus, hausit in commodum nostrum bona multò maiora: sic vt homo post lapsum multo plus beneficio Creatoris consecutus sit, quàm inuidia dæmonis perdiderit, vt rectè expressit Apostolus illis verbis. *Vbi ab-* Rom. 8.  
*undauit delictum superabundauit & gra-*  
*tia.* Vide ineffabilē diuinæ caritatis dilectionē, nā ante lapsum Deus hominē  
 fecit

fecit Dominum omnium suarum creaturarum: sed post lapsum misericors Deus ad nos recuperandos, non sua solum, sed se quoque dedit, & primò dedit vnigenitum suum filium in redemptionis nostræ pretium, qui carne humana assumpta simul hominē nobilitauit, & ad diuinæ naturæ consortium extulit. Deinde dedit nobis Sanctū spiritum in sui amoris pignus, in filios & hæredes nos adoptans, ac ad extremum seipsum dabit in præmium, & hæreditatem omnium electorū suorum in cælo. Peccatum quoque occasionē dedit, vt Dominus virtutum apparens in forma hominum inter homines, cœlestia illa tantæ perfectionis & virtutis exempla toti mundo præberet: quæ olim dū adhuc existeret in luce illa sua inaccessiblei, non poterant in eo notari & animaduerti; postquam autē ea nunc prodidit, ad se suiq; imitationem omnium hominū corda atraxit. Inter ea autem primū merito locū obtinet singularis illa filij Dei obedientia, non modo æterno Patri, quam ille appellare solebat cibum suum, sed etiam creaturis suis, demonstrata; subiiciendo scilicet se illis vti legitur, *Et erat subditus illis*. Deinde profunda humilitas, qua Angelorum

Ioan. 4.

Luc. 2.

Dominus, assimilatus homini, assum- *Phil. 2.*  
 pfit formam serui, teste Apostolo: *Qui*  
*cum in forma Dei esset, semetipsum exi-*  
*naniuit, formam serui accipiens:* imo se  
 fecit seruorum suorum seruum, sicut  
 ipse Saluator dixit. *Ego in medio ve-* *Luc. 22.*  
*strū sum, sicut qui ministrat.* Sequitur in  
 flammata illa caritas, qua non conten-  
 tus fuit tot modis homini communi-  
 cari, atque ita coniungi & vniri, vt se-  
 ipsum dederit nobis in cibum, verum  
 etiam ad mortem subeundam non  
 pro amicis tantum, sed etiam pro ipsis  
 inimicis, qui peccatores sunt, inductus  
 est. Vnde Apostolus, *Commēdat,* inquit  
*Deus caritatem suam in nobis, quoniam* *Rom. 5.*  
*cum adhuc peccatores essemus, CHRIS-*  
*TVS pro nobis mortuus est,* Præterea *Luc. 9.*  
 extrema paupertas, quod in mundum  
 veniens vix in stabulo locum inuene-  
 rit: in omni quoque vita, ipso teste,  
 locitantum non habuerit, vbi caput  
 suum reclinare posset: ac denique mori  
 voluerit nudus in vili ligno, non habēs  
 in extrema siti, qui vel haustum aquæ  
 porrigeret. Adhæc inuicta patientia,  
 qua supra cruces quas continenter in  
 sancta anima sua sustinebat, inter  
 tot iniurias & opprobria dicta & fa-  
 cta per totum vitæ cursum, inter tot  
 fla-

flagra, & acerbitates pœnarum in sua passione, non aperuit os suum, sed, vt Propheta dixit, *quasi agnus corã tondẽte se obmutuit*. Deniq; admiranda mansuetudo, qua iniurias vltus non est, non malum pro malo reddidit, sed sua bonitate alienam malitiã vicit, vt dixit S. Petrus. *Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non cõminabatur*. Et ipse per Prophetam dicebat, *Ego quasi agnus mäsuetus, qui portatur ad victimã*. Atq; hæc sunt opera illa sublimia & admiranda, quę CHRISTVS in hoc homine dicebat esse manifestanda, in cuius persona, nostra cæca natura erat præsignata. Vide quãtas opes Christus ex nostra paupertate collegerit, quantam foelicitatem attulerit nostra miseria, atq; ex his omnibus, quãta laus & gloria in Maiestatem Dei, qui solus tanti boni autor est, redundãrit.

3. CONSIDERA CHRISTVM nondum curato cæco ingressum esse templum, & Iudæis prædicasse, ac eorum infirmitates spirituales detexisse, liberè veritatem eis manifestando: verum illi vt phrenetici, cælestis Medici consilium repudiantes, iniurijs eum laceßere cœperunt, Samaritanum & à demone obsessum appellãrunt, ac denique

*Esai. 53.*

*1. Pet. 2.*

*Iere. 2.*

nique lapidibus eum petere voluerunt: sed benedictus I E S V S mansuetè omnia ferens exiuit è templo. Et quia infinitæ pietatis fons non poterat in tanto contumeliarum & ingratitude æstu exsiccari, & misericordiæ suæ obliuisci, pertransiens, oculos suos coniecit in hunc miserum cæcum, eumque nec ab ipso, nec ab alio vlllo rogatus, clementissimè illuminauit. Hæc sunt Deus meus opera tua, hoc tuæ bonitatis proprium semper fuit, bonum pro malo reddere, amorem pro odio, beneficia pro contumelijs. O anima mea, quid minus tecum Dominus egit, quàm cum hoc cæco? ille enim respexit eum, à quo non aspiciebatur; salutem dedit ei à quo non rogabatur: nō secus Deus tuus, antequam eum cognosceres, te suæ misericordiæ oculis respexit, ex tot hominum perditorum millibus elegit, & sacri baptismi sui aqua te lauans cecitatem tuam curauit, è peccati tenebris extraxit, & lumine suæ gratiæ illuminauit. O infinitæ clementiæ oculi, noli Domine mi, ne ad minimum quidem punctum temporis à me discedere, vt nunquam separer à te vita mea, & lumine oculorum meorum vnico. Vide quot mysteria & profunda secreta

in

in hac breui actione sua Saluator no-  
 fter complexus est. Venit certe CHRIS-  
 TVS ad illuminandum populum Iu-  
 daicum, atque ideo primo synagogæ

*Matth. 4.*

Euangelium regni prædicauit. Cæterū,  
 quia hæc vera lux in tenebris lucens  
 ab eis agnita non fuit, nec recepta, imò

*Ioan. 1.*

repulsa, ideo relictis Iudæis conuertit  
 se ad illustrandam miseram & cæcam  
 gentilitatem, quæ ab initio natiuitatis  
 suæ, hoc est, ab origine mundi in tene-  
 bris ignorantia & infidelitatis sepulta  
 iacuerat. Ac vide quam insolito & my-  
 stico modo Dominus huic homini re-  
 stituerit visum: dicit enim euange-  
 lium, CHRIS TVM spuisse in ter-  
 ram, & lutum ex sputo factum super  
 oculos cæci posuisse, illique mandasse,  
 vt lauaret in fonte Siloë. Quid enim a-  
 liud designabat salua facta lutum, ni-  
 si verbum diuinum, illam æternam  
 sapientiam, quæ ex ore Patris defluens  
 in terram dilapsa est, & nostræ terre-  
 næ naturæ commixta & conglutinata  
 est? Deinde cum hæc veritas beneficio  
 prædicationis Euangelicæ imposita  
 est humani intellectus oculis, homi-  
 nesq; simul conuenienter diuino man-  
 dato sacris Baptismi aquis se abluerent,  
 fuit mens lumine fidei perfectè illu-  
 strata,



strata, & anima ab omni luto & macula peccatorum expurgata. Rectè autem dicit Euangelista, fontem, in quo cæcus lotus est, vocatum fuisse *Siloe*, id est, missus. Hic enim missus non erat alius, quam qui ab æterno Patre in mundum erat missus, quam unigenitus eius filius, in cuius fonte sanguine pretioso redundanti omnes nos eluti & mundati sumus. At cur bone IESV, restitutus visum, cæco, pro emplastro lutū oculis imponis? quod magis ad excæcandum, quam illuminandum valet. quanquam tuæ omnipotentiae, qua imperio solius verbi fabricasti mundum, nullo opus erat medio ad aperiendum oculos cæci, vno solo verbulo poteras, vt Hierichuntino illi cæco, omnia efficere: sed voluit Dominus hoc exemplo declarare se creatorem esse, qui vti principio formauit hominem ex luto, sic nunc ex eodem luto reformauit, & amissæ salutis restituit, vt per operum horum similitudinem agnosceretur vnus auctor & opifex vtrorumq; Deinde mirū id non fuit; quia fere talia sunt diuina remedia, quæ carni licet nostræ molesta, atq; secundum humanam prudentiam existimantur potius noxia, præ-

ter omnem nostram spem & expectationem concilient nobis salutem: non aliter, quam fecit propheta Elizæus, quia aquas amaras iniecto sale reddidit dulces. Denique voluit Dominus hominem istum cum oculis luto oblitis adire fontem Siloë, partim, ad probandam eius fidem, augendamque accessione gratiæ & meriti, partim ut à multis conuictus hoc modo ire per urbem, & postea illuminatus redire, manifestius redderetur miraculum, & longius ad vilitatem aliorum diuulgaretur. Iam verò nos quoque, qui per peccatū cæcitatem mentis incurrimus, si amplissimam lucem recuperare volumus, vngamus oculos nostros hoc diuino collyrio, & salutari luto; quod non est aliud, quam ipse **CHRISTVS** incarnatus, & homo pro nobis factus: respiciamus in eum primò viua fide, confitendo & adorando eum tanquam nostræ salutis auctorem: deinde ipse firma, in ipso solo, eiusque pretiosis meritis omnem nostram fiduciam collocando. Adhæc respiciamus eum caritate ardenti repēdendo amorem amanti illi, qui prius dilexit nos, & seipsum dedit pro nobis. Denique respiciamus eum per imitationem, ponendo semper ob oculos admi-

*4. Reg. 2.*

*1. Ioan. 4.*

admiranda virtutum eius exempla, & totis viribus eum imitando, insistendoque cœlestis agni vestigijs quocunque ille nos duxerit: vt sicut per inobedientiam nostram, à CHRISTO sciũcti lucem perdidimus, sic per obedientiam sequendo ipsum, & mandatis eius vnà cum cæco obsequendo, eam recuperare possimus

4. Vicini igitur huius cæci qui prius mendicantem agnouerant, iam, postquam illuminatum vident, incipiunt dubitare, sitnè ille ipse an alius; alijs aientibus, alijs negantibus. Considera quor modis examinatum & ventilatũ fuerit hoc factum Domini. Ac primò quidem à vicinis, & agnoscentibus cæcum, deinde ab improbis & inuidis Pharisæis, qui ad obscurandum hoc eximium CHRISTI opus, varijs artibus conati sunt veritatem huius miraculi in dubium reuocare. Vbi apparet, quanta sapientia DEVS ex hac ludæorum malitia & nequitia tantũ bonum haurire cœperit; quicquid enim illi machinati sunt ad obscurandam huius miraculi veritatem, id eam magis cõfirmavit & illustriorem Dei gloriam reddidit. Cũ ergo dubitarent Iudæi, num esset ille ipse, quem prius

cognorant, ille liberè & audacter confessus est se esse. Erat certè hic homo partim idem cum primo, partim diuersus ab illo: nam si propheteꝝ Samuelis vnctio tantam vim habuit vt regem Saulem in alterum hominẽ mutaret, quanto maiorem, credere debemus, vim fuisse in hac vnctione **CHRISTI** ad perficiendam eandem mutationem in hoc cæco? O mutatio mirabilis. O fœlix cæcus: cùm enim corpore tantum cæcus esses, non solum in externis, verum etiam internis mentis oculis es illuminatus: è frigido in amore dei, factus es feruens, ex ignobili illustris, è mēdico cœlestium donorum diues, ac denique ex incredulo fidelis confessor, imò Christi martyr. Nam primus ex omnibus hominibus fuisti, qui ob constantem veritatis confessionem, & Christi defensionem impiorum iudicum examini es subiectus, iniuriasque, persecutiones, & maledictiones es perpeffus, vsque ad expulsionem è Synagoga. Interrogatus ergo sæpius primò à Iudæis, deinde à Pharisæis, quomodo aperti illi essent oculi, ille semper tanquã veritatis filius clarè confessus est se à Iesu sanarũ esse. Vide quomodo bonus hic cæcus à gratia illu-

mina-

minatus incipiat annūciare ludæis ipsā gratiam, & velut gratus de beneficio, recepto incipit Christum prædicare. Verum impij illi Pharisæi, videntes nulla ratione se posse calumniari miraculum, conati sunt calumniari modum quo Christus illud perfecerat, obijcientes eum violasse Sabbatum, quod eo die fecisset lutum & oculis cæci imposuisset. Vides peruersitatem ludæorū. lutum digito fingere ad illuminandum cæcum reputant peccatum malignis autem linguis suis excæcare homines ne credant in Christum & gloriam Dei celebrēt, nō habent loco peccati. Verum, quia inter se erant discordes, alijs defendentibus, alijs condemnantibus Christum, rursus relabuntur ad cæcum, vt eius sententiam extorqueant. Vide quem admodum fastuosi Pharisæi, qui existimabant se mortaliū sapientissimos, inter se discordes, iam ab vnius mendici, & rudis hominis responsione pendeant. Atq; ita cæcus qui gratia Christi adiutus cœperat aperire non solum corporis, sed etiam mentis oculos, illis respondit simpliciter & intrepidè, se credere CHRISTVM esse Prophetam. Parum dixit, ô bone cæce: nec mirum; quia tua

fides adhuc erat imperfecta CHRISTVS enim non solam Propheta, sed omnium Prophetarum Deus & Dominus erat. Quanquam aliquo modo veritatem attigisti, quia ipse erat verus ille Propheta à Deo per Moysen promissus, quādo dixit, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsū audies.*

*Deut. 17.*

5. IVDÆI ergo animaduertentes hoc miraculum eò clarius illustriusque reddi, quo ipsi amplius illud obscurare conarentur, obstinati in cæcitate, post examinatum cæci patrem & matrem, nouo astu sub religionis specie inducere eum student ad negandam veritatē. Quis verò hic non videt, completa esse verba multo antè in horum persona

*Esa. 59.*

ab Esaia Propheta predicta. *Palpauimus cæci parietē, & quasi absq; oculis attrectauimus: impigimus in meridie quasi cæci.* Quæ enim lux clarior dari poterat ad confirmandam CHRISTI doctrinā, quā hoc diuinissimo opere? & tamē qui in hoc populo cæteris prudentia & intelligentia præstabant, perinde atque si omni ratione & iudicio destituti essent, instar cæcorum, nunc huc, nunc illuc oberrant, ignari quid tandem statuunt, nam hinc vis manifestissimæ veritatis

ritatis eos reuincebat, illinc inuidiæ & malitiæ vehementia eos à confessione veritatis reuocabat. Dixerunt ergo Pharisæi ad cæcum. *Da gloriam Deo, nos scimus, quia hic homo peccator est*, ac proinde non potuit illud miraculum facere. Quare aut fatiare, te à Deo sanatum, & non ab hoc homine peccatore, vel si quid ab illo factum est, id factum nõ diuina sed diabolica virtute. O perfidi Iudæi, id non est dare gloriam Deo, sed dedecore potius, & ignominia afficere, dum conamini vel diuina eius opera suppressere, vel artibus dæmonis attribuere. Vide malitiam summam istorum: paulò ante enim hi ipsi rogati à CHRISTO his verbis; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* omnes conticuerunt, nec de vlla noxa reum agere potuerunt, & nunc ip'o nõ præsentè pleno ore clamant, *Scimus, quia hic homo peccator est.* O benedictè IESV, quæ nã sunt peccata, quæso, de quibus scelerati isti te accusant? an forte deliquisti, quia illuminasti eorum cæcos, mortuos excitasti, leprosos mundasti, ex eorum liberis dæmonem eiecisti, ac denique tot annos in prædicando, docendo, & sanando omnis generis infirmitates, consumpsisti? Quam benè de hoc populo

O ; ingrato

Joann. 8.

ingrato alicubi dixisti *Quia odio habuerunt me gratis.* Respondit ergo istis bonus cæc<sup>9</sup>, *Si peccator est, nescio. Vñ nescio, quia cæcus cū essem, modo video.* Vide responsum non hominis cæci, sed egregiè illuminati: atque si dixisset. Hoc vnum quod operatus est in me, mihi fidē certam facit, cum non esse peccatorem, quia hoc opus non est peccatoris, Tunc arrogantes illi Pharisæi, non ferentes in cæco tantam loquendi libertatem, maximè cum viderent se ab illo quoq; ludibrio haberi, dum sciscitaretur, nū ipsi quoq; vellent discipuli Christi fieri, magna verborum acerbitate cæperunt ei maledicere, & dicere. Tu discipulus eius sis, nos Moysis discipuli sumus; Moysi scimus locutum esse Deū, hūc autem nescimus vnde sit. O quam verè Dominus dixit de Iudæis, *In iudicium ego in hunc mūdum veni, ut qui non videt videant, & qui vident, cæci fiant.* Verè fuerūt excæcati: nā cū ante oculos haberent vidēdi Christum lucē veram tam clarè relucentem, tamen, atque si eum non viderent, audent affirmare se nescire quis sit. Vide quanta hæc sit cæcitas, fatentur Deum locutum Moysi, eumq; fuisse hominem sanctum, quod scire non poterant, nisi quia ab alijs id

audie-



audierant, at de Christo cuius cælestem doctrinam suis auribus perceperant, & diuina opera oculis suis conspexerant aiunt se nescire quis sit. Ex alia parte, quo maior erat iudæorum cæcitas, hoc maior lux in hoc bono cæco apparebat, quandoquidem tam clavis & efficacibus rationibus refellebat omnes calumnias à Judæis in Christum iactas, asserens nulla ratione illum posse esse peccatorem, eo quod Deus non peccatores, sed eos tantum qui eum venerantur, & mandatis eius obsequuntur, exaudiat, Deinde Christum, nisi à Deo esset, non potuisse tantum patrare miraculum, quantum à condito orbe patrātū non fuerit. Valdè bene dixisti, *ô cæce*, Christum non potuisse hoc miraculum facere, nisi esset à Deo; sed melius dixisses, nisi ille fuisset Deus ille, qui suis omnipotentia non solum tibi visum restituit, sed etiam corpus tuū formauit, animam & totum hoc vniuersum creauit. Et est ille, cuius virtute alij omnes sancti & Prophetæ fecerūt, quicquid vnquam diuinorum mirabiliumque operum fecêre. Vide quomodo hic benedictus cæcus, nondū plena Christi cognitione imbutus, tamen eum confitetur, prædicat, & cōstanter defendit.

Nec mirum, quia enim incipiebat à  
Legis Moſaycæ tenebris tranſire ad lu-  
cem gratiæ. Chriſtus quoque per carita-  
tem cœpit habitare in ipſo, & iam ſpiri-

*Matth. 10.* tus cœleftis Patris per eius os loqueba-  
tur, ſicut ipſe Dominus dixit: *Non eſtis  
vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris ve-  
ſtri q̄ loquitur in vobis.* In eò quoq; im-  
pleta eſt promiſſio à Chriſto Apoſtoliſ  
*Luc 21.* facta. *Dabo vobis os & ſapientiã cui non  
poterunt reſiſtere, & contradicere om-  
nes aduerſarij veſtri.*

6. **CONSIDERA**, quomodo Pha-  
riſæi efficacibus huius boni cæcirationi-  
bus conuicti, & pudefacti, furioſè ſe  
ſi oppoſuerint, abiecta que ſpe omni,  
quod eũ ve! fraude vel metu poſſint de-  
terrere à confeſſione & prædicatione  
Chriſti, veniunt ad iniurias & dicunt.  
*In peccatis natus es totus, & tu doces  
nos.* quaſi dicerent, Tu, qui ante ortum  
tuum per peccata tua condemnatus es,  
vt eſſes cæcus: tu qui per omnem vi-  
tam non aliud, quam peccaſti, tu ho-  
mo vilis, rudis, & ſceleratus viſ docere  
nos, qui ob ſanctitatem & diuinæ legis  
ſcientiam in Dei populo principem  
locum tenemus? Tu denique qui pau-  
lo antè mendicabas panem tuum, au-  
ſus es in præſentia noſtra ita philoſo-  
phari?

phari? & cetera nō contenti hac re, non ferentes ab homine idiota sibi os obturari, ab iniurijs procedunt ad vim, cumq; vclut maledictum & excommunicatum ē synagoga eijciunt. O anima mea, vtinam talis maledictio mihi eueniat, vtinam dignus sim amore eius non solū maledictis & iniurijs affici, verum etiam instar reprobī exosus ab omnib. hominibus repudiari: Beati *Mat. s.* siquidem pronunciantur qui amore CHRISTI proque iustitiæ & veritatis defensione hominum cōfiguntur maledictis: nam apud Deum erunt benedicti: similiter beati illi quos execratur & respuit mundus, quia ab ipso CHRISTO suscipientur, vti promisit illis verbis Beati eritis, cū maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & separauerint vos, & eiecerint, atque si mali quid egissetis propter me, gaude- te & exultate, quia merces vestra copiosa erit in coelis. Verum quæ hæc merces est bone IESU, quam promittis illis, qui propter te respuuntur & eijciuntur ab hominibus; certe non alia, quam dedisti huic bono cæco: quem Christus, vt refert Euangelium, cum audisset illum ē synagoga exturbatum (propriam enim Domini est in- uenire

uenire eos quos mūdus perdit, & colligere, quos mundus eijcit & deserit) studio quæsiuit, suiq̄ue notitiam inuento præbuit; immò per fidei, diuinæq̄ue gratiæ suæ donum, se illi communicauit & dedit, vt tandem perfectè se dare & communicare illi per beatificam visionem posset in cælo. Merces profecto copiosa, de qua etiam loquēs Deus ad magnum Patriarcham Abraham dicebat. *Ego ero merces tua magna nimis.* O bonitas infinita, O Deus verè noster, quandoquidem, eò solum quod cæcus grati animi significationem aliquam dederit, tribus, vt ita dicā. verbis, in hominum conspectu, tuo nomini patrocinando; tu, qui gratitudine ab hominibus vinci non vis, mox atque cognouisti eum. pulsum Synagoga, ipse in viam te das ad eum quærendum, tuiq̄ue notitiam ei benignè communicas, ac dignum reddis pauperem cœcum oculis proprijs videre & auribus audire, quem tot Sancti reges & prophetæ desiderarunt videre & audire, & non potuerunt. IESVS ergo inuento cæco dixit. *Credis in filium Dei?* Respondit ille & dixit. *Quis est, Domine, ut credā in eum?* Vide, quomodo Spiritus Sanctus, qui habitare cœperat in

*Gen. 23.*

*Matth. 13.*

hoc

hoc homine, post externum oculorum lumen redditum, eum præparauerit & disposuerit ad accipiendum lumen internum fidei. Ex alia parte vide quanta molestia omnis humilitatis Magister, non responderit. Ego sum ille. sed dixit. *Vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est,* quibus verbis verisimile est, CHRISTVM claram sui cognitionem illi infudisse. Quare & bonus homo, quod iã firmiter credebat corde, mox ore, & gestu corporis disertè eum Deum suum confessus est, dicens. *Credo domine,* & prociens humiliter in terram adoravit eum. O diuinæ caritatis dulcedo, quam bonus es illis Domine, qui vel minimo signo testantur amorem suum erga te? quamque munificus remunerator minimi seruitij nostri; si modo in nobis est aliquid, quo tibi seruire possimus. Nam & exiguus iste amor noster, & exiguum istud seruitium nostrum erga te, non est aliud quam gratia, & donum liberalitatis tuæ. Utinam tuæ diuinæ maiestati placeat, O magne luminum Pater, lux vera, lux sancta, lux mirabilis illuminans oculos omnium hominū, imò lux etiam in cælo illumi-

nans oculos omnium Angelorum; lux  
 quæ semper resplendes in tenebris, &  
 nunquã obscuraris, etiam animæ meæ  
 tenebras illustrare, & cæcæ mentis meæ  
 oculos aperire, vt depulsa omni veteris  
 caliginis nebula, oculis sanis tuam cla-  
 ritate[m] contemplari possim, & ambu-  
 lans in hac vita, velut filius lucis, ad mi-  
 rabile tuæ sanctæ habitationis taberna-  
 culum peruenire merear, vbi in beato  
 lumine tuo contuendo te dulce meum  
 & æternum lumē, perfectè meum desi-  
 derium explere & satiare possim.

*Psal. 14.*

*Psal. 10.*

### COLLOQVIUM.

**O**RABIS Christum Dominum,  
 vt sicut aperuit oculos huius cæci  
 nati, imposito in eos luto, sic ad agno-  
 scendam peccatorum tuorum fædita-  
 tem, velit quoque aperire oculos cor-  
 dis tui, ne forte ambulans in tenebris  
 impingas, & in foueam æternæ mortis  
 concidas, sed potius diuinæ gratiæ lu-  
 mine per suæ misericordiæ beneficium  
 recepto exemplo huius cæci possis re-  
 demptorem tuum agnoscere, & reue-  
 reri, cū Propheta prædicando alijs eius  
 laudes, omnibusque eum timentibus  
 narrando, quanta fecerit animæ tuæ.

*Psal. 65.*

DO-

## DOCUMENTA.

1. **E**vangeliū refert Christum vidisse cæcum, nō otiosè & frustra, quia videndo eius necessitatem, restituit ei sanitatem. ut doceret, non debere nos tantū cognoscere proximi ærummas, cū in eas inciderint, sed etiam porrigere eis manus ut ab illis liberentur.

2. Discipuli à Christo rogāvunt, ob quod peccatum homo ille natus fuerit cæcus: solet enim Deus sepe ob peccata hominib. flagella immittere: ut intelligamus nō debere nos conqueri vel admirari, si quando Deus nobis aliquam afflictionem immitat: agnoscimus n. nos esse peccatores & peccatis nostris pœnā promeruisse, sed debemus eam ferre patienter & procurare, ut si velimus à Deo tolli pœnā, nos quoq; illius causam, nempe peccatum tollamus, & ex anima nostra exterminemus, sicut dixit Christus ad paralyticū Vade, & noli amplius peccare, ne tibi deterius alii. Ioann. 5: quid cōtingat.

3. Modus quo Christus curavit cæcum natum, significat modum quo curatur peccator à cœcitate peccati. Tria enim Christus fecit huic cæco. Primò eum respexit. Secundò lutum posuit super eius oculos. Tertio mādavit ei ut se lauaret aqua:

fontis. Sic ad curationem peccatoris tria ferè sunt necessaria. Primò ut à Deo per diuinam gratiam respiciatur, nam homo quidem potest per se labi, sed nõ potest per se auxilio diuino destitutus resurgere. Secundo, ut habeat compunctionem cordis, ex cognitione fœditatis peccatorum profectam, quod designatur luto oculis cæci imposito, Tertiò, ut adiungat puram confessionem peccati, qua peccator apud Sacerdotem lauat animam suam, sicut cæcus se lauat aqua fontis.

4. Cæcus natus illuminatus à Christo licet de hoc factò magna esset inter Iudeos opinionum dissensio, partes Christi constanter cõtra principes Synagoga defendit, docēs & institues nos, ut lingua & opere gratos nos sue diuina Maiestati declaremus, si quando ab eo beneficijs tam corporalibus, quã spiritualibus afficiamur.

5. Cæcus persistens in veritatis confessione defensioneq; Christi, eiectus est à Synagoga ad confusionem nostram: nã ille ut Dei gloriam tueretur flocci pendit cõtènni ab hominibus; nos verò, qui fideles nos profitemur, sape, ne ab hominibus cõtènnamur, audemus contemnere Deum.

6. Cæcus crebrius à Pharisæis iniurijs & maledictis læcessit, ac deinde Synagoga exturbatus, nunquam in tota hac contè-



tione verbum vllum purgandi vel defendendi sui causa effutiuit, sed mox atq; au-  
dijt eos Christo insultare, magno zelo, &  
dicendi libertate eius defensionem susce-  
pit, licet probè sciret, se id cum magno pe-  
riculo facere: ut doceret nos, qui profite-  
mur nos Christianos, non vlciisci, vel etiã  
magni facere iniurias illatas nobis, illa-  
tas verò Deo, nullo modo tolerare aut dis-  
simulare, sed verbis & rebus etiam cum  
discrimine, si opus sit, vita, diuino honorã  
patrocinari.

7. Cacus è templo expulsus est, quod  
Christi nomen & honorem tueretur. ut  
tu intelligas, tibi, à puncto temporis quo  
decreueris seruire Deo, mundum fore con-  
trarium, & homines te persecuturos & à  
se exterminaturos Verùm sicut hic homo  
è templo à Phariseis eiectus, fuit à Chri-  
sto receptus, & factus templum eius, per  
gratiam illi communicatam, sic etiam sus-  
cipiet te, quandoquidem Deus non dese-  
rit suos in persecutione, sed per persecutio-  
nem reddit magis gloriosos.

8. Bis tantum legimus Christum se suo  
ore manifestasse, hoc est, factum esse se esse  
Messiam tantopere expectatum, & verũ  
filium Dei, semel Samaritane cū diceret,  
Ego sum qui loquor tecū. Rursum, huic IOAN. 4.  
sæco, cū ei diceret, se esse filium Dei, in-  
quæra.

quem credere deberet. atq; id fecit Dominus; ut in bona huius peccatricis persona animaret omnes peccatores. se, si cōuertātur et à peccatis desistant, maiore beneficio eos affecturos, quàm unquam affecerit seruos suos etiam carissimos. Deinde fecit ad consolandos in huius miseri cœci persona omnes, qui ob aliquam tribulationem in hoc mundo afflicti sunt, àum vident quanti eos Deus faciat, maiora illis amoris signa quàm alijs multis qui in hac vita honoratiores videntur & feliciores demonstrans.

9. Christus spuit in terram fecitq; lutum ex spuito, ac posuit super oculos cœci, ut intelligeremus, sicut quando immemores vili & misere conditionis nostra, cœci effici-mur, pluris nos ipsos facientes, quàm cōueniat sic nostra superbia & cœcitatatis remedium in eo consistere, ut nunquam abstineamus à consideratione nos esse terram & lutum, & quod in terram resoluendi simus.

DE CHRISTO  
RECEPTO IN  
DOMVM MAR-  
THAE.

*MEDITATIO XII.*  
*EVANGELIVM.*

**I**NTRANTE IESV in quoddá  
castellum, mulier quædam Mar- *Luc. 10.*  
tha nomine excepit illum in do-  
mum suam, & huic erat soror nomi-  
næ Maria, quæ etiam sedens secus pe-  
des Domini, audiebat verbû illius.  
Martha autem satagebat circa fre-  
quens ministerium: quæ stetit & ait:  
Domine, non est tibi curæ quod so-  
ror mea reliquit me solâ ministrare,  
dic ergo illi, vt me adiuet, Et re-  
spondens dixit illi Dominus: Mar-  
tha, Martha, sollicita es, & turbaris  
erga plurima. Porro vnum est ne-  
cessarium. Maria optimam partem  
elegit, quæ non auferetur ab ea.

FI-

## FIGURA.

4. Reg. 4.

**E**LIZEVS hospitio exceptus est in ciuitate Suna à nobili muliere, quæ ut animaduertit prophetam frequenter isthac transire, fecit ei in domo sua cœnaculum paruum, eiq; ministravit diligenter.

## PROPHETIÆ.

Hier. 14.

1. **Q**uare colonus futurus es in terra. et quasi viator declinās ad manēdū?

Cant. 5.

2. Sub umbra illius, quem desiderauerā, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.

Psal. 84.

3. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

## CONSIDERATIONES

Punct 1.

**B**ENIGNISSIMVS IESVS ardens amore procurandæ salutis hominum, postremis vitæ suæ annis, multa & difficilia itinera instituit, nunc per ciuitates transiens, nunc exiguum aliquod castellum, vel villam ingrediens ad prædicandum & annunciandum regnum Dei omni hominum generi:

vt ea re declararet, qua sollicitudine & studio, velut vniuersalis Pastor, æqualiter omnium à se creatorum bonum procuraret, secundum illud Sapientis.

*Magnum & pusillum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus.* Quibus in locis pauper IESVS non habens vnde sibi & discipulis de victu prouideret, cogebatur ab aliorum liberalitate & caritate pendere, nempe piarum religiosarumque quarundam personarum, quæ hospitium & cibum subministrabant illi, qui ineffabili prouidentia sua pascit & sustentat omnes creaturas, & tanquam vigilantissimus

*Sap. 6.*

*Psal. 103.*

*Ch. 146.*

Pastor prouidet tam Angelis & beatis in cælo, quam omnibus uiuentibus in terra pascua abundantissima. **INTRA-UIT ergo IESVS in quoddam castellum** Quid verò aliud est hoc castellum, nisi mundus, qui comparatione immensa & spatiosissimæ illius ciuitatis Paradisi est exiguum castellum, immò vilissima & paupercula casula. Intrauit quoque Unigenitus filius Dei in hoc castellum, nomine Bethaniæ, quasi dicas, domum obedientiæ; quia qui olim erat in forma DEI Dominus absolutus cæli & terræ, ingressus mundum hunc factus homo, alienæ obe-

*Phil. 2.*

obediētiæ amore nostri se submisit. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Vbi o anima mea perpendere potes, quousque dilectus tuus se demisit it& humiliarit; quia ingressus in mundum, voluit se, vt in omnibus alij rebus, ita in hac quoque speciatiim hominibus subijcere, nempe rebus necessarijs indigere, ac tanquam pauper, omniq̄ue ope & opibus destitutus ali, & velut peregrinus hospitio recipi ab illis ipsis, quorum erat Dominus & patronus. Ex alia parte considera, quantum occasionem habeas miserum & abiectum hunc mundum contemnendi, dum intelligis eius paruitatem & angustias, qui hoc loco comparatur exiguo castello. Vade sequitur, illum nunquam posse cor tuum explere: cū enim cor tuum sit capax Dei, nulla re alia saturari poterit, quæ sit minor Deo. O quanto rectius faceres, si ferum terrenarum cupiditate in amorem cœlestium commutata, ardenti desiderio flagrares ascendendi & ingrediendi in magnam illam domum Domini, in immensum illum possessionis tuæ locum: si, inquam, sancto isto amore incensa iter tuum dirigeres in cœlum, vitaque innocente & perfecta, anhelares ad illa æter-

na taberna. ula, ad illam amplitudinem gloriae, ubi inuenire licet, quicquid plenissimè desideria nostra exsaturare potest & explere.

2. *Intrante Iesu in quoddam castellum mulier quadam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria.* Considera quàm felices fuerint hæ duæ mulieres, sorores non tam carne & sanguine, quàm pietate & religione: sicut enim vtraque amore erat coniuncta Christo, sic etiam vtraque magno studio & concordia eidem ministrabat, excipiendo eum in domum, & pascendo, omniaque officia illi deferendo, quæ tali & tanto hospiti deferenda ardens earum caritas dictabat. Verùm Domine Deus, cur non, vt aliàs in deserto post diuturnum quadraginta dierum ieiunium, curâstis ab Angelis de cælo dilapsis tibi parari mensam, & ministrari, ne videreris hominum domo vel cibo indigere? Nimis videlicet magna est *Matth. 4.* clementia & benignitas tua, quod tantum ad honorandas has tuas filias, ad impartiedam eis benedictionem tuam largissimam ministerium Angelicum recusaueris, & illarum assumpseris.

Non aliter egisti olim cum fidelissimo *3. Reg. 19.* seruo tuo Elia, dum cum amandasti ad vidu-

viduam Sareptanam, vt ab illa deinceps  
aleretur, & non amplius à coruo.  
Quod ita à te ordinatum fuit, vt reli-  
giosam illam Viduam, occasione ser-  
uitij & officij ab ea Eliæ præstiti, benedi-  
ceres, & in communi illa sterilitate,  
& miserabili fame adiuuares. O vti-  
nam diuinæ Maiestati tuæ placeret  
nunc inuisibiliter illud ipsum operari  
in me, quod tunc visibiliter operatus  
es in deuotis ancillis tuis, vt nempe di-  
gnâreris ingredi pauperem cordis  
mei casulam, in qua anima mea sit ci-  
bus tuus, potentia verò meæ ceu de-  
uotæ ancillæ stent in conspectu tuo,  
magnaque reuerentia & amore tibi in-  
feruiant, Fateor quidem, non nego hâc  
domum meam tanta maiestate dignâ  
non esse, sed quia tu in distribuendis  
donis tuis & gratijs, non tam respicis  
creaturarum dignitatem, quàm desi-  
derium tuum communicandi te, & fa-  
ciendi bene omnibus etiam peccatori-  
bus, idcirco obsecro te, ô vnice amor  
meus ingredi in hanc pauperem ani-  
mam meam, locupleta illam tua gra-  
tia; & eo modo illam posside, ne vnquâ  
in æternam, nec prosperis rebus, nec  
aduersis, nec vlla alia te mundi huius  
se à suauissima caritate tua separet.



3. CONSIDERA has duas sorores, etsi eodem essent animo & voluntate seruiendi & placendi CHRISTO, in quacunque possent, nihilominus non eundem viuēdi modum tenuisse, non eadem exercitia usurpasse: haud secus quàm membra faciunt in corpore, & potentiaē in anima, quæ licet vnam animam vnumque corpus habeant, varias tamen habent functiones & actiones, quib. homini seruiunt, Cogita ergo imprimis quod exercitium fuerit huius seruentis discipulæ *Psalm. 44.* Magdalena, quæ *sedens secus pedes eius, audiebat verbum illius;* verbum, inquam, dulcissimum, procedens ab eo ore, ab ijs labijs, in quibus diffusa & sparsa erat gratia cœlestis, Vide quomodo non solum à negotijs domesticis, & curis externis, verum etiam à perturbationibus internis cordis, à cogitationibus inutilibus, & desiderijs terrenis aliena fuerit, sedebat, sed tota supra seipsam eleuata, sedebat cum magno silentio, tota ab ore dilecti sui Magistri suspensa. Disceta quoque anima mea à Magdalena, quanta pace & quiete debeas te conspici, tui diuino in oratione sistere, si audire

vocem eius, & secretorum eius cœlestium particeps esse velis: quæ quidem ipse non solet hoc silentio & pace destitutus, curis huius mundi immerfis, ac ijs quorum animi carnalibus & terrenis impliciti sunt desiderijs, communicare: in contemplatione enim Deus requirit animam solitariam, & ab omnibus rebus, atque etiam à semet ipsa remotā: atque ideo bene dixit per os sui Prophetæ. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius* Ducam primo in solitudinem interiorem, vbi à desiderijs & affectu rerum creatarum abstracta, in tranquillissima pace spiritus sedeat, ibique loquar ei ad cor, meam voluntatem manifestando, diuina illustratione eam illuminando, earumque rerum notitiam communicando, qualem nunquam homines carnales & huic mundo dediti consequi possunt. Considera deinde locum, in quo Magdalena resedit, nempe ad pedes Christi, loco ei proprio, & vt ita dicam, naturali, vbi illa quiete æterna cum humilitatis virtute iuncta, quæ non solum utilis est, sed etiam necessaria vitam contemplatiuam sectanti, admirabili voluptate & submissione animi excipit aquas, quas æterna sapientia ferè se-

Solet in mentes humiles & demissas effundere, secundum illud, quod de ea scribitur. *Qui emittit fontes in conuallibus.* *Psalm. 103.*

In conuallibus scilicet cordium humilium, non in montibus mentium elatarum: è quibus fontibus scaturiunt aquæ dulcissimæ compunctionis, compassionis, & deuotionis, quibus animæ consolatione explentur, & fructus perfectæ caritatis producant suauissimos.

4. CONSIDERA anima mea, Magdalenam sedentem ad sanctissimos pedes CHRISTI aures habuisse ad verba dilecti sui attentissimas. cor verò totum amoris teneritudine inflammatum & liquefactum. O foelicissima mulier, ô beata discipula, quæ meruisti tam propè videre, & audire eum, cuius iucundam præsentiam inde ab origine mundi tot Patriarchæ & Reges desiderâ *Matth. 13.* runt, & frui ea non potuerunt. Hic expendere potes, quales fuerint consolationes & delitiæ, quibus anima illa sancta interius affluebat, quomodo cor suum nimia amoris suauitate & vehementia paulatim absumebat & conficiebat, dum tota intenta & rapta in contemplatione diuini vultus, in quem desiderant Angeli prospicere, vacat dulcissimis dilecti sui IESU sermo *5. Pet. 1.*

nibus audiendis . Si sponsa dixit de se:

*Cant. 5.*

*Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est, quanto potius dicere idem potuit Magdalena, quæ meruit audire, non vnum tantum verbum, sed tam prolixum sermonem dilecti supra omnes dilectos: & quàm verè illa quoq;*

*Cant. 5.*

*potuit tunc dicere: Sub umbra illius, quæ desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Verè enim tu sedebas, & suauiter sub umbra protectionis fauorisque amabilissimi tui sponsi IESU quiescebas: fructus verò doctrinæ & instructionis eius, quàm tibi erat dulcis & iucundus? Hic verè te videor mihi ita loquētem audire: Sedeant, per me licet,*

*Gen. 2.*

*homines carnales, delitiisque & vanitatibus huius mundi inscelicis dediti in umbra mortis, vel cum in fausto Adamo iuxta vetitam arborem, colligant fructum, quem venenosæ carnis, mundi, & diaboli suggestiones carpendum suadent: sectentur voluptates, honores ambient, venentur opes: ego quidem quæ iam dudum umbram mortis & æternæ damnationis discrimen euasi, & Domini mei beneficio sum in tam admirabile lumen translata, tantummodo sedebo, & requiescam in umbra mei IESU, solisque eius sanctis ad-*  
mo-

monitionibus & doctrina, quasi suavis-  
simo fructu, melle & fauo dulciore  
pascam animam meam. Agite animæ  
Christianæ ad cœlum conditæ, & san-  
guine filij Dei redemptæ, cur hoc Mag-  
dalenæ exemplo, tam humiliter ad pe-  
des CHRISTI, post mundum, o-  
mnesque eius illecebras repudiatas as-  
sidentis, non commouemini? Cur non  
aperitis oculos vestros, vt miserabilem  
statum, in quo versamini, videatis,  
dum vecordes, omni salutis cura ab-  
iecta, totos vos immergitis maris hu-  
ius mundi imposturis? Dicite quæ so-  
tantis laboribus, curis & sollicitudi-  
nibus quid lucramini? quid queritis? an  
aliud expectatis, quàm vt opes aliquas  
congeratis, honores & dignitates con-  
sequamini? & totum hoc quàm breue  
est, quàm fragile, quàm periculis plenum?  
quantis sudoribus & periculis acquiri-  
tis grauius periculum, quot ærumnis  
& angoribus accersitis æternam dam-  
nationem? O quanto melius esset con-  
siliū vestrū si decerneretis in melius  
vitam commutare, & calcato mundo,  
eiusque vanis promissis, inutiles vestros  
sudores mutaretis in labores magis uti-  
les & securos, quibus animæ salutem, &  
veteræ æternæ vitæ gloriam, solis Christi

amatoribus, virtutumque sectatoribus  
in caelo paratam, consequeremini.

2. **POST** consideratum exercitium  
Magdalenæ, conuerte mentem ad con-  
templationem actionum Marthæ, spe-  
culi nimirum, & exemplaris eorum,  
qui profitentur vitam actiuam: quæ  
tota occupata erat in parandis ijs rebus,  
quæ necessarię erant ad excipiendum,  
& honorandum Dominum, itaque  
sollicita omnino nunchuc, nunc illuc  
discurrebat, tum vrgendo anillas, tum  
suis quoque manibus cibos, aliaque ad  
victum opportuna procurando. Quo  
officio aperte declarauit, licet alia ratio-  
ne & modo, quàm soror, quanto a-  
more ipsa quoque, & reuerentia IESVM  
prosequeretur, cuius amore ia  
illo genere laboris tota distenta & occu-  
pata erat. Martha stabat, & erat tota  
sollicita, quemadmodū CHRISTVM  
pascere posset cibo corporali: Maria  
verò sedebat, & tota intenta erat vt à  
Christo pasceretur cibo spirituali. Qua-  
re eadem caritas erga IESVM, quæ Ma-  
gdalenam fortibus, amoreque plenis la-  
queis ad pedes Christi alligatam tene-  
bat, nec illam ab eo diuelli sinebat, effi-  
ciebat, vt Martha Christum relinque-  
ret, & ab eo se dimoueret, ad commo-  
dius

dius ei seruiendum & ministrandum.  
 Vnde natum est, vt cum ipsa ex vna par-  
 te non putaret se solam sufficientem ad  
 præstandum CHRISTO ministerium  
 corporale, ex altera verò reputaret rem  
 dignissimam, si, quoad fieri posset, et-  
 iam totus mundus illi sua officia defer-  
 ret, liberè & reuerenter illi suas quere-  
 las exposuerit, dicens: *Dominus, non est ti-  
 bi cura, quod soror mea reliquit me solam  
 ministrare, dic ergo illi, vt me adiuret.* O  
 Martha, bene his verbis ostendisti fi-  
 dem tuam adhuc fuisse imperfectam,  
 nec satis te cognouisse, quem exceperis  
 hospitem: nam cibi, quibus ille impri-  
 mis delectatur, non erant, quas tu illi  
 paraasti, sed corda hominum, & salus a-  
 nimarum erat verus cibus, quibus no-  
 bilis ille Dominus afficiebatur; quod si  
 tu cognouisses, non tam studiosè auxi-  
 lium sororis implorasses, sed potius i-  
 ipsa quoque omnibus relictis vnà cum  
 illa, ad pedes CHRISTI te adiunxis-  
 ses, & salutarem doctrinam percepisses.  
 Quanquam ex alia parte bona Mar-  
 tha non vituperatione, sed laude digna  
 est; cum illud non dixerit propter se,  
 quasi fastidio aliquo affecta esset in of-  
 ficijs istis corporalibus deferendis, vel  
 quod labor illi esset molestus, aut quod

ad quietem anhelaret, sed propter Christum, ut quo plures omni obsequio illi præstando incumbere, tanto maior honor illi ab omnibus deferretur. Non ita faciunt filij hominum, qui dum in mundi huius palatijs seruiunt Dominis & Principibus, societatem omnem respuunt, & grauatur ferunt, si quis in labore socius esse velit, ne amorem & gratiam apud Dominum forte præripiat. Qua in re tantum proprium quærunt commodum; ideo enim soli officijs fungi volunt, ut soli quæstum inde faciant, nec admodum curant beneue an malè Principi seruiatur. Contra serui Dei, qui amore priorum commodorum, & commoditatum se exuerunt, nec quærunt, ut loquitur Apostolus, *qua sua sunt, sed qua IESV CHRISTI*, gaudent & exultant, quando vident multos secum diuino seruitio addictos. Tu igitur anima mea, vade, & operam tuam offer Marthæ, cupidè expectanti multas cooperatrices in CHRISTI seruitio, roga illam, ut te velit in numerum suarum ancillarum recipere, ut cum socia fueris laborum, digna quoque efficiaris mercede, quam ipse Dominus promissit omnibus sibi ministrantibus, quando dixit: Si quis mihi

*Phil. 2.*

*Joan. 12.*

mi-



ministraverit, honorificabit eum pater meus qui in caelis est.

6. AT quid hic ages ô clementissime Redemptor noster? ane patieris Magdalenam vacare corporalibus exercitijs, desertis spiritualibus? tolerabifne ô sponse dilectæ animæ eius, vt quasi importunè sororis clamore excitata placidissimum contemplationis somnum negligat, & det operam necessitatibus carnis? Tu, inquam, qui velut custos amantissimus animæ tibi deuotæ summa caritate & beneuolentia aduigilas, ne à quoquam turbetur aut molestetur? Et ideo efficacissimis illis verbis adiuras filias Hierusalem, dicens, *Adiuro vos filia Hierusalem per ca-* Cant. 3.  
*preas cernosq; camporum, vt non excite-*  
*tis, neq; euigilare faciatis dilectam, do-*  
*nec ipsa velit.* Patierisne ô vnica spes eius, vt illa se separet à te ad parandos cibos corporales, quæ pedibus tuis aduoluta paratum offert cor suum, vt eiberis illo, tacitè dicens, *Paratû cor meû Deus,* Psal. 56.  
*paratum cor meum,* vt pro libito tuo possis illo te reficere? Ex alia verò parte, num Martham cõsolatione destitutam à tuo conspectu remouebis? quæ tanta promptitudine & caritate in domo sua tibi hospitium obtulit? an nõ facies

fatis eius precibus, concedendo illi auxilium sororis? ut ipsa sit contenta & omnia officia caritatis plenius tibi præstentur? Sed ô sapientia æterna Patris, ô ardentissime amator salutis potius nostræ, quàm utilitatis tuæ; quo usque Martha moderata quadam tibi ministrandi cura vsa est, nihil illi dixisti: sed quando ex nimia rerum externarum cura & sollicitudine, non solum ipsa turbata est, verum etiam conata est, licet prætextu pietatis, sororem abstrahere à re maioris momenti, hoc est, à cura interna animæ, & vnione cum DEO; tunc, suauiter eam in signum amoris bis suo nomine compellans, benignè cortexisti, dicens: *Martha, Martha sollicita es & turbaris erga plurima, Porro vnum est necessarium.* hoc est, inter res multas, de quibus tu sollicita es, præcipua est cura animæ propriæ, & auxilium eius spirituale. Quid verò mi Domine, ad hæc verba dicent, aut respondebunt illi, qui mille modis & artibus à Dæmone excogitatis, impediūt filios suos vel alios, ne relictis huius sæculi curis, se dedant seruitio diuino? tu siquidem reprehendisti Martham, quæ non terrenis argumentis, ut illi, sed amore & desiderio tibi seruiendi mota.

Mag-

Magdalenam retrahere voluit ab auditione sermonis tui. Quam excusationem ergo proferent, qui se ita occupant cogitandis rebus fluxis & caducis, quærendis, augendis, & conseruandis, vt prorsus obliuiscantur animæ suæ, nec quicquam cogitent de altera vita, vel æterna sua salute. O stulti & amentes filij hominum, eoquæ miseriores, quo minus periculofam istam miseriam vestram agnoscitis. Quis ita offuscavit & excecavit intellectum vestrum, vt omni cura & sollicitudine in res externas translata, deseratis vos ipsos, & vnicum ac verum bonum vestrum obliuiscamini? Eheu, cur vos ipsos, cur animam vestram tam vili, tam abiecto loco habere pergitis, pro qua Filius DEI vitam suam deposuit, quam sanguinis sui pretio mercatus est? Certè non deberet à vobis tam parui æstimari, quin, cum tantos labores impendatis coaceruandis rebus temporalibus, saltem particulam aliquam laborum daretis comparandæ æternæ salutis.

7. *MARIA optimam partem elegit, quam non auferetur ab ea.* Hic considerare poteris, quomodo Maria quasi ex dulci somno suæ contemplationis cla-

moribus & querelis sororis suæ excita-  
 ta, timere incipiat ne Dominus sibi im-  
 peret, vt sororem adiuuet, atque ita tan-  
 ta sua consolatione priuetur. Vnde to-  
 ta mœsta vultu in terram defixo, tacuit,  
 Christoque tanquam iudici causam  
 suam commisit: Sed quando audiuit  
 dilectum suum tam benignè loqui pro  
 se, ac non solum defendere, sed etiam  
 laudare & præferre suum deuotum ex-  
 ercitiū, officio sororis, ô quàm cito  
 omnis mœror à mente eius recessit quā-  
 tum gaudium sensit in corde suo? Vbi  
 cogitare potes illam totam lætam ocu-  
 lis in dilectum Magistrum suum sub-  
 latis, si non ore, saltem corde, tanto  
 maiores illi pro hoc beneficio gratias  
 egisse, quanto se illo indigniorem re-  
 putabat. Cœterum bone IESV, cur  
 ais Mariam meliorem partem elegis-  
 se, atque si sollicitudo tibi ministran-  
 di in Martha non fuisset bona, vel cer-  
 tē non æquè grata, ac otium in Maria?  
 Sed sapientissimus IESVS non vo-  
 luit reprehendere occupationem tam  
 sanctam & necessariam Marthæ, in  
 qua præfigurabatur vita actiua, sed  
 tantum duo illa officia discernere, &  
 vtriusque vitæ conditionem & pro-  
 prietatem exponere. Nam licet vtrius-  
 que

que obiectum, & finis vnus idemque sit, de quo dixit CHRISTVS, *Porro vnum est necessarium*, qui est, amor diuinus, & vnio quæ per huncipsum amorem fit in anima cum Deo; nihilominus aliqui hoc amore permouentur ad coercendum se in varijs operibus, vel pœnitentiæ, vel abnegationis sui, vel charitatis tam corporalis quàm spiritualis in proximos. Quæ opera ad vitam actiuam pertinentia, etsi bona & necessaria, & magni meriti sint apud DEVM, tamen propter multitudinem, varietatemque humanarum necessitatum, circa quas hæc vita distinctur, fit, vt sint laboriosa, & curarum plena, ac multas occasiones præbeant perturbationum, Ex alia parte, alij diuinæ bonitatis rerumque cœlestium consideratione allecti, totos se dedunt meditationibus pijs, & contemplationibus, vt se magis Deo vniant, in eiusque amore sancto inflammētur. Quod exercitium vitæ contemplatiuæ proprium, multò maioris est excellētiæ & dignitatis; tum quia magis immediatè respicit suum finem, & adhaeret ei, qui est Deus super omnia dilectus; tum quia hac ratione & modo creatura proprius accedit ad patriæ cœlestis

beatitudinem, similiorque Angelis: redditur. cuius hoc officium vnum est, defigere oculos in illam immensam diuinitatis lucem, eaque in æternum per continuam contemplationem perfrui cum summa voluptate & pace. Denique etiam, quia ratio huius vitæ est stabilior durabiliorque, quàm acti- uæ, quæ morte finitur: hæc enim in hac vita inchoata, in altera suam tandem consequitur perfectionem. Idcirco bene dixit Dominus; Mariam optimam partem elegisse, nunquam ei auferendam. Ignis enim ille diuini amoris, & lux illa imperfecta quam de Deo, cœlestibusque rebus habemus in hæc vita, postea, cum dilectum nostrum in cœlo à facie ad faciem contemplabimur, mirabiliter crescet, & implebitur, sicut de eo scriptum est, *Cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem.* Ardet nimirum ignis charitatis in Sion monte sancto, id est, in animis à terra per contemplationem in altum sublatis: sed fornax eius, in qua diuini amoris ignis vehementer accenditur, in cœlesti Hierusalem reperitur. Rectè ergo faciunt, qui amore CHRISTI vnà cum Martha occupant se vitæ acti- uæ officijs; sed rectius illi, qui re-  
ic-

iectis omnibus curis terrenis à tumultibus mundi se abstraxerunt, & in summa pace mentis constituti, se ele- *Thre. 3i.*  
 uant supra se, & occupant in rerum cœlestium contemplatione. At beatissimi sunt, longeq; meliorem, imò verè optimam partem elegerunt illi, qui ita vtramque vitam actiuam & cõtemplatiuam copulant, vt vbi sanctis meditationibus, & contemplationibus ad suum profectum spirituale vacauerint, non omittant quoque auxilium aliquod spirituale conferre in proximos: eaque via & ratione cum proximis agunt & conuersantur, vt interim sancta contemplatiuæ vitæ exercitia non negligant. Nam ille ipse amor Dei, quo per contemplationem accenduntur, mouet eos ad cooperandum suæ diuinæ Maiestati in salutem animarum; pro quibus DEVS ipse sanguinẽ profudit, vt eas è seruitute dæmonis liberaret. Quare quo hæc vita vicinior & similior est vitæ CHRISTI Domini nostri, & Apostolorum suorum sanctorum, hoc perfectior & præstantior est, alijsque omnibus, merito præferatur. Felix Magdalena, quæ elegisti partem tanto meliorem, quanto deterior erat vita, quã antea duxeras: & quanto

360 **MEDITAT. DE VITA**  
profundius per vitia eras depressa in  
terram, tanto altius per contemplatio-  
nem euecta es in cœlum, & ultimo fœ-  
licissimoque fini, qui est Deus Domi-  
nus noster, appropinquasti.

**8. CONTEMPLARE** nunc ô  
anima mea aliud quoddam castellum  
nobilius digniusque, in quod intrauit  
**CHRISTVS** suo primo in mun-  
dum ingressu, quando infinitum il-  
lud & æternum verbum relicta cœli  
amplitudine se abbreviauit, & intra  
angustum humilis virgunculæ vte-  
rum se inclusit. Castellum verè humile  
in oculis hominum, sed admodum sub-  
lime & eleuatum supra altitudines  
Cherubin & Seraphin in oculis Dei.  
Castellum etiam secundum conditio-  
nem sexus satis infirmum, sed per assi-  
stentiam Spiritus sancti, & virtutem  
Altissimi forte & inuictum. Castellum  
pro humanæ naturæ conditione in-  
ops & pauperulum, sed plenitudine  
gratiæ omniumque virtutum & dono-  
rum cœlestium ditissimum. Castel-  
lum denique secundum speciem ex-  
ternam paruum & angustum, sed sin-  
gulari magnanimitate cordis, & latitu-  
dine caritatis valde amplum & spatio-  
sum. Erat igitur beata virgo castellum,

in-



in cuius domum purissimam receptus est Filius Dei. Fundamentum huius castelli fuit solidissima eius fides: muri quibus cingebatur, virginalis castitas: antemurale quo defendebatur, inuicta patientia; altitudo tecti, quo operiebatur, sublimis eius & perfecta charitas: foueæ quæ illud circumdabant, profunda humilitas, valla & munitiones, eius in expugnabilis fortitudo; porta, rara & singularis iustitia, per quam patebat aditus ad confiderandum mirabilia, quæ Dominus in hoc cœlesti castello erat operatus, Martha hospitio excepit Dominum in domum suam paucis vicibus, at benedicta eius mater excepit eum in suum vterum virginalē, & nouem continuis mensibus detinuit: deinde verò in corde suo multo dignius illi parauit hospitium, in quo dilectus filius eius semper, & continenter permanfit. Amabat CHRISTVS Martham & Magdalena ob ingentem earum erga se amorem & deuotionē, & ideo libenter se recipiebat in ædes earum: sed multo plus amauit matrem suam, in qua non solum illæ virtutes, sed omnium sanctorum virtutes eminentius existebant. In illo castello erant duæ illæ sorores

Martha & Magdalena, quæ ministrabant Domino: similiter in hoc B. Virginis eadem erant sorores; hoc est, vita actiua & contemplatiua: Nam hæc beata mater diuturno tempore se exercuit seruiendo filio suo in officijs Marthæ, sed sine turbatione, imò cum multa sua consolatione, atque etiam tanto maiori amore & studio, quanto plus quam Martha intelligebat nobilitatem & excellentiam eius, cui seruebat, sciens nimirum eum simul esse Deum & filium. Cogita verò nunc anima mea qua reuerentia hæc beata Mater Christum nouem mensibus in virgineo suo thalamo deporauit: qua amoris dulcedine natum in brachia sua suscepit, vilibus pannis inuoluerit, quo sensu animi lactauit, & castissimo pectore tuo astrinxerit. Quam sollicita fuerit in fuga cum ipso suscepta in Ægyptum, ne in crudelissimi Herodis manus incideret. Ac denique quomodo eum in puerili ætate educarit & enutrierit, quomodo ei seruerit, & continuo cum eo permanserit vsque ad annum ætatis trigessimum. Verum non tantum in officio Marthæ hæc sacratissima virgo se occupauit, sed adiunxit ei quoque officium Magdalene

*Luc. 2:*

*Matth. 2:*

lenæ modo quodam magis sublimi, & perfectio. O mater sanctissima, quanta voluptate profundebare, cum omnibus rerum terrenarum cogitationibus abiectis, & benedicto filio tuo assidens gratiosa & desiderabilis illius faciei conspectu fruerere, & verba illa vitæ æternæ ex diuino ore prodeuntia audires? O quam diligenter crebra quadam & pia consideratione illa perpendebas, & in cordis tui secreto recondebas & conseruabas. Denique qui amoris igniculi, quæ materia sublimium contemplationum poterat vnquam deesse illi, quæ ante oculos semper habebat diuinum illum & ardentissimum ignem, qui in cælo inflammat Seraphinos, & delapsus in terram suo ardore accendit & attrahit corda omnium hominum?

#### COLLOQVIUM.

**O**RABIS Christum Dominum, vt sicut amore nostri assumere voluit carnem nostram, vt diuinam naturam cum humana vniret, sic etiam in te indignum peccatorem suæ misericordiæ viscera aperire velit & per intercessionem ac merita illius Marthæ, quæ illum recepit hospitio in vterum suum virginalem, & illius Mariæ, quæ

tanto

tanto studio illius verba conseruauit, conferendo ea in corde suo, hoc est, suæ sanctissimæ matris, dignetur per infusionem gratiæ, venire in mentem tuam, ne vllam aliam rem extra eum ames, nō cogites: non quæras: solus ipse sit tua spes, solūm assidere ad pedes eius, & suauissima verba audire, sit tuum desiderium, eo quod, vt scriptum est; vox eius, vox dulcis, & verba eius, verba vitæ æternæ.

*Cant. 2.*

*v. 6.*

### DOCUMENTA.

1. **C**hristus in domum Martha receptus, nō fuit otiosus, sed locutus est verba vitæ æternæ, dans exemplum suis discipulis, eorumq; successoribus, & religiosis, vt, quando à pijs hominibus in domum recipiuntur, illos vicissim pascāt cœlesti doctrinæ, & sanctis instructionibus.

2. *Magdalena sedebat ad pedes Domini, audiēs verba illius. Quo anima humiliter sedet, per humilem sui ipsius existimationē, hoc diuinarū visitationū & instructionū capacior est: nam aqua nō subsistunt in altis montibus, hoc est, in superbiorum cordibus, sed delabuntur in valles profundas, hoc est, corda humilium*

*Psal. 103.*

3. *Martha occupata in cibo pro Christo*

*parauit.*

parando, accusat Magdalenam tãquam otiosam, cum ab ore Christi panderet. Sic solēt facere quidam pij homines in mūdo, qui vacantes exercitijs vita actiua, ut iuuantis per opera caritatis proximis; quia nunquam contemplationis dulcedinē degustarunt reprehendant eos qui seruiunt Deo in religione; existimantq; eos, quia externos labores, non habent, degere in otio: atq; ideo omnes debere facere, quod i se faciunt, utpote magis necessariū mūdo. & gratius Deo.

4. Maria tribus modis fuit accusata. Primò à Pharisæo temeritatis, quod existens peccatrix auderet Christum attingere. *Luc. 7.* Secundo à Iuda prodigalitate, quod pretiosum illud unguentum in caput CHRISTI & pedes effuderit. Tertiò, à *Ioan. 12.* sorore, de otio, nempe in hoc Euangelio. Sed semper Maria patienter tacuit, Christus autem eam purgavit & defendit. Sic hoc tempore in saculo ij, qui agnoscentes se peccatores, & diuina gratia egere, recurrunt ad CHRISTVM, ac sacramenta frequentant, ab hominibus mundanis videntur, & pro temerarijs habentur: quiq; conantur peccata sua elemosinis redimere, & liberales sunt in pauperes, mundo existimantur prodigi, & dilapidatores sua hereditatis. Simi-  
litor

liter, qui abdicato mundo, mundanisquē negotijs ad saluandum animas suas amplectuntur quietem religionis, à mūdo arguūtur tanquā otiosi & inutiles Verū omnes hi nihili facere debēt dicta & iudicia huius mundi, quia Christum habent aduocatum & defensorem.

5. In domo, qua exceptus est Christus nō legimus quemquam fuisse prater Marthā & Mariam, ad significandum, neminem in hoc mundo dignum esse recipere Christum per gratiam, & similiter in altero posse domum Dei ingredi, hoc est, patriā celestem, per gloriam, nisi qui alterutrius harum fœminarum vitam imitatus fuerit, hoc est, vel exercuerit se in vita actiua, iuuādo proximos in anima vel corpore caritatis & pietatis Christiana operibus, vel certè in contemplatiua, seruiēdo Deo in sanctis contemplationibus et orationibus.


6. Christus non reprehēdit ministerium Marthe, vspote bonum & piū, quia pro Christo & amore CHRISTI laborabat, & turbabatur, sed reprehensione digni sunt, qui profitentur quidem se in suis ministerijs, docēdo, predicādo aliāq; officia erga proximos exercendo, imitari Martam, sed id faciunt intentione per-

uersa.

uersa, dū in suis laborib potius quarūt seipsos, quam Christum, & magis se fatigāt ob temporalia commoda, quā propter remunerationem coelestem.

7. De Martha tantū dicit Euangeliū, quod Christum exceperit in domum suā; De Magdalena autem non dicitur, quod domum habuerit. Quo indicatur, eos qui seruitio Christi: per vitam contemplatiuā se dedicāt, a spernari delere omnes huius mundi possessiones, & depositis omnib curis & sollicitudinibus terrenis dedere se lectiōni & cōtemplationi rerum diuinarum, ac frequenti compunctiōni; tam pro peccatorum remissione, quā pro aeternae uitae desiderio. Tales fuerunt Prophetae, tales Apostoli, tales alij multi, qui relictis omnibus, & mundo deserto, adhaerūt Christo, quos Scriptura appellat, nihil habentes & omnia possidentes.

DE



DE ADOLE-  
SCENTE, QUI A  
CHRISTO PETIVIT,  
QVIV FACIENDO SAL-  
VVS FIERI POS-  
SIT.

MEDITATIO XIII.

EVANGELIVM.

*Matth. 19.*

*Mar. 10.*

*Luc. 18.*

CVM egressus esset IESVS in  
viam, ecce accedens quidam Prin-  
ceps genu flexo ante eum ro-  
gabat eum dicens. Magister bone,  
quid faciens vitam æternam possi-  
debo? Iesus autem dixit illi. Quid  
me dicis bonum? Nemo bonus, nisi  
solus Deus. Si autem vis ad vitam  
æternam ingredi, serua mandata.  
Dicit illi. Quæ? Iesus autem dixit.  
Mandata nosti? Non homicidium fa-  
cies, non adulterabis, non facies fur-  
tum, nõ falsum testimonium dices,  
ne



ne fraudem feceris. Honora patrē tuum & matrem tuam. Diliges proximum tuum sicut teipsum. At adolescens respondens ait illi: Hęc omnia custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest? Quo audito Iesus intuitus eum dilexit eum, & ait illi. Adhuc vnum tibi deest; Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quę habes, & da pauperib. & habebis thesaurū in cœlo, & veni sequere me. His ille auditis abiit tristis, erat. n. habens multas possessiones. Videns autem Iesus illū tristē factum, dixit discipulis suis. Quam difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt? Discipuli autem obstupescabant in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis. Filioli, quam difficilè est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Et iterum dico vobis. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem introire in regnum Dei. Auditis autem his, discipuli mirabātur valdè, & dixerunt: Quis ergo

370 MEDITAT. DE VITA  
 ergo poterit saluus esse? Aspiciens  
 autē illos Iesus ait: Apud homines  
 hoc impossibile est, sed non apud  
 Deum. Tunc respondens Petrus cœ-  
 pit ei dicere. Ecce nos dimisimus  
 omnia, & secuti sumus te, quid ergo  
 erit nobis? Iesus autem respondens  
 dixit illis. Amen dico vobis, quod  
 vos qui secuti es me, in regeneratio-  
 ne cū sederit filius hominis in sede  
 maiestatis suę, sedebitis & vos super  
 sedes duodecim, iudicantes duode-  
 cim tribus Israhel. Et omnis qui re-  
 liquerit domum, vel fratres, aut so-  
 rores, aut patrem, aut matrem, aut  
 vxorē, aut filios, aut agros propter  
 me & propter regnum Dei, centu-  
 plum accipiet in tempore hoc, & in  
 sæculo futuro vitam æternam.

P R O P H E T I Æ.

- Psal. 118.* 1. **I**N quo corrigit adolescentior viam  
 suam, in custodiendo sermones tuos.
- Dent. 33.* 2. **Q**ui dixit patri suo et matri sue, nescio  
 vos, & fratribus suis, ignoro illos, & ne-  
 scierunt filios suos, hi custodierunt eloquiū  
 tuum, & pactum tuum seruauerunt.

3. Si diues fueris, non eris immunus à *Eccl. 10.*  
delicto.
4. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia Psalm 112.*  
eius manet in saeculum saeculi, cornu eius  
exaltabitur in gloria.
5. *Mitte panem tuum super transcentes a- Eccl. 17.*  
quas; quia post tempus multa inuenies illi.

## CONSIDERATIONES.

**C**ONSIDERA pulchrum, my- *Punct. 1.*  
steriorumque plenum dialogum  
habitum inter hunc adolescentem &  
Iesum, populū Iudaicum in hoc diuite  
& imperfecto adolescēte p̄figuratum,  
& Christum cælestē eius Magistrū, qui  
in mundū venerat, ut eū illuminaret, &  
perfectā salutis viā doceret. Verē popu-  
lus Iudaic⁹ erat adolescēs; nō ætate, sed  
iuuēnilē leuitate. Erat immatū⁹ nō an-  
nis, sed moribus, & ut iuuenes solēt na-  
tura sua esse glotiosi & superbi, sic popu-  
lus hic contēptis omnibus alijs nationi-  
bus gloriabatur de suis cæremonijs, fi-  
gura & specie tantum externa conten-  
tus, repudiato fructu internæ sanitatis,  
sicut de eo dixit Dominus. *Omnia ope Matth. 23.*  
*ra sua faciūt, ut videātur ab hominib.*  
Erat quoq; hic populus valde diues, ob  
magnificentiam & opes templi, ob sa-

crificiorum multitudinem, ob copiam sacerdotum, ob abundantiam omnium bonorum huius mundi. Adhæc sicut hic iuuenis valde erat addictus huius mundi opibus, & ideo consilia Christi amplecti, eumque sequi recusavit: sic populus Hebræus toto corde deditus erat bonis temporalibus conquirendis, sic ut metu excidendi regno terreno, exciderit cœlesti, nolens recipere Christum, eiusque legem sanctam amplecti. Itaque adolescens hic, ut apparet, desiderio salutis suæ tactus, humiliter adiit Christum eumque rogavit, quid facto opus esset ad obtinendam vitam æternam. Beatus prorsus esses ô bone adolescens, si quemadmodum bona voluntate motus es ad hoc rogandum, ita eadem consilium cœlestis Magistri amplexus esses. Verum quid sibi vult dulcis IESU, quod à iuvene illo magister bonus appellatus, videaris grauatè tulisse, eique respondes, solum Deum esse bonum, cum tamen tu, uti æqualis es Patri in diuinitate, ita sis quoque in bonitate, & alibi dixeris, *Ego sum Pastor bonus*. Sed fecit id Dominus mirabili prudentia. Primo, quia non probat laudes eorum, qui se labijs tantum honorant, corde autem longè absunt, velut hic adolescens,

*Iean. 10.*

*Esa. 29.*

*Matth. 15.*

qui

qui licet illum appellaret Magistrum bonum, tamen corde non erat paratus ad perficiendam eius doctrinam. Secundo, ut Iudæorum calumnijs occurreret ne videlicet criminarentur eum sibi arrogare laudem & epitheta Dei propria. Tertio, quia hic adolescens existimabat eum alijs hominibus similem fuisse. Itaque Christus illi in hunc modum videtur voluisse respondere: Cùm tu arbitreris me putum hominem esse, quid est quod me bonum appelles, cum esse bonum sit solius Dei proprium. De hominibus autem scriptum est. *Omnis homo mendax.* Si autem corde credis me bonum esse, simul crede & cōfiteri me esse Deū. Deinde ita Dominus respondit, ut doceret hunc adolescentem, quem sciebat bonis temporalibus admodum deditū, veram bonitatem non inueniri in vlla re huius mundi, sed in solo Deo, qui essentialiter bonus est, & omnium aliorum bonorum fons, ut cognito, inciperet cor suum abducere à terra, & attollere ad desiderium thesaurorum cœlestium, atq; ita pararet se ad complectendam perfectionem Evangelicam, quam paulò post illi erat propositurus.

2. CHRISTVS respōdit adolescenti,

*Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*  
 Primo Dominus ab eo exegerat fidem. quando dixit. Cur me vocas bonum? nemo bonus est nisi solus DEVS; nunc autē exigit opera, vt indicet; non sufficere fidem ad salutem ad vitam æternam, sed necessaria præterea esse opera. Hic autem vide, quomodo benignissimus IESVS re ipsa se demonstrat non bonum solū, sed optimum Magistrum. Nam magna clemētia se accommodans huic imbecillo adolescenti, respondet, eumque instruit non solū generatim, quid facere debeat pro consequenda salute, verumetiam demittit se ad enumerationem singulorum præceptorum, quorum obseruatione facile ad vitam æternam peruenire possit. Vbi vide quanta prudentia Saluator, à iuvene illo adhuc imperfecto in spiritu interrogatus, non ei proponat, aut ardua quædam documenta, & maioris perfectionis, aut etiam præcepta primæ tabulæ, quæ consistunt in diligēdo Deo super omnia, sed tantum præcepta secundæ tabulæ, quæ consistunt in dilectione proximi, vtpote media faciliora, & hominibus magis accommodata, quorum obseruatione facilius ascenditur ad dilectionem Dei. Qui enim  
 per-

*Deut. 6.*

*Matth 23.*

perfectè diligit proximum, facile conuincitur etiam diligere DEVM. Vbi considera Saluatorem cupidum nostri profectus amplioris, & salutis in persona huius adolescentis, duo media proponere cōsequendę salutis, Vnum commune & ordinarium, obseruationem scilicet diuinorum mandatorum: alterum nobilius & excellentius, vt viam Evangelicorum consiliorum, dicens. Si vis vitam ingredi, id est, si tantum desiderio tenearis perueniendi ad cœlum & salutem æternam, serua mandata: si autem vis thesaurum obtinere in cœlo, id est, si vis magnus esse, & excellens in regno cœlorum, amplectere paupertatem Evangelicam, & sequere virtutum mearum exemplum. O stulti filij hominum; ò corda nostra, non iam recta, vt in corpore humano sunt collocata, hoc est, vt pars latior sursum, angustior deorsum vergat, sed potius inuersa & peruersa, quandoquidem tantam curam & studium ponimus in acquirendis dignitatibus temporalibus, & tanta cupiditate conamur potentiã nostram dilatare in terra, accumulando opes opibus, possessiones possessionibus, idque quam diu vita nostra perdurat: quæ si prorogaretur longius,

plus etiam locupletari vellemus; tantum, ut tres dies opinionem nostram beati & felices in hoc mundo viuere possimus. Quam multi quoque sunt, qui, ut editum habeant ad principis alicuius familiam, eiusque amicitiam concilient, omnibus viribus omnia media possibilia & impossibilia tentant, idque ut instar mancipiorum per omnem vitam laborent & seruiant, ac denique forte moriantur in aliquo xenodochio. Contra verò ad comparandam amicitiam diuinam, ad obtinenda bona æterna, veramque sclicitatem & gloriã, quæ nullum habebit finem, vix manû ad paucula quædam bona opera extendimus. Heu quam largi & liberales sumus in quæstu rerum terrenarum faciendo, contra quam stricti & contracti in quæstu cælestium? Volumus habere multa, & esse magni in terra, quam deserere debemus: & non potius curamus paucis esse contenti & ultimi esse in cœlo, vbi in æternum permanebimus.

3. **CONSIDERA**, quomodo adolescentem illo respondente, se à iuuentute sua omnia mandata custodisse, **IESVS**, ut habet Euangelium, intuitus eum, signa amoris erga eum declarauit.



uit. Amatam autem cum fuisse à Domino inde liquet, quod mandata ad illud vsque tempus custodierat, & simul gratiam ea custodiendi ab eo acceperat. Quare & nunc cupidus promouendi eum ad maiorem gratiam & perfectionem, dixit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes, & da pauperibus, &c.* Vbi aduerte, Distribuere facultates omnes in pauperes, non esse necessarium homini ad salutem, sed tantum esse necessarium ad consequendam perfectionem: vt homo possit maiori certitudine & securitate peruenire ad salutem, & copiosiore remunerationem obtinere in cœlo. Itaque in hunc modum DOMINVS visus est respondere adolescenti. Satis quidem est ad vitam æternam quod tu fecisti: si tamen, vt certè tu desiderare videris, vis de tua salute esse securior, & vt nihil tibi desit, exue te omnino bonis tuis, tuasque opes per manus pauperum in cœlestes thesauros transfer, vt ijs in altera vita in æternum perficere possis. Vbi sciendum est, tria iuueniri genera perfectionis. Prima est absoluta & consummata, quando nihil deest virtuti aut fœlicitati

ti propriæ, & ad hanc homines in hæc  
 vita peruenire nequeunt. Secunda est,  
 cui nihil deest rerum necessariarum ad  
 vitam æternam; & hanc habent omnes  
 Christiani, obseruantes mandata Dei,  
 & in caritate existentes. Tertia est, cui  
 non solum nihil deest necessarium ad  
 salutem, sed etiam habet aliquas virtu-  
 tes amplius; & est eorum, qui non so-  
 lum præstant præcepta, sed etiam se-  
 quuntur CHRISTI consilia, omnesq[ue]  
 tollunt occasiones quæ eos retardare  
 poterant à perfecta eorundem præce-  
 ptorum obseruatione: Nam etiamsi  
 perfectio Christiana essentialiter con-  
 sistat in duobus præceptis charitatis,  
 quæ teste Domino, sunt plenitudo le-  
 gis & Prophetarum, tamen hæc consi-  
 lia sunt quasi instrumenta, & princi-  
 pales quædam dispositiones ad obser-  
 uationem præceptorum; quatenus ser-  
 uiant ad remouenda omnia, quæ im-  
 pediunt, ne possimus amare Deum ea  
 perfectione qua oportet, vel ne possi-  
 mus commodè & facilè inuigilare no-  
 stræ salutis. Quare optimè Dominus;  
 postquam dixisset huic adolescenti, vt  
 omnes facultates suas erogaret in pau-  
 peres, subiūxit. *Veni & sequere me*, per-  
 fectio, enim, vt dictum est, non præci-  
 pue

puè consistit in abiectiōe omniū bonorum, cum multi quoque gentiles Philosophi ea abiecerint, sed in sequendo, post bona deserta Christo, eiusq; caritate, obedientia, humilitate, paupertate, patiētia, cæterisq; virtutib; quas speciatim beneficio horum consiliorū facile consequimur.

4. Hoc responso à CHRISTO audito, adolescens totus contristatus abiit. Quid verò mirum cum contristatum abiisse? cum discesserit ab eo, qui est vera consolatio, & omnis lætitia nostra. Accessit autem ad opes & alia huius vitæ bona, quæ suis amatoribus nō aliud adferunt, quàm pœnam & tristitiam. O quàm bene dixit Dominus, diuitias esse spinas, quibus bonum semen suffocatur & extinguitur. *Mat. 13.* Erat cor huius iuunnis totum spinosum & syluestre, plerum curis & sollicitudinibus rerum temporalium, vnde mirum non est, bonum semen verborum CHRISTI illicò fuisse in eo suffocatum antequam agere posset radices. Infelices diuitiæ, quæ sic inebriatis earum possessores, vt agnoscere non possint, quæ sint veræ diuitiæ & verum earū bonū, quo verè possint reddi beati: atque ita eis manus ligatis, vt miseri se iuuare non possint.

380 **MEDITAT. DE VITA**

& impossibilem reputent sibi aditum ad salutem, nisi Deus sua omnipotentis manu mortifera earum vincula dissoluat. Vide nunc diuitem hunc iuuenem de obseruatione diuinorum mandatorum gloriantem: qui tamen, vbi arctius premitur, coelum pro terra, Christum pro diuitijs deserit. O infortunate adolescens, vbi nunc sunt tuæ opes, quibus, ne breui aliquo tempore careres, potius ablegasti **CHRISTVM**, & forte nunc vtrisque in æternum es priuatus. O quot hodie in mundo inueniuntur huiusmodi diuites, qui quoniam aliquando sacramenta frequentant, & paucas elemozy nas faciunt, non occidunt homines, non palam furantur, non peierant, existimant se diuinis præceptis satisfacere, & vt dicitur, digito contingere coelum: & tamen iidem non explentur vllis opibus & possessionibus; nunquam dicunt, sufficit; & apparet quod velint totum tandem mundum occupare. Et forte si tales peruenirent, vt ita dicam, ad torcular, haud scio, qualem succum sint reddituri amoris ne Dei, an proximi, vel potius alium eodeteriorem. Beati, qui secundum consilium Apostoli contenti sunt paucis  
& ac-

& necessarijs, reliqua autè liberè dant pauperibus. Beatiore verò illi, qui præstantius secuti consilium, renunciant omnibus quæ possident, & pauperes pauperem Christum sequuntur; hi enim verè diuites sunt & beati; His Deus dicit, quod olim dixit magno illi Patriarchæ. *Ego sum merces tua magna nimis.* Gen. 25.  
 H relinquendo omnia; possident omnia, quia ipse DEVS est illorum possessio, qui præsentium consolationum dulcedine & certa spe infallibilium suarum promissionum, copiosissima illorum explet desideria. Vnde cum sancto Propheta dicere queunt *Quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terrâ? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psalm. 72.

5. CONVERTENS deinde Dominus se ad discipulos, dixit illis: *Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt? Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Si sapientissimus Salomon hanc sententiam in libris suis posuisset, fortè homines aliquam fidem illi habuissent, tanquam veritati à Spiritu sancto dictatæ, sui que memores cupiditatè accumulandarum opum coercuissent, scientes quo plus opes

crescerent hoc difficiliorem reddi in-  
 gressum in cælum? Nunc cum hæc ve-  
 ritas, nõ habeat autorem Salomonem,  
 aut aliquem Prophetam, sed ipsam æ-  
 ternam sapientiam, non intelligo, cur  
 tam parum illi credatur, aut certè tam  
 parui animam nostram faciamus, vt  
 propter exiguam commoditatem vel  
 temporalem voluptatem quam affe-  
 runt diuitiæ, in tam apertum salutis di-  
 scrimen nos conijciamus. Certi sumus  
 in hoc calice sub vini dulcedine latere  
 venenum, atque omnes ferè, qui ex eo  
 bibunt veneno infici & occidi, nihilo-  
 minus sine consideratione accurrimus  
 omnes, vt ei os applicemus, persuasi,  
 nos à tam infelici exitu fore immu-  
 nes. Diues epulo, etsi, vt probabile est,  
 multa peccata, commiserit, ac imprimis  
 illud ab Euangelio commemoratum,  
 quod non fuerit misertus pauperum,  
 tamen Scriptura nullam aliam damna-  
 tionis eius causam assignat, quàm quod  
 multa bona habuerit in vita sua; cum  
 illi diceret Abraham: Fili recordare  
 quia recepisti multa bona in vita tua,  
 & idè nunc cruciaris. Infelices diui-  
 tiæ, quæ vestris possessoribus hæc male-  
 dictionem adfertis, vt qui vos habue-  
 rit in hac vita, non habeat aliud expe-  
 ctare

Luc. 10.

Etare in altera, nisi cruciatus & tormenta. *Luc. 6. Co. 12.*  
 Væ ergo illis, qui suam consolationem habent in hoc mundo, qui dicunt animæ suæ. Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, &c. Non cogitatis miseri, vos fortè hac nocte reddituros animam, & tot bona in hoc mundo congesta, nec posse portare vobiscum, nec scire quorum sint futura? Tunc patefactis oculis in noua illa regione, deprehendetis vos nudatos omnibus opibus & operibus bonis, nec inuenietis quèquam, qui vos aut agnoscat, aut honoret, vel etiam recipiat, & quia superbia inflati, & sollicitudinibus terrenis onusti angustissimam cælorum portam intrare non poteritis, in numerum reproborum & damnatorum conijciemini. Ex alia parte videbitis camelos, id est, humiles, mansuetos, & pauperes spiritu: ut enim camelus, dum onerandus est, flectit genua, & in terram se inclinat, ut sarcinam excipiat, sic hi faciliè se submitunt Christo, sibi que salutarium consiliorum iugum imponi sinunt. Hos, inquam, quos instar huic deformis animalis, reputabatis stultos & prudentiæ expertes, videbitis faciliè & expeditè intrare

in regnum cœlorum, & referri in numerum filiorum Dei. Vos verò cum omni sapientia & prudentia vestra detrudi in infernum, vbi ærugo auri vestri & argenti, quod tanta cum sollicitudine corra-  
*Luc. 4.* sistis, cum perpetuo carnis vestræ cruciatu consumetur.

6. **PETRVS**, vti solitus erat Magistri sui verbis studiosissimè attendere, aduertens magna admodum promissa facta huic adolescenti, si relinqueret omnia, & Christum sequeretur; pariterque existimans se cum suis socijs vtrumque præstitisse, magna fiducia percontatur Christum, dicens. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo eris nobis?* O bone Petre, quid queso tu possedisti in mundo, & quantulū est quod reliquisti, vt tam audacter dicas. Ecce nos reliquimus omnia, ac simul exigas præmium in cœlo? Similiter quid reliquit Andreas frater tuus, quid Iacobus & Iohannes pauperes piscatores similes tui? Verùm ex alia parte, multum relinquit, qui relinquens parum, paratus est etiam relinquere multum, si multum possideret. Multum quoque relinquit, qui vnà cum diuitijs, relinquit affectum ad illas, & cupiditatem plura habendi & possidendi. Multum



tum denique relinquit, qui relinquit se ipsum, suamque voluntatem, subijciēs se alterius voluntati & obedientiæ. Hęc omnia fecerunt & reliquerunt Apostoli & sapientissimè; quia nōrant scriptum, mundum transire & concupiscentiam eius. Quare melius est hominem relin- I. IOAN. 28  
 quere illa, quàm expectare donec relin-  
 quatur ab illis. Vbi considera, quomo-  
 do Dominus respiciens potius ad bonā  
 voluntatem Petri, reliquorumque disci-  
 pulorum; quàm ad res sui amore ab i-  
 plis relictas, voluit illos quoque redde-  
 re securos de mercede, qua eos erat re-  
 muneraturus, dicēs, eos in die iudicij se-  
 cū cōfessuros, & iudicatos duodecim  
 tribus Israhel. O quàm conueniens fuit  
 eos esse aliorum iudices, qui tam boni  
 fuerunt iudices sui, in dijudicando ve-  
 ro bono & falso, in paupertate & cruce  
 CHRISTI omnibus huius sæculi bo-  
 nis & consolationib. anteponenda. Cō-  
 ueniens quoque fuit vt speciatim esēt  
 iudices tribuum Israhel, vt populus hic  
 esset inexcusabilis, nec prætere posse  
 ignorantiam non cogniti Christi:  
 nam si Apostoli, homines tam rudes &  
 imperiti, per exiguā notitiam legis quā  
 habuerūt, & cooperationem bonę vo-  
 luntatis eum agnouerunt & secuti sunt:  
 quan

quanto magis Scribæ & Pharifæi, & Sacerdotum Principes in Lege tam periti potuerint eum cognoscere, nisi malitia & inuidia, lumine rationis offuscato, illos excœcasset, atque etiam, vt se excusare non possent, Legem Christi esse obseruatu impossibilem, quandoquidẽ Apostoli, qui erant homines, vt ipsi, imò magis imperfecti & inidonei quàm ipsi tam constanter eam fuerant amplexi, vt non dubitarent pro illa profunderè sanguinem & vitam. Denique fuit quoque admodum congruens, vt populus ille, atque iudices iniqui, à quibus Apostoli fuerant iniuste flagellati & omni dedecore affecti, postea iniusto Dei iudicio ab iisdem iuste iudicarentur & condemnarentur.

7. SVBIECIT deinde Dominus aliud responsum generalius, quod non in solos Apostolos, sed etiam in omnes fideles quadrat, dicens: *Omnis qui reliquerit patrem vel matrem, vel fratres aut sorores aut uxorem, aut agros propter me centuplum accipiet in tempore hoc. & in saculo futuro vitam æternam.* Verba verè Euangelica, verba cœlesti Magistro digna, de quo scriptum est, quod primum cœperit facere, & deinde docere. Primò cœpit multum relinquere amore nostri, de-

Act 56.

Acto. 1.

deinde verò docuit nos relinquere pa-  
 rum amore sui. *Quis enim in forma Dei* *Phil. 2.*  
*esset, se in ipsam ex omnibus formam ser-*  
*ui accipiens. Et cum esset dives factus est*  
*pro nobis egenus.* Reliqui t pro nobis ces-  
 lum & deitias paradisi, in quo illi serui-  
 ebatur ab Angelis, & tota curia cœlesti,  
 & assumpsit formam serui, voluitque  
 vivere in paupertate extrema. Quomo-  
 do enim potuissent homines reddi ca-  
 paces huius veritatis, vel induci potuis-  
 sent ad sectandum diuinum hoc consi-  
 lium, si ipse Deus ore suo eam non do-  
 cuisset, & præiussit suo exemplo? Hæc  
 sunt diuina illa verba, quibus instrua-  
 ta Ecclesia, acclamabat cœlesti sponso *Psalms: 16.*  
 suo, dicens. *Propter verba labiorum tuo-*  
*rum custodiui vias tuas.* Hæc doctrina,  
 est pretiosa illa margarita, cuius amore *Matth. 13.*  
 tot sanctorum martyrum, cōfessorum,  
 & virginum exercitus, non solum dese-  
 ruerunt parentes, & omnes huius mun-  
 di facultates & bona, sed etiam corpora  
 sua omni generi suppliciorum expo-  
 fuerunt, & vitam etiam pro obtinendo  
 tam nobili thesauro tradiderunt.

Hæc sunt verba illa, quæ mundo per-  
 suaferunt contemptum ipsius mundi,  
 & paupertatem voluntariam. Hæc  
 complerunt tot Monachorum solita-  
 rio-

riorum deserta, & innumerabilium religioforum monasteria. Hæc denique sunt verba, quæ huius mundi spoliârunt *Matth. 11.* Ægyptum, & locupletârunt coelum. imò docuerunt homines vim inferre ipsi cælo, & cœlestes thesauros invadere.

3. Verum cuiusmodi præmium est, dulcis IESU, illud centuplum quod promittis etiam in vita præsentis? nam de centuplo illo omnibus tuis electis in cælo promisso, de mensura illa plena & conferta, de multitudine dulcedinis, de flumine pacis, omniumque voluptatum & deliciarum torrente, quo in æternum satiabis animas nostras, de hoc, inquam, præmio sumus certissimi & securissimi: at in hac valle miseræ, in hoc nostro in scælici exilio; quâ pacem & consolationem habere poterimus, ubi & cum nobis ipsis, & cum tot inimicis continuum gerimus bellum? Heu quàm bonus est DEVS? ac ad præmiandum magis, quàm ad puniendum propensus, quippe qui omnes quotquot bonum aliquod opus fecerint, aut actum virtutis exercuerint vult etiam in hac vita mox suam artham consequi, & initium facere illius gaudij & scælicitatis, qua in altera vita perfectè perfruentur. Nec mirum:

nul-

*Luc. 6.*

*Esa. 66.*

*Psalter. 15.*

nullus enim negare potest, nisi iudicio  
 prorsus careat quin, si mundus, ipsa que  
 vitia suis amatoribus oblectationem  
 aliquam adferunt falsam & adulteri-  
 nam, multo ampliorem verioremq̃  
 ipsa virtus & gratia diuina suis sit alla-  
 tura possessoribus. Etsi regnum Dei, vt  
 Dominus ipse dicit, intra nos est, & re-  
 gnum Dei, Apostolo teste, non est a  
 aliud, quàm iustitia, gaudium & pax in  
 Spiritu sancto, quod gaudium, quæ pax  
 potest deesse illi animæ, quæ est plena  
 Spiritu sancto? quæ CHRISTVM ge-  
 rit in pectore, & in qua regnat, & babi-  
 tat DEVS totius consolationis? Hæc  
 est manna absconditum, à DEO omni-  
 bus mundi & suis ipsius victoribus pro-  
 missum, quod nullus intelligere potest  
 aut cognoscere, nisi qui illud proba-  
 uerit. Hoc degustârat sanctus Propheta  
 cùm dixit. *In via mandatorum tuorum* *Psalm. 128.*  
*delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.*  
 Huius mannæ dulcedo facit, vt seruis  
 Dei omnia videantur suauia, etiam quæ  
 aspera sunt & difficilia: non sentiunt  
 labores, nihili pendunt sudores, non  
 reformidant vllas persecutiones, nec  
 mortem ipsam. Hoc fecit, vt Andreas  
 tanta lætitia procederet ad crucem, vt  
 Laurentius ardentibus licet carbonibus  
 ira.

impositus illuderet carnificibus, ut Ste-  
 phanus inter lapidationem, tanto affe-  
 ctu oraret pro suis lapidatoribus. Hoc  
 igitur est centuplum à CHRISTO  
 promissum illis, qui se propter ipsam  
 priuant bonis & consolationibus hu-  
 ius vitæ. Quod centuplum nō est aliud  
 quàm gaudium, pax, & voluptas ani-  
 mi, coniuncta cum delitijs caritatis,  
 qua homo sentit se omni desiderio car-  
 nis, & creaturarum affectu exutum, to-  
 tum autem cor & amorem suum in so-  
 lo Deo Creatore defixum. Sic ut possit  
 dicere cum sponsa. *Dilectus meus mihi,*  
 & ego illi. Hæ dulcedines tanti fiunt à  
 seruis Dei, ut non solum videantur cen-  
 tuplo amplius sibi recepisse, quàm re-  
 liquerint, sed centies millies amplius,  
 quàm habere aut desiderare potuerint  
 in hac vita. Eant nunc homines mun-  
 dani & quætant sua solatia in diuitijs, &  
 honoribus, & voluptatibus huius mun-  
 di, sed cum infinitis ærumnis, dolori-  
 bus, terroribus, & conscientie remorsi-  
 bus, quæ falsa ista bona pariunt, ut tan-  
 dem inueniant in altera vita pœnas æ-  
 ternas in inferno. Latentur verò serui  
 Dei, qui prudentiori consilio contem-  
 nunt hæc omnia propter Christum: nā  
 inter omnes tribulationes, tentatio-  
 nes.

Cant. 1.

nes & persecutiones mundi & demonis, vno continenti paradiso tum in hoc, tum in altero sæculo perfruentur.

## COLLOQVIVM.

**O**RABIS Dominum, quoniam diuitiarum via tam difficilis est ad obtinendum regnum cælorum, tibi velit largiri gratiam, vt pro sanctissimi nominis sui gloria aspernari possis omnes huius mundi delicias & pompas, & eua- dere pericula quæ bona terrena secum afferunt, vt eo expeditius possis decurrere per viam non solum mandatorum, sed etiam consiliorum ab illo edoctam, Deinde, vt possis abnegare te ipsum & illi soli adherere, illum solum sequi, vt ab eo directus & ductus liber & securus reddaris ab omnibus inimicis tuis visibilibus & inuisibilib. illudque consequi præmium, quod per suam misericordiam promisit omnibus, ipsum omnibus relictis sequentibus.

## DOCUMENTA.

1. **D**ominus, interrogatus ab adolescente, quid facere deberet, ad obtinendam vitam æternam, primum ei proposuit præcepta ad caritatem proximi spectantia, deinde vero consilia pertinentia ad amorem Dei perfectum: vt doceret

nos, contendenti ad diuini amoris perfecti-  
onem, & vita contemplatiue exercitia,  
primò necessarium esse, vt se exerceat in  
operibus ad caritatem proximi spectan-  
tibus, que sunt propria vita actiua.

2. Christus appellatus ab hoc adolescē-  
te Magister bonus videtur agrè tulisse, e-  
umq; correxit. Quod non fecit Dominus  
propter se, nec enim in eum cadere poterat  
vana de seipso existimatio; sed propter  
nos, vt disceremus; cū aliqui nimū nobis  
adulantur, non dissimulare, nec arridere,  
sed potius declarare nobis illas laudes di-  
splicere, eosq; verbis asperibus corrigere,  
vt hac ratione cōseruemus in nobis humi-  
litate, & adulatoris temeritatem coer-  
ceamus; offendiculum quoq; aliorum re-  
moueamus, qui ex nostro silentio suscipi-  
ri possent, huiusmodi titulos & epitheta  
honorata nobis placere.

3. Cū affirmaret idem iuuenis se ob-  
seruasse omnia mandata, Christus sciens  
illum non ideo esse de salute securum, eum  
hortatus est ad maiorē perfectionem: vt  
nēpe moneret quoq; nos, etiā si videremur  
nobis multū prestitisse, diuinisq; mādati-  
s paruisse, non debere nos ideo esse metu va-  
cillos, quasi nihil deesset debere autem nos  
sancto quodā timore suspēsos ignari quo-  
uisq; Deo oꝛera nostra placeant, semper a-



spirare ad maiorem perfectionem, & indies longius in cursu virtutis progredi, movere eorum qui arcū dirigentes ad scopum, aciem oculorum altius intendunt, quo à scopo non aberrant: pari enim ratione & nos, si salutis nostræ scopum attingere velimus, altiora respicere debemus quotidie in bonis operibus & virtutibus Christianis crescendo, secundum consilium scripturae, Qui iustus est, iustificetur adhuc.

*Apoc. vlt.*

4. Hic iuuenis videbatur se velle adiungere Christo, magnæq; salutis desiderio teneri, sed cum aduertit in periculum vocari suas facultates, tergiuersatus est, & consilium Christi repudiavit. O quot hodie sunt, qui videntur pi & deuoti, dum prosperè illis omnia succedunt, & commoditate sua in seruitio Christi fruuntur: verū, ubi irruerit ventus cōtrarius, qui illos vel in facultatibus, vel honore, vel filijs, vel propria persona nōnihil tēgat vel affligat, mox demonstrant se amore sui plenissimos, eoq; victi turpiter retrocedūt. Quot itē sunt, q; in verbis apparēt perfecti Christiani, bonaq; alijs cōsilia impartit: ut dū ijs simonētur sui officij, ut aliena restituant ut remittāt iniurias, ut noxium contractum rescindant, vel occasionem peccati deserant, nihil agunt, ne in opibus, carnis, vel existimationis aliquid patiantur.

*Om-*

*Omnes hi, certum est, caelum non ingre-*  
*diuntur.*

5. *Qui dixerunt Christo, Ecce nos reli-*  
*quimus omnia, constituti sunt ab eo iusti-*  
*tes mundi, ut intelligeremus eos solos esse*  
*bonos indices, & de alijs iuste iudicare pos-*  
*se: qui liberi sunt ab omni animi perturba-*  
*sione & rerum temporalium cupiditate.*

6. *Dixit quoq; Dominus discipulis suis,*  
*eos quoniam ipsam in hac vita secuti es-*  
*sent, in altera secum sessuros supra duo-*  
*decim sedes: ut intelligeremus eos, qui in*  
*saeculo labores defugiunt, nec volunt per bo-*  
*norum operum exercitium sectari Chri-*  
*stum, non posse vlla spe teneri, se unà cum*  
*Christo aliquando sessuros, id est, quiete a-*  
*terna fruituros, sed potius cum omnibus*  
*ignavis detrudendos ad inferos.*

7. *Si sententia à Christo data vera est,*  
*nempe, quot quot propter ipsam relique-*  
*rint patrem, matrem, agros, magnorum*  
*thesaurum habituros in caelo prater vitam*  
*aeternam: quod primum, quam senten-*  
*tiam expectabunt illi, qui scientes se à*  
*Christo vocari, tamen, ne facultates suas*  
*vel amicos deserant (excepto casu extro-*  
*rae necessitatis) rennunt autem sequit ac-*  
*tem illi qui iam diuino seruitio dedicati,*  
*amore parentum, vel opum deserunt Chri-*  
*stum, & miserè redeunt ad seruitium*

praestandū mūdo? certè nō aliā habēt expectare sententiam omnes illi, nisi quam ipse Christus protulit, dicens. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, nō est me dignus. Mat. 10.

3. Si aliquando contingat, Dei seruos non sentire in se centuplum, hanc pacem animi, & quietem à Domino in hac vita promissam, non ideo debent iudicare diuinas promissiones non esse constantes & infallibiles, sed potius debent excutere cōscientiam suam, & iudicare seipsos, si forte inueniant aliquem nidum auium, vel cauernam vulpium, id est, aliquam superbiam occultam, vel amorem propriū, aut affectum inordinatum erga creaturam: & si conati fuerint nidum illum, vel malas bestias abijcere, mox se prodet illud centuplum, & diuina cordis consolatio.

9. Mundus arguit eos qui se relicto sequuntur Christum, dicens: relinquere parentes & cognatos esse crudelitatem, deserere opes aliāq; huius vita bona esse stultitiam: omnibusq; suis affectis non aliud promittit, quàm breuem voluptatem cū magna amaritudine coniunctam in hac vita, & magno discrimine aeterna damnationis in altera. Ex alia parte Christus laudat eos, qui omnibus renunciant pro-

pter se, tanquam actum magna perfectionis, promittitq; in hac, alteraq; vita cœleste premium coniunctum cum securitate salutis aeternæ. Iam ergo tu, quisquis adhuc de vita tuæ statu deliberas, vide uter duorum veracior sit, mundusne an Christus, & cuiusmodi sint premia ab hoc & illo proposita: illum verò sequere, quem iudicabis salubriorem animæ tuæ.



DE LAZARO  
A CHRISTO RE-  
SVSCITATO.

MEDITATIO XIV.

EVANGELIVM.

IOAN. II.

**E**RAT quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororis eius. (Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes

des ejus capillis suis:) cuius frater Lazarus infirmabatur. Audiens autem IESVS, dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria DEI: vt glorificetur filius DEI per eam. Diligebat autem IESVS Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus, deinde post hæc, dicit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit IESVS, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt: Si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in ea. Hæc ait: & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius. Domine, si dormit, saluus erit, Dixerat autem IESVS de morte eius,

illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo IESVS dixit eis manifestè , Lazarus mortuus est : & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi . Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam, quasi stadijs quindecim .) Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarètur eas de fratre suo. Martha ergo vt audiuit, quia IESVS venit, occurrit ei: Maria autem domi sedebat . Dixit ergo Martha ad IESVM , Domine , si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed nunc scio, quia quæcunque poposceris à D E O, dabit tibi D E V S. Dicit illi IESVS, Resurget frater tuus? Dicit ei Martha, scio quia resurget in resurrectione, in nouissimo die. Dixit ei IESVS, Ego sum re-

resurrectio & vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, Vtique Domine, ego credidi, quia tu es CHRISTVS filius Dei, qui in hunc mundum venisti. Et cùm hæc dixisset, abiit & vocauit Mariam sororem suam, silentio dicens; Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit cito, & venit ad eum, nondum enim venerat IESVS in Castellum: sed erat adhuc in illo loco vbi occurrebat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Maria ergo cùm venisset vbi erat IESVS, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. IESVS ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea, plorā-

tes, infremuit Spiritu, & turbauit seipsum, & dixit, vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine veni, & vide. Et lachrymatus est IESVS. Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere, vt hic non moreretur? IESVS ergo rursus fremens in seipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei. Ait IESVS, Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat, Domine, iam foetet, quatri-duanus est enim. Dicit ei Iesus. Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. IESVS autem eleuatis sursum oculis, dixit, Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare, veni foras. Et  
sta-



statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant, quæ fecit IESVS, crediderunt in eum.

## FIGURA.

**E**LIZAEVS resuscitavit filium 4. Reg. 4.  
*mulieris Sunamitidis, à qua frequenter solebat hospitio excipi.*

## PROPHETIA.

1. **E**go dormivi & soporatus sum, & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.

*Psalm. 3.*

## CONSIDERATIONES.

**E**TSI omnia Christi Redemptoris nostri opera fuerint admirabilia; tamen principem inter ea locum obtinent ea, quibus speciatim suæ diuinitatis potentiam declarauit, ut est excitatio mortuorum: solus enim ille restituendæ vitæ potestatem habebat, qui erat autor & donator ipsius vitæ. Inter hæc ipsa verò opera, præcipuum, magisque illustre fuit, resuscitatio

*Punct. 1.*

Lazari quatríduani, non quod in ea opus fuerit maiori virtute, sed quia rationi humanę mirabilius videtur vitam restituere cadaueri iam fœtido, quàm corpori recenter mortuo, & nondum humato. Vnde merito hoc potest vocari signum super omnia signa, virtus virtutum, & miraculum omnium miraculorum maximum. Quare benedixit Dominus finem infirmitatis Lazari non fuisse mortem, sed Dei gloriam: quia in nullo facto, eque ac in hoc suam gloriam, diuinamque virtutem patefecit. Accedit, quod velut omnia Domini opera, erant diuinis referta mysterijs, ita hoc miraculum maximū quoddam repræsentabat mysterium, nempe vniuersalem totius generis humani salutem à Redemptore procuratam. Nam sicut Lazarus post quartum diem primo fuit ad vitam reuocatus, sic homo in quarto statu, cum iam tertio per diuinę legis transgressionem pœnam æternę mortis incurrisset, à **CHRISTO** redemptore nostro vitę gratiæ est restitutus: non enim venit Saluator in mundum post primam transgressionem à nostris primis parentibus factam in paradiso terrestri, tunc siquidem homines, quoniam

nondum experti erant damna quæ se-  
cum affert peccatum, vel non tanti fe-  
cissent, vel certè non vñ fuissent tam  
ineffabili beneficio. Sed nec post se-  
cundam contra legem naturæ factam,

*quando omnis caro corruerat viam suã;* Gen. 6.

venit; nec post tertiam legis scriptæ, dū  
nullus ferè superesset obseruator Legis,  
vti ipse Dominus dixit ad Iudæos. *Nõn-* Ioan. 7.

*ne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex  
vobis facit legem?* Verùm in quarto sta-  
tu, qui initium habuit in Ioanne, vti  
Dominus ipse testatur, *Lex & Prophe-* Mat. 11.

*ta,* inquit, *vsq; ad Ioannem:* cum iam  
humana natura esset quatrividua, &  
ex tot peccatorum putredine incipe-  
ret foetere, tunc DEI optimi maximi

viscera commota ad misericordiam  
erga nos, effecerunt, vt descenderet ex  
alto; visitaretque nos ad liberandum  
& illuminandum omnes, qui sedebant

in tenebris & vmbra mortis: Et rectè  
dicit Euangelium, Lazarum fuisse re-  
suscitatum in Bethania, id est, domo o-  
bedientiæ, nam CHRISTVS Salua-  
tor noster sua obedientia vsque ad mor-

tem crucis salutem nobis attulit. Deni-  
que Dominus, sicut ad resuscitandum  
Lazarum ambulauit, turbauit seip-  
sum, fleuit, magna voce exclamauit,

*R 5* cuo.

euocando eum è sepulchro, sic ad redimendum genus humanum triginta tribus annis se fatigauit ambulando in terra sæpe seipsum turbauit, gemitusque & suspiria in cœlum emisit, frequenter lachrymauit, ac denique clamorem illum validum in ligno crucis edidit, quando offerens preces & supplicationes ad eum qui potens erat ipsum saluare, *exauditus est pro sua reuerentia*. Heu, Domine dulcissime, quid sibi vult hæc noua agendi ratio. Quando enim nos primo condidisti, & viuendi facultatem impertiuisti, vno verbo omnia perfecisti: sed ad nos redimendos, ad restituendam illam ipsam vitam, quàm vitio nostro perdidderamus, opus fuit tot laboribus, afflictionibus, lachrymis & ipsius vitæ profusione.

**2. CONSIDERA** igitur, quomodo Lazaro in ægitudinem lapso, Martha & Maria eius sorores, per nuncium, certiores reddiderint Dominum tunc ultra Iordanem agentem, dicentes. *Ecce quem amas infirmatur*. Nō dixerunt, Veni, & impone ei manum, & saluus erit; nec, Dic verbo, & sanabitur: sed tantum indicant necessitatem fratris, & in mentem reuocant, esse ami-

cum suū, cui multa amoris signa aliās demonstrārit, atque si dicere vellent: Sufficit Domine te scire ægrum esse fratrem nostrum, nec enim soles vnquam deserere à te amatos. Age, si ita est bone Iesu, omnes à te amatos infirmari, rogo, veniant ad me omnes infirmitates & afflictiones huius vitæ, quæ nocere mihi non poterunt: nam multo melius est infirmum esse, & à te amari, quàm sanum esse, & gratia tua excidisse. Legatio tua fuit illa Domine mi, quam instituisti ad hominem iustum, *Esā. 9.* dicens: *Dicite iusto, quoniam benè.* Verba fidelia, & omni acceptatione digna: quia bonum est iusto, si sit consolatus; & bonum est, si sit afflictus; sicut bonū est, si sit sanus. & bonum, si infirmus; diligentibus enim te omnia conuertuntur in bonum. Dixerunt ergo Domino, *Rom. 8.* *Ecce, quem amas, infirmatur.* Verè brevis oratio & verba pauca, sed apud clementissimum illum hominum amatorem fuerunt multa & valde efficacia. Amabat verè Dominus illam familiam, à qua sæpius tanta caritate est exceptus. Amabat, quia in ea reperiebātur tria genera vitæ, actiuæ, videlicet, contemplatiuæ, & pœnitentium, quibus mirificè delectatur, & cum quibus libenter

commoratur . In hac MARIA age-  
bat sedens, tota intenta audiendis ser-  
monibus dilecti sui . In hac erat &  
Martha tota sollicita , & occupata in  
ministerio & honore Domino defe-  
rendo . In hac degebat quoque Laza-  
rus, qui suo nomine , quod interpreta-  
tur, adiutus à Deo, repræsentabat pec-  
catores pœnitentes . Si verò tu mireris ,  
quomodo Lazarus fuerit typus pecca-  
toris, & tamen tantopere fuerit à Chri-  
sto amatus, audi quid dicat ipse Domi-

*Mat. 9.* . . . *Non veni vocare iustos, sed peccato-  
res.* Si enim non amasset peccatores, de  
cœlo in terram non descendisset. Verū  
cur, bone IESU, cū tam multis sani-  
tatem reddideris non quæsitus, nec ro-  
gatus, nunc dilectis discipulis tuis, quæ  
tanta fiducia pro sui fratris salute ad  
te confugiunt, & per ipsum amorem  
obsecrant , tam dubium das respon-  
sum: immò tres dies moraris, & per-  
mittis Lazarum mori, cum tanto opti-  
marum illarum fororum dolore? Cœ-  
terum facilè apparet DOMINE mi,  
eas à te amari impensius ideo , quod  
hanc afflictionem illarum permise-  
ris, cū dixeris : *Quos amo, arguo &  
castigo:* Sicut è contrario scriptum est  
de hominibus impijs, . . . *Prope es ori eo-*

rum, & longe à renibus eorum. Ori prope est, quia concedit eis omnia quæ petunt: longè verò abest à renibus, quia non castigat eos, nec immittit in hac vita tribulationes. Imò CHRISTVS in hoc facto voluit: illis singulare aliquod beneficium præstare: nam cum decreuisset pro salute multorum, qui per hoc miraculum erant conuertendi, clarum & euidentis suæ diuinæ potētiae mundo dare testimonium; placuit illi id perficere per hos suos dilectos confidendo illis tanquam fidelioribus & intimis amicis: sicut, cum toti mundo proponere voluit exemplum, & speculum admirandæ patientiæ, vsus est *Iob. 1. & 2.* opera Iob sui fidissimi serui & amici, de cuius constantia omnino fidebat. Itaque valde bene respondit Dominus causam & finem ægritudinis Lazari non fuisse mortem, sed Dei gloriam, vt ille in hoc glorificaretur. Quæ verò hæc gloria tua erat, benedixit Iesu, nisi vt hæc tuæ dilectæ, atque etiam discipuli tui magis confirmarentur, crescerentque in fide & virtutibus; ac simul vt dura Iudæorum corda stupendo hoc miraculo conuicta conuerterentur, & sanctam fidem tuam reciperent, vti & factum est. Vide immensam nostri Sal-

uatoris caritatem, qui non gloriatur, quod fabricatus sit cœlum vel terram, & totum hoc vniuersum, sed omnem gloriam suam ponit in conuersione, & salute hominum. O dulcis IESV, quoniam ita voluisti & decreuisti, conuertat se, quæso, quoque anima mea, imò conuertat se muudus totus, donec omnes homines te agnoscant verum esse Deum, omnes te ament, omnes te adorent, omnes seruiant, vt ad maiorem tuam gloriã omnes salutem consequantur.

3. **CONSIDERA**, quomodo IESVS benedictus, cognoscens Lazarum iam esse mortuum, dixerit discipulis *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum.* Mortem Lazari Dominus vocat somnum, id quæ non alia de causa, nisi quia dixerat, illum suum esse amicum: nam dici nõ potest amicos Dei mori, sed dormire tantum. O beatos, ô felices illos, quorum mors non mors, sed somnus appellatur: verè somnus pacificus, somnus dulcis, de quo loquens Propheta dicebat, *In pace in idipsum dormiã & requiescã.* Mortuus igitur erat Lazarus, sed sororib. suis & hominibus, qui eum resuscitare nõ poterant, non Christo, eiusq; diuinę potẽtię, cui tam facillè erat eum ad vitã re-



vocare, quam dormientem excitare: Cū  
 verò discipuli non intelligerent modū  
 loquendi Domini, clarè eis dixit, La-  
 zarum esse mortuū, & gaudeo, inquit,  
 propter vos, vt credatis, quoniam non  
 eram ibi, quasi diceret: Si ego præsens  
 adfuissem Lazaro ægrotanti, eumq; cu-  
 rauissem, non habuissetis tantam occa-  
 sionē proficiendi in fide, diuinitatem-  
 que meam credendi, quantā iam habe-  
 tis: videndo eum resuscitatū iam mor-  
 tuum & fætentem. O bone Iesu, O dul-  
 cis amator noster, quod Angeli procu-  
 rent hominū salutē, & de ea gaudeant,  
 mirum non est, cū id faciant ad restau-  
 randas suas ruinas, reparandumq; da-  
 mnnum Luciferi lapsu illatū: sed quod  
 tu Deus noster beatissimus & foelicissi-  
 mus, *qui bonorum nostrorum non eges,*  
 tātoperè gaudeas de auxilio & profectu  
 hominum, id omnem superat admira-  
 tionē, eiusq; rei causa alia dari non po-  
 test, nisi incredibilis tua caritas. Iam bo-  
 nus Thomas ex vna parte animaduer-  
 tens IESVM statuisse redire in Iudæā;  
 vbi paulò antè voluerant eum lapidare;  
 ex alia verò videns reliquos discipulos  
 ea de causa suspēsos & metu percussos,  
 cohortari cæpit socios, eisq; animū ad-  
 dere, dicēs: *Ecce ego et nos, et moriamur.* IOAN. 10.

*cum eo.* Beatus esses Thoma si in hac fortitudine & cōstantia animi perstitisses: verum tu, qui tuæ fragilitatis immemor, tam audacter loqueris, aliosque adhortaris, aliquando incidēs in horā, qua oblitus huius cordati animi, ipsum Dominum in manibus Iudæorum derelinques, & simul metu confternatus cum reliquis aufugies: imò oblitus diuinæ virtutis Magistri tui, qui quatri-duanum Lazarum hodie potuit excitare ab inferis, dubitabis, an post tertium diem potuerit seipsum è sepulchro resuscitare.

*Mat. 26.*

4. V E N I T ergo I E S V S in Bethaniam quarto post sepulum Lazarum die. Martha autem mox atque audiuit eum aduenisse, relicta sorore quæ domi sedebat, occurrit Domino, vt illi prima narrāret quæ accidissent. Vide quemadmodum Martha omni ex parte se declarārit sollicitam. Maria verò residet domi quieta: hæc contemplatiuam, illa actiuam vitam repræsentat. Vide etiam, quomodo Martha sola per totum castellum vadat vsq; ad portas, vt Christum inueniat, sine vllō comitatu cognatorum, vel amicorum, qui ad solandas has sorores venerant; iudicabat enim se non opus habere alio  
con-

consolatore, dum præsentem haberet  
 consolatorem verum, qui consolatur *2. Cor. 13.*  
 nos in omni tribulatione nostra. Nec  
 caruit res hæc mysterio; congruebat e-  
 nim mulierem currere pro antidoto  
 mortis, quando & prima mulier, ma- *Gen. 3.*  
 ter nostra, primò cucurrit ad mortem:  
 congruebat eandem esse promptam ad  
 quærendam veniam, quæ primò fuit  
 parata ad committendam culpam, ac  
 simul primam adire clementissimū re-  
 demptorem, quæ prima aures porre-  
 xit pessimo seductori, ac deniq; vt mu-  
 lier, quæ homini attulerat mortem, ea-  
 dem afferret & vitam. Dixit ergo Mar-  
 tha ad Iesum. *Domine, si fuisses hic, fra-*  
*ter meus nõ fuisset mortuus: sed & nunc*  
*scio, quia quæcūq; poposceris à Deo, dabit*  
*tibi Deus.* Considera, licet fides huius  
 mulieris non fuerit omnino perfecta,  
 (existimavit enim CHRISTVM ab-  
 sentem non potuisse restituere sanitatē  
 Lazaro) tamen eam rectissimè dicere,  
 Lazarum non moriturum fuisse, si  
 Christus adfuisset: vbi enim inveni-  
 tur vita, ibi nequit esse mors: sicut ipse  
 Dominus mox dixit Marthæ. *Ego sum*  
*resurrectio & vita: qui credit in me, et-*  
*iamsi mortuus fuerit, viuet.* O verè ver-  
 ba vitæ, ô Iesu vera vita nostra, quanta

consolationis sunt hæc verba seruis tuis & amicis, nimirum scientibus, omnes eos, qui in te viua fide credunt, etiam post mortem viuere, & qui in hoc mundo viuentes se tibi adiungunt, nunquam in æternum mortem visuros? O anima, cognosce, hanc causam fuisse, cur incurreris mortem, nempe quia à CHRISTO vita tua te separasti. Nam si tu te voluntariè ab eo non separasses, nullis mundi tentationibus ad casum impelli potuisses; nemo enim præualere potest contra eos, quos Deus inhabitat, nec vlla turris est tam firma, nec arx tam securo, quam est anima cū Deo vnita. Dominus, dicebat Propheta,

*Psalm. 26.*

*est salus mea, quæ timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo; Væ illis, qui dicunt Deo. Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Hi enim nūquam videbunt vitam, sed æterna & horribili morte sepelientur. Considera denique illa verba Marthæ, quando respondit CHRISTO, *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Vbi vides, quàm præclarè hæc mulier in fide imitata est

*Iob 21.*

maximos quosque Patres in Ecclesia Dei, virtute fidei excellentes; vt Abrahamum Patrem credentium, & magnū

Apo-

Apostolum Petrum, nam vt Abraham firmiter credidit, Deum posse filium suum vnicum, quem iam iam sacrificare volebat, post mortē reuocare ad vitā ad complendam suam promissionem; sic Martha credidit Lazarum, licet quatrīduo mortuū; virtute CHRISTI posse redire ad vitam. Similiter, vti Petrus, quando CHRISTVS quærebat ab Apostolis, quem ipsum esse censerent, celebrem illam & tantoperē laudatam confessionem edidit dicens, *Tu es Christus filius Dei viui*, non secus Martha rogata à Christo, si crederet omnia quæ ipse dixisset, respondit: *Ego credidi, quia tu es filius Dei, qui in hunc mundum venisti*. Vbi apparet, quantum Martha ex breui illo colloquio cum Domino habito in diuinitatis fide creuerit: nam quæ prius fide imperfecta, atq; si Christus fuisset purus homo, dixit, *Si fuisses hic, frater meus nō fuisset mortuus*, nunc maiore lumine fidei illustrata confitetur eum verum filium Dei.

5. CONSIDERA quomodo Martha tota verbis CHRISTI solata, magna celeritate recurrit ad sororem, vt silentio eā certiozem redderet, Magistrū diu desideratum adesse, eamq; vocare. Non dubium, quin ad hanc vocem cor  
 Mariæ

Rom. 4.

Gen. 22.

Matth. 16.

414. MEDITAT. DE VITA

Mariæ reuixerit, quod defuncti fratris dolore pene erat emortuum: Vnde & illa, atque si amor CHRISTI omnis doloris de morte fratris memotiam excussisset, confestim surrexit, nulloque verbo, ad homines nobiles, qui consolandi eius causa venerant dicto, celeriter se contulit ad CHRISTVM, abiecta que ad pedes eius; à quo tanta beneficia acceperat, eadem verba cum sorore protulit, ac si lamentās dixisset: Si Domine præsens adfuisses, nulla huic domui infirmitas, aliaue aduersitas contigisset, quia nobiscum habitasset ipsa vita; sed mox post tuum discessum, irruit inuidiosa mors, & fratrem, nulla tui absentis formidine deterrita, sustulit: nec aliud subiecit, quia dolor de fratre, & simul amor quo prosequabatur CHRISTVM, intercludebat eius sermonem, vt non posset nisi vberimis lacrymis suum desiderium patefacere. Hic clementissimus IESVS, videns Mariam, omnesque vna cum illa Iudæos solutos in lachrymas, commotis misericordia visceribus, nihil respondit, existimans non loquendi, sed miserendi tempus esse. Itaque totus quasi infremuit, & seipsum turbauit. O summæ pietatis fremitus, ô turbationem singularem.

larem, qua ab omnibus mærentium cordibus luctus depulsus est. Fremitu vi-  
ta ad terrendam & fugandam mortem:  
fremet DEVS, vt hominem à peccato  
resuscitet: fremet misericordia, vt iu-  
stitiæ non resistat, nec contradicat. Fre-  
mit denique Christus tanquam vali-  
dus pugnator ad expurgandam inimi-  
cam mortem, & eripiendam singula-  
rem è manibus eius victoriam. Fre-  
mitū ergo edidit, & turbauit seipsum:  
quis enim pectus illud diuinum, paci-  
ficum & tranquillissimum fontem tur-  
bare potuisset, si ipse nō turbasset? Tur-  
batus est ergo CHRISTVS, quia ita vo-  
luit, sicut esuriit, quia voluit: tristatus &  
mortuus est, quia voluit: nam cum v-  
traque in eo natura esset, diuina & hu-  
mana, suæ diuinitatis potentia impe-  
rabat infirmitati carnis. Magnæ verè  
fuerant huius fremitus causæ in Do-  
mino, magna que & valde iusta fuit e-  
ius ira. Quomodo enim diuini sui fre-  
mitus non haberet causam satis idoneā  
dulcis amator hominum, dum cernit  
in pectoribus illorum tantam perti-  
naciam, & in mentibus caliginem? ve  
non solum non, conspecto hoc euiden-  
ti & illustri miraculo, conuertendi fue-  
rint, sed inde etiam arrepturi fuerint  
occa-

occasionem eum condemnandi ad mortem. Quis verò fando explicet, quā hæc obstinata mens excruciatit clementissima viscera Saluatoris, dum oculis diuinæ mētis perspicit, insanabilem eorū plagā, inexcusabilem culpā & certissimam damnationem? Quoniā autē hic fremitus, fuit argumentum interne indignationis, subiūxit Dominus, *Vbi posuistis eum?* quasi arguens mulieres dixisset Hominē illum, quē ego in paradiso & regione vitæ collocavi, ecce vbi vos posuistis? vt intelligerent, mortem, sepulchrū, corruptionem & fætorē non euenisse hominib. ex diuina creatione; quia scriptū est, *Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione viuorum.* Sed per culpam & lapsum ipsius mulieris.

6. *Et lachrymatus est Iesus.* O infiniti amoris pelagus. O Domine cœli & terræ, cur hic cœli non sunt patefacti? cur non stillârunt, sicut olim à facie Dei Sinai? cur non lachrymârunt angeli? cur terra rore cooperta non est? imò cur fissæ non sunt petræ, vt cum creatore suo aliquo modo collachrymarentur? Quid mirum fuit infernum tanta celeritate patefactum hunc defunctū reddidisse vitæ, quando pro ea plorat auctor ipsius vitæ? Plorauit Deus

*Gen 2.*

*Psal. 67.*



pro aliorum peccatis, ut homo commoueretur ad deploranda peccata sua. Lachrymatus est CHRISTVS misericordia motus aliorum lachrymis, pro humana miseria fufis, ut nos quoque disceremus misereri & compatialiorū miserijs. Vide quàm immensa fuerit hæc caritas. Sæpius legimus lachrymasse Dominum, & quidem pro nostris tantum, non autem pro suis ærumnis & doloribus. Hic lachrymauit conspecto mortui Lazari sepulchro. Fleuit supra ciuitatem Hierusalem, præuisa eius futura vastatione. Fleuit denique in *Heb. 5.* ligno crucis deprecando Patrem pro peccatorum nostrorū venia. Qua enim alia de causa arbitramur Filium Dei, æternam illam sapientiam, effudisse lachrymas super sepulchrum Lazari? non certe ob huius sui fidelis amici mortē? pretiosa enim est in conspectu Dei mors iustorum; sed quia oculos mentis intendebat in causam mortis, nempe peccatum, omnium malorum fontem; lachrymauit pro ipsis peccatis nostris, eorumque pœnis, quas homo per illa incurrit, cùm ei diceretur, *Puluis es, & Gen. 3. in puluerem reuert eris,* Plorabant igitur omnes alij, sorores ob amissum fratrem, Iudæi ob amicum, at Saluator causam pro-

418 **MEDITAT. DE VITA**  
prospiciens in effectu, plorauit ex com-  
miseratione nostri, & pariter satisfacti-  
one. Nam cum ille aduenisset ad ex-  
piandas animas nostras à peccatis, pri-  
mo eas abluit lacrymis, paulò post eas  
loturus proprio sanguine. Quare hæc  
mulieres à **CHRISTO** rogatæ ubi po-  
suissent defunctum, accommodatè re-  
sponderunt, *veni, & vide.* Iacebat ho-  
mo infœlix in mortiferis tenebris sub  
gravi peccati & legis onere; vnde cū per  
se inuenire non posset illum à quo sa-  
lutem reciperet; necesse fuit vt **CHRIS-  
TUS** veniret ad nos, & lethalia nostra  
vulnera suaui suarum lachrymarum  
oleo, ac pretiosi sanguinis vino cura-  
ret. Dixit ergo **IESVS.** *Tollite lapidem.*  
Poterat quidem Dominus solo verbi  
imperio tollere lapidem, & eodem tem-  
pore quo Lazarum resuscitauit sepul-  
chrum detegere: potuit enim virtute  
sua tunc aperire infernum & animam  
ad vitam reuocare, sed magna pruden-  
tia id voluit fieri ab illis, ne quisquam  
hoc miraculum calumniaretur, dum  
prius omnes oculis suis vident Lazarum  
mortuum, & cadauer eius fœtere ex  
inchoata putrefactione sentiunt. Ad-  
hęc etiam si Dominus, cū iuberet tol-  
li lapidem, voluerit verè detegi sepul-  
chrum

chrum, tamen vt omnia eius verba erant myſteriorum plena, cogita ſublimiorem quãdam illis verbis ſubiectam fuiſſe ſententiam, vt dixerit etiam, *Tollite lapidem*, quia videbat corda Iudæorum morte eſſe duriora, & magis concluſa & obſerata quã ipſum ſepulchrũ, quaſi diceret: Aperite veſtra obſtinata peſtora, & à cordibus veſtris duritiem tollite, vt conſpecto hoc miraculo vos quoq; cũ Lazaro poſſitis ab infidelitatis morte ad diuinæ gratiæ vitã reſurgere.

7. ELEVANS ergo IESVS lachrymoſos oculos ſuos ad cœlum, gratias egit Patri, vt tanquam humilis filius, quemadmodum in omnibus actionibus ſuis facere conſueuerat, gloriam tranſcriberet ſuo cœleſti Patri. Vbi conſidera, Dominũ in omnibus operibus ſuis non tã dignitatis ſuæ, quã noſtrę utilitatis ſalutiſq; rationẽ habuiſſe. Nec habebat fanẽ opus ipſe orare Patrẽ pro hoc miraculo, quia vnũ erat cum ipſo, ſed qui præſentes aderãt opus habebãt doctrina & inſtructione, vt intelligerent ipſum nõ eſſe Patri cõtrariũ, ſicut Iudei calũniabãtur dicẽtes. *Nõ eſt hic homo, à*

*Ioan. 9.*

*Deo, ſed vnũs omnino volũtatis eſſe cũ illo, vnde bene dixit, Ego ſciebam, quia*

*Ioan. 8.*

*ſemper me audis, ſed propter populum, qui*

*circumstat, ut credat, quia tu me misisti,*  
 atque si dicere vellet. Non ago tibi iam  
 gratias, quod nunc cognouerim me à te  
 esse exauditum, id. n. mihi semper fuit  
 exploratū, sed propter presentē populū:  
 neque enim aut quero gloriam meam,  
 aut ut homines me honorent, sed tantū  
 eorum salutē, ut ipsi credat me à te mis-  
 sum, credentes autē salutem consequā-  
 tur. Itaque benedictus IESVS post de-  
 monstratam naturæ humanæ humili-  
 tatem agendo gratias Patri, in excitando  
 Lazaro declarauit potentiam di-  
 uinæ naturæ, qua erat æqualis Patri.  
 Nam non virtute aliena, sed autorita-  
 te propria imperauit Lazaro, dicens.  
*Lazare veni foras.* Audierat hanc diui-  
 nam & potentem vocem terra, audie-  
 rat cœlum, audierant incolæ inferni,  
 audierat quoque surda & dura mors,  
 quæ perterrefacta huius vocis vi, tan-  
 ta celeritate paruit, ut vix sono vo-  
 cis percepto iam anima corpori fue-  
 rit restituta. Sentiebant quoque cir-  
 cumstantes tetrum & horrendum ca-  
 daueris foetorem, quando conspexe-  
 runt ad hanc vocem corpus mirabili-  
 ter erigi, & in terra comparere, & quod  
 erat mirabilius, vna cum fascijs quibus  
 totura erat obligatum ex monumen-

to prodire. Quāquā mirum non fuit *Ioann. 5.*  
 la Christi voce excitātū fuisse Lazarū;  
 nā, vt ipse dicit, in extremo iudicij die  
 vna eiusdem voce omnes mortui totius  
 vniuersi excitabuntur. O dulcis amator  
 noster, quā verè per Prophetam in-  
 gratitudinem populi huius deplorantē  
 dixisti *Quid vltra debuisti facere vineæ Esā. 5.*  
*meæ, & non feci?* Neq; enim contentus  
 fuit perfecisse tot, tamq; admirabilia o-  
 pera pro hominū beneficio, sed in quo-  
 libet, vide quot circūstātiās obseruārit,  
 quot respectus, quæ artificia vsurpārit,  
 ad dura illa corda emollienda, cæcasque  
 mentes illustrandas, vt veritatem cape-  
 rent, atque vt errantes illæ ouiculæ sine-  
 rent, se duci à suo pastore bono, qui nō  
 alia de causā, vt ipse dicit, venerat, quam *Ioann. 10.*  
 vt illis vitam, imò superabundantem  
 vitam subministraret.

§. I A M verò anima mea, dic quid  
 minus tibi Dominus, quā mortuo  
 Lazaro præstiterit: imò plus tibi, quā  
 illi præstitit. Lazarus siquidem se-  
 mel tantum obiit, semel sepultus est,  
 semel per CHRISTVM ex faucibus  
 mortis ereptus. Verum ô Deus meus  
 vita mea quoties me miserum pecca-  
 corem, iam currentem ad mortem, &

pedem iam vnum in sepulchro habentem, tu benigna manu retraxisti? Quoties vsque ad portas inferni descendi, & tu, per misericordiam tuam, ne eas ingrederer, prohibuisti? Quoties virulentus ille Draco iã me absorbuerat, & me è faucibus illius liberaſti? Similiter quoties præcipiti casu ruenti mihi, subiecisti clemẽtem manum, ne totus colliderer? Immò cùm ego repugnarem præceptis tuis, & inimicus paratus staret ad rapiendam animam meam, tu nunquã illud permisisti: ego te offendebar, & tu me defendebas: ego me separabam à te, & offerebam me inimico, & tu impediabas, ne me inuaderet. O quoties, si voluisses, me iustè condemnare potuisses? Sed tu amator animarũ, qui dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam, noluiſti id facere, sed tua misericordia me præuenisti, laqueos peccatorum ante me præscindens, multasq; occasiones tollens, quæ me in illos induere poterant. Quare meritò dicere possum cum Propheta.

*Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea.*

& de salute desperans vrerer ardoribus sempiternis, flammisq; voracibus, quæ semper ardent, & nunquam consumun-

*Psal. 96.*

*Psal. 93.*

*fumuntur? Itaq; conuertere anima mea Psalm. 14  
in requiē tuā, quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animā meā de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu: placebo Domino in regione uinorum.*

## COLLOQVIVM.

**D**EPRECABERIS CHRISTVM Dominum, vt sicut Lazarum iam quatrduanum & fœtidum è sepulchro excitauit, fascijsque solui fecit, ac deinde liberum dimisit: sic misericordię suę viscera dignetur quoque aperire tibi misero peccatori, qui ob consensum & commissionem peccati, mala consuetudine confirmatam iam quatrduanus & fœtens in sepulchro iaces; velitque vocē potentis gratiæ suæ te euocare è vitiorum profundo, vt excitatus, & foras progressus per veram confessionem, *vin Rom. 8.* culisque peccati & æternę mortis solutus ab omni seruitute liber ad libertatē gloriæ filiorum Dei peruenire possis.

## DOCUMENTA.

1. **R**efert Euangelium hanc Mariam fuisse illam, que unguento unxit pedes Domini, suisque capillis terfit: nullam autem mentionem facit, aut pulchritudinis, aut nobilitatis eius secundum

24 MEDITAT. DE VITA

*carnem, sed tantum eorum quae egit cum  
CHRISTO. Cognosce homo hic erro-  
rem tuum, quisquis addictus es honori &  
gloria huius mundi aucupanda, quae instar  
floris deficit & marcescit, & non potius  
magnificis seruitium Dei, quo licet exi-  
guo conciliare tibi poteris aeternam glo-  
riam.*

Isaia 40.

2. ECCE, quem amas, infirmatur. Sa-  
epe qui plus amati sunt à Christo, plurib.  
morbu, alijsq; malis obnoxij sunt: nã uti  
Medicus, aliquãdo agrum minore aliquo  
malo efficit, ut auertat manus: sic Chri-  
stus interdum permittit infirmitates cor-  
porales, ne anima incurrat spirituales, qua  
sunt multo periculosiores Vnde prouidens  
aliquos peccatores, eos flagellat, ne pec-  
cent, & saluentur.

3. Martha & Maria occurrerunt Chri-  
sto, nõ expectãtes donec veniret ad ipsas:  
qua ex re discimus, dũ peccato obnoxij su-  
mus si Deo recõciliari uelimus, ut ei per  
pœnitentiam occurramus, antequã ille ad  
nos forte veniat per vindictam, nam, ut  
dicit S. Ambrosius ibi vindicta diuina  
cessat, ubi nostra pœnitentia & confessio  
præcurrit.

4. Lachrymatus est Iesus. Fleuit Chri-  
stus super Lazaro, qui erat typus peccato-  
ris, ad docedũ nos, quod primũ debeamus  
fletu



flet pro nobis, quia omnes sumus peccatores. maximè quãdo amisimus vitã spiritualẽ: ut indicemus multis suspirijs & lachrymis opus esse ad recuperandã vitam spirituale. Debemus quoq; lachrimari pro necessitatib; nostrorum proximorũ, in primis spiritualibus, cum videmus eos mortuo: iacere in vitiorum sordibus, ut Dominus nostris lachrymis permotus dignetur nos & illos ad vitam renovare.

5 De Christo innocẽtissimo scriptum est Luc. 6. quod sepius fleuerit, totas noctes in oratione consumpserit, fame, sitim, & fatigatio Ioan. 4. nẽ in iuneribus passus sit: verum nunquã legiturvisse, aut prosperitatem habuisse. Et nos peccatis pleni, vel raro vel nunquã unã lachrymam emittimus, corporis voluptates querimus, fugimus labores, tempusq; cachinnis & vanis recreationibus consumimus.

6. Christus resuscitaturus Lazarium, prius mœuavit ludais, ut lapidẽ tollerent à monumento, ut omnes intelligerẽt hãc suã esse voluntatẽ, nos, qua nostri officij sunt & muneris, debere per nosmet ipsos omni studio perficere: qua verò vires nostras & facultatem excedũt, debere sue paterna providẽtia committere: quia frustra à Deo gratiam & spiritalia dona expectatis, qui negligens est in exercendis

*iam receptis: quiq; minoribus beneficijs abutitur, indignum se facit maiorib. Etenim Deus suo auxilio praesto est semper vigilantibus & laborantibus, non autem otium agentibus vel stertentibus.*

*7. Christus resuscitatus Lazarium, primo eleuauit oculos, Patremq; deprecatus est, ad informandum nos, ut in negotijs & necessitatibus nostris confugiamus ad praesidium orationis, & dum orationi vacamus, oculos in altum tollamus, hoc est, ut mens nostra tota sit desixa in Deo, nõ dando in ea locum, nisi vn Deo, rebusq; diuinis. Deinde debemus deuare in oratione oculos ad Deum, ut ostendamus nos non meritis nostris confidere, sed in sua tantum misericordia spem omnem collocare.*

*8. De Lazaro primo in Euāgelio dicitur, quod fuerit languens, secundo, quod dormierit, tertio, q̄ mortuus fuerit, quarto, quod quatruiduanus fuerit, & quinto, quod foetuerit. Hos omnes gradus transeūt, quotquot à gratia & iustitia labuntur in mortõ peccati. Primo enim dicitur homo languere ob peccati fomiti, & prauas, quas sentit, inclinationes. Deinde dormit quando per oblectationem sensus prauæ suggestioni incipit prabere locum. Ex his duobus gradibus adhuc conserua-*

seruatur gratia, & homo amicus & dilectus Christi dicitur. Tertio dicitur simpliciter mortuus, quando voluntate interna consentit peccato. Quarto est quatri-duarius, quando opere explet peccatum. Postremo fetet, quando consuetudine peccandi se reddit infamem & alij ab eo, tãquam à putida carne abhorrent.

9. E cõtrario resurrectio Lazari à morte ad vitam, significat progressum peccatoris à statu peccati ad statũ gratia. Primo Deus sua diuina notitia eum respicit, quam designabat cognitio, quam Christus habuit de Lazari aegritudine. Secundo Deus prabet auxilium anime, ut à peccato resurgat & ad se conuertatur, quod significatũ est profectiõne Christi versus Bethaniam ad excitandũ Lazarum. Tertio liberum arbitrium se cõuertit ad Deum per cognitionem & displicentiam peccati, & desiderium consequenda remissionis, quod significabatur itione Martha & Maria ad Christum. Quarto cognitionem peccati sequitur cõtritio, significata Christi lachrymis. Quinto est propositum firmum non offendendi Deum amplius, quod significabatur remotione lapidis à sepulchro. Sexto Deus infundit gratiam iustificantem, qua significata est per magnam illã vocẽ, qua

*Christus suscitauit Lazarum; hoc enim opus requirebat diuinam potentiam. Septimo est confessio peccati, designata per egressum Lazari ex tenebris sepulchri. Octauo est absolutio Sacerdotis, indicata per fasciarum solutionem ab Apostolis factam. Vltimo est bonorum operum exercitium, cui homo vacare debet post consecutam iustificationem, quod significauit Christus, quando dixit de Lazaro, Sinite eum abire.*

10. *Dominus suscitaturus Lazarum, voluit aperiri sepulchrum; ut doceret efficacissimum remedium ad cauenda peccata, vel ad resurgendum, quomodo homo in ea lapsus fuerit, esse meditationem mortis, & horrorem sepultura secundum dictum sapientis. Fili memorare nouissima tua, & non peccabis in æternum.*

**Eccl. 7.**

**DE**

DE PETITIO-  
NE MATRIS FILIO-  
RVM ZEBEDAEI.

MEDITATIO XV.  
EVANGELIVM.

**A**SCENDENS IESVS Hiero-  
solyman, assumpsit duode-  
cim discipulos secreto, & di-  
xit illis. Ecce ascendimus Hieroso-  
lymam, & cōsummabuntur omnia  
quæ scripta sunt per Prophetas de  
filio hominis. Tradetur enim Prin-  
cipibus Sacerdotū, & Scribis & Se-  
nioribus, & condemnabunt eum  
morte, & tradent eum gentibus ad  
illudendum, & flagellandum, &  
crucifigendum, & tertia die resur-  
get. Et ipsi nihil horum intellexe-  
runt. Tunc accessit ad eum Mater  
filiorum Zebedæi cum filijs suis  
adorans & petens aliquid ab eo.  
Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi. Dic

*Mat. 19.*  
*Mat. 20.*  
*Luc. 18.*

vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? At illi dixerunt ei. Possumus. **I E S V S** autem ait eis. Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus Iacobo & Ioanne. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait illis. Scitis quia hi qui videntur princ. pari gentibus, dominantur eis, & qui maiores sunt eorum, potestatem exercent in eos? Non ita autē erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos fieri maior, erit vester minister, & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nā & filius hominis non venit vt ministraretur, sed vt ministraret, & daret animam suam in redemptionem pro multis.

## FIGURAE.

1. **A** DONIAS ad obtinendam à Rege Salomone gratiam, vsus est opera suæ nouercae, quæ ingressa ad Regem dixit, Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. cui cū respondisset Rex, vt peteret; illaq; desiderium Adoniae exposuisset, rex iratus, minatus est Adoniae mortem, eo quod eius petitio vergeret in praiudicium sui regni. 1. Reg. 2.
2. IOSEPH Patriarcha quia vehementer amabat fratrem suum Benjamin, & ideo eum detinere apud se optabat, curauit in saccum eius reponi scyphum, ex quo ipse bibere consueuerat, ob quod iudicium multa perpeffus est. Genes. 44.

## PROPHETIÆ.

1. **Q** Vanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Eccl. 3.
2. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Iob 22.

## CONSIDERATIONES

PUNCT. 1.

**A**SCENDENS IESVS Hiero-  
solytam, seorsim assumpsit duo-  
decim discipulos, vt secreto eos allo-  
queretur. Quod queso Domine mi, hoc  
secretum est tanti momenti, quod non  
ab omnibus, sed à quibusdam tantum  
intimis amicis tuis vis audiri? Estne  
sublime & diuinum aliquod mysteriũ,  
& arcanũ tui æterni Patris? Ecce, inquit  
Iesus, ascendimus Hierosolimam, vbi  
filius hominis tradetur Principibus Sa-  
cerdotum, & condemnabunt eum mor-  
te, tradentque gentibus ad illudẽdum,  
& flagellandum, & crucifigendum, &  
tertia die resurget. Hoc est mysterium,  
& secretum, quod ante aduentum Chri-  
sti fuit ignotum, nec ab vllò homine  
auditum, nempe, quod ad ascenden-  
dum in altum, opus sit primo humili-  
ari & contemni; ad acquirendam  
quietem & pacem, nomine Hierusa-  
lem significatam, opus esse prius tradi  
in manus inimicorum crudelium, ac  
denique, si quis velit peruenire ad retur-  
rectionem & vitam, cum prius debet  
degustare amaritudinem mortis. Se-  
cretum verè occultum & profundum;  
nam principio homines solo lumine

BATA-



naturali ducti existimârunt, ad obtinendam pacem & beatitudinem, conueniens esse studium dignitatum & honorum: qua opinione licet falsa, decepti à dæmone primi parentes nostri, aspirârunt ad similitudinem Dei, pluraque scire optârunt quàm illis congruebat.

*Gen. 3.*

Atque hic ferè, quam diu mundus existit, vsque ad aduentum filij Dei in terram, hominum error fuit, ita alè mentibus humanis infixus, vt ipsi CHRISTI discipuli, post tot annorum cum eo conuersationem, & de-

*Esa. 55.*

ctrinam perceptam, teste Euangelista, nihil ex breui sermone quem ex industria de sua passione CHRISTVS ad eos habuit, intellexerint. O quàm differentes sunt, Domine mi, vitæ tuæ à vijs nostris, quia res illæ, quas homines non capiunt, immò fugiunt & detestantur tanquam causas miseræ & infœlicitatis, apud te sunt pretiosæ & desiderabiles, veraque media, quibus ad veram gloriam & beatitudinem peruenitur. Volens ergo CHRISTVS discipulos suos ab hoc errore liberare, & veritatis capaces reddere, quod eis multa prius in hac vita perferenda essent, quàm peruenturi essent ad gloriam & coronam:

vocat eos seorsim, & secretò exponit, se Magist. um & Dominum ipsorum Hierosolymis multa passurum, etiam mortem ipsam, & postea ad vitam reuocandum, vt nempe intelligerent, esse socium suæ passionis, esse donum quoddam singulare, quod non nisi caris suis amicis & fratribus communicare vellet. Nam qui digni fuerint, vt sint socij passionis, socij quoque eius erunt in gloria resurrectionis, sicut in cœna ipse disertè ijs dixit. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis* Et mox subiecit præmium,

Rom. 8.

Luc. 22.

Psal. 25.

Iac. 1.

Rom. 5.

dicens. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Quod benè intellexit ille Propheta, qui tam ardèter petebat à Domino igne tribulationis probari, dicens. *Proba me Domine, & tenta me, vt renes meos, & cor meum.* Vnde S. Iacob beatos vocat qui tentationibus à Deo probantur. Quod intellexit quoque Apost. cū scripsit. *Sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit* Nam, vt tubiūgit S. Iacob, quando homo per tentationem probatus fuerit, accipiet coronam

vitzæ . Quare & Deus diligentibus se immittere solet tribulationes, ad eos magis remunerandos, secundum illud B loannis. *Ego quos amo, arguo & castigo* Patriarcha Ioseph valde amabat fratrem suum Benjamin, & vt eum secum retineret, afflixit eum, imputando illi furtum, immisso in saccum eius scypho, ex quo bibebat. Similiter Christus quia amabat caros suos discipulos Iacobum & Iohannem, eosque volebat mensæ suæ secum assidere in cœlo, idcirco, dum ascenderet Hierosolymam, indicauit eis, si vellent ad cœlestem Hierusalem aliquando peruenire, necessarium esse, vt secum eundem passionis calicem biberent.

*Apoc. 2.  
Gen. 44*

2. OPINIO erat inter discipulos, CHRISTVM post resurrectionem suam temporaliter regnaturum in vrbe Hierosolymorum, eò quod paulò antè dixisset, quando filius hominis sederet in sede Maiestatis suæ, discipulos quoque sessuros in duodecim sedibus iudicantes duodecim tribus Irahel. Nam Iudæi putabant Christum suo aduentu restitutum regnum, quod erat in potestate Romanorum, vti declarârunt duo illi eûtes in Emaus, & dicentes. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redemptus*

*Luc. 24*

*vus Iſrahel.* Cùm ergo hi duo discipuli audissent à CHRISTO, eum post triduum resuscitandum, suspicarenturque tunc initium fore regni CHRISTI, confisi singulari benevolentia, quam erga eos semper demonstrârat, petitionem proponunt ambitionis & amoris proprii plenam, vt velit illis in regno suo addicere principem locum, sic, vt alter dexteram, alter sinistram eius teneat. O quàm longe aberant, benedicte IESU, cogitationes tuæ, ab horum discipulorum cogitationibus: tuæ enim plenæ erant humilitatis, caritatis, & desiderij inflammati ad patiendum pro nobis: horum verò discipulorum plenæ erant animi elati, & suorum comodorum cupidi. Quod si tanta cœcitas existebat in illis, qui omnibus relictis, tibi adhæserant, quæ cœcitas, quæ tenebræ erunt hominis carnalis, qui longe à te recedit, & corde totus terræ affixus, non aliud videt, non cogitat, non desiderat, nisi bona terrena & temporalia, cœlestiumque & æternorum omnino obliuiscitur, atque si nulla essent? Quia tamen boni hi discipuli non nihil verebantur petitionem suam non habituram locum, proponunt eam per matrem, vt

iuncta precibus maternis apud Dominum esset efficacior : ac fortè cogitabant, sicut Salomon opera matris obtinuit, vt sederet in throno regio patris sui, sic se quoque per matrem, è CHRISTO hanc gratiam exoratu-  
ros, sed opinio eos fefellit: nam mater Salomonis non fecit petitionem rogatu filij, sed prophetæ DEI, & ideo negotium illud, vtporè à Spiritu sancto directum, bonum habuit exitum. Hi verò, potius spiritu carnis moti, matrem incitârunt ad instituendam petitionem, quare neque mirum est eos sua spe excidisse. Verum cur bone DOMINE tam duro responso discipulos excipis, postulantes esse tui regni participes? Quid si dignitatem aliquam, extra te, tuumque regnum petiissent, quid diceres? Et si de cœlo venisti ad quærendas dispersas oves Israhel, tibi que adiungendas, cur hæ oves, dum petunt vicinæ esse pastori suo, patiuntur repulsam? certè id non est colligere in vnum oves, sed dissipare. At ex alia parte merito fuerunt hi discipuli à Domino reprehensi: Primò, quia tempore minimè idoneo petitionem suam proposuerunt, nam dum CHRISTVS eorum Dux &

Im-

Imperator cum illis seriò agit de suis afflictionibus, illusionibus, flagellis, cruce sustinenda: hi noui milites, vbi locus postulabat, vt operam suam industriamque offerrent, ad eosdem labores & dolores cum Christo tolerandos, cogitant de aucupandis honoribus & voluptatibus sectandis. Secundò, quia postulabant frui honore & gloria huius mundi, cogitantes **CHRISTVM** regno aliquo temporali potiturum.

Tertiò, quia ad hanc rem petendam non spiritu bono, sed cupiditate carnali & ambitiosa, vt omnibus alijs anteponerentur, impulsi erant. Vbi considera, si cupiditas temporaliter regnãdi, & appetitio honorum huius sæculi in eis reprehensa est, qui manebant in Societate Christi, quanto magis reprehendi debeat, in ijs qui Christum abiecerunt, hoc est, qui per vias & artes illicitas obrepunt ad honores huius mundi? De his enim Deus loquens per Prophetam, dicebat. *Ipsi regnauerunt, et non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui.* O quot hodie inueniuntur inter Christianos, etiam religiosi, qui arbitrantur sua desideria ne minimo quidem puncto discedere à Christo, suoque regno, imò suæ diuinæ volun-

*Osea. 8.*

tati esse prorsus consentanea: eo quod prætextu maioris Dei gloriæ, conseruationisq̄ suæ Ecclesiæ, vel certè vtilitatis & auxiliij proximorum expetant honores & ampliores dignitates. Qui si rectè rimarentur cordis sui penetralia, conscientiamq̄ & intentionem suam excuterent, fortasse deprehenderent & se hac reprehensione Apostolica dignos. Antequam Saluator moreretur in cruce, gloriabantur homines de purpuris, sceptris, coronis, & alijs mundi ornamentis, sed à morte CHRISTI, cui purpura fuit data in contemptum, corona in tormentum, sceptrum in ludibrium, non alio ferè modo licitum est Christianis aspirare ad dignitates, nisi quatenus in illis inuenitur, quod inuenit CHRISTVS, hoc est, opprobria, illusiones, poenæ, laborare supra omnes, pati plus quàm omnes, esse seruos & mancipia omnium.

3. CONSIDERA, quomodo Dominus misertus cæcitatibus suorum discipulorum, volens eos liberare à fumo & tenebris ambitionis, quibus oculi mentis eorum erant offuscati, dixerit *Nescitis quid petatis*. O immensam benignissimam IESV mansuetudinem, quod

quod cum petitio eorum esset ambitionis plena, non argueret eos quasi carnales, honoribus terrenis inhiantes, sed nec accuset de ambitione, vel quod prætextu suæ familiaritatis venarentur fauorem & comoda temporalia, more hominum sæcularium, sed potius dexterè & benignè illis indicat errorem, & nomine ignorantie obuelat lapsum, dicens, nescire eos quid petant. Ac verè Domine mi nesciebant, quia petebant à te participes esse regni temporalis, cum tamen regnum tuum totum fuerit spirituale.

*Ioan. 18.*

Vnde & dixisti ad Pilatum. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Dein de nesciebant, quia si ambitiosus, quando aucupatur honores & dignitates, sciret quid peteret, nunquam esset petiturus, ille enim tantum considerat speciem & pompam externam, quæ mundi dignitates plausibiles & optabiles reddunt in oculis hominum, at non videt, nec perpendit, quot curæ, dolores, amaritudines, & pericula sub ijs delitescant. Vnde ambitiosus, simulatque consecutus est, quod optauit, existimans se magnum fecisse questum, mox experitur, non esse nisi vanitatem, & afflictionem spiritus.

*Evangel.*

*Abi-*



Abimelec per cognatos matris suæ *Iud. 9.*  
 procuravit se eligi in Principem sui  
 populi, confidens omnia prosperè  
 successura, sed postquam voto suo po-  
 titus est, in magna afflictione vixit, &  
 cum dedecore mortuus est, nam ma-  
 nu vnus vilis mulierculæ caput illi  
 comminutum est. Absalon filius Da- *2. Reg. 10.*  
 uid, qui tanta ambitione peruenit ad  
 regnum, in summo dignitatis suæ flo-  
 re, fuga post dissipatum suum exerci-  
 tum dilapsus, tandem à capillis suspen-  
 sus hæsit in arbore. Similiter hi di-  
 scipuli nesciebant quid peterent, quæ-  
 rendo honores & dignitates, & non  
 meminerant honore excecari homi-  
 nem, atque à recta via deduci, vti legi-  
 tur de Rege Saule, quo antequam assu-  
 meretur ad regnum, *Non erat, inquit 1. Reg. 9. &*  
*scriptura, vir de filijs Israhel melior illo. 13.*  
 & alibi dicit, fuisse quasi filium vnus  
 anni, cum regnare cœpisset. Euectus  
 verò ad regnum, Deo rebellauit, à quo  
 & reprobatus est, exutus vita & re-  
 gno. Quare meritò benedictus IESVS,  
 humilitatis omnis Magister  
 reprehendit hos suos discipulos, quod  
 à se in hoc mundo postularent hono-  
 res: hæc enim postulatio ex aduerso  
 pugnat omnino cum sua doctrina,  
 & tot

& tot humilitatis exemplis per omnem vitam datis, imò cum eorum salute, ac proinde verissimè dixit, eos nescire, quid peterent. Ac certè quicquid homo extra Deum querit & desiderat, non est aliud, quàm nescire quid desideretur, vel quid quærat, deserto enim fonte claro & limpido, accedit ad riuulos aquæ turbidæ; relictis rebus æternis, querit res fluxas & caducas, neglecta veritate, amplectitur umbras, Itaque anima mea, hoc vnum tuum sit desiderium, amandi & colendi **DĒVM**, ei quæ adhzrendi, ac sanctam eius voluntatem præstandi. Hoc super omnia quære, hoc vnum postula, quia hoc ipsum est verè regnare cum Christo, magno quæ loco apud ipsum esse, non in hoc regno terreno & temporali, vt petebat mater filiorum Zebedæi, sed in illo cœlesti & æterno, vbi omnes sunt reges, omnes sedent ad dextram, omnes sunt benedicti à Domino. Vbi nemo inuidet gloriæ alterius, sed quisque tantum de aliena, ac de sua gloria exultat. O regnum excelsum, ô gloriosum: beati qui in te regnant & regnabunt, vbi **DĒVS** erit omnia in omnibus, & in eo solo omnes omnia possidebant.

4. CONSIDERA, quomodo benedictus IESVS eadem benignitate, qua ambitionem horum discipulorum reprehendit, eosdem instruat, & patefacto ipsorum errore simul viam demonstret, qua obtinere possint id, quod petebant eoq̄ue multo maiora. Illi enim petebant regnum terrenum, Christus verò illis etiam iter ostendit ad regnum coeleste, dicens. *Potesne bibere calicem quem ego bibiturus sum?* quasi diceret: Paulò ante audistis, me locutum esse de mea passione, qua ratione ego sim tradendus, flagellandus, illudendus & occidendus, ac deinde cum corpore glorioso ad vitam reuocandus: iam si huius meæ gloriæ consortes esse velitis, necesse est vt eandem mecum viam ineatis: nam ad magnum præmium perueniri nequit, nisi per magnos labores, nec potest exaltari, qui primo non fuerit humiliatus: nec conueniens est, vt postulet sessionem & requiem, qui prius nullum suscepit laborem. Magno siquidem vituperio dignus esset miles, qui vellet particeps esse prædæ & triumphi, & tamen nec animum haberet, nec voluntatem cum hoste manum conferendi. Igitur, *potesne bibere calicem, quem ego bibiturus*

## 444 MEDITAT. DE VITA

sum? Vbi vide quanta prudentia Dominus, ne discipulos suos adhuc infirmos & carnales obtereret, non dixit. Potestis vos profundere sanguinem & vitam vestram? sed dixit. *Potestis bibere calicem* comparans passionem potui, potui vere pretioso, quem bene cognouit Sanctus Propheta, quando dixit. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* At paulo post exposuit, qualis fuerit iste calix, dicens *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Præterea Dominus, vt eos alliceret ad bibendum hunc calicem, vt communione laborum suorum cum laboribus Christi promptiores redderentur ad eos amplectendos, subiunxit, *Quem ego bibiturus sum,* O dulcissime IESU, quis nunc erit, qui audeat se subducere, & nolit os suum applicare, vbi tuum applicaueris. Et quis miles tam angusti & abiecti animi est, qui nolit vel labores vel discrimina subire, quibus se exponit ipse dux belli & Imperator? Si Seruus scelerati Saul, cum videret Dominum suum Regem ruere in gladium sum, ne in hostium manus incideret, ipse quoque tanquam fidus comes in se gladium conuertit, vt cum eo in æternum quoque moreretur,

*Psalm. 115.*

*1. Reg. ult.*

quis erit, qui audeat Societatem in pati-  
 tiendo recusare CHRISTO, Regi  
 tam magno, Duci tam amabili, Domi-  
 no tam benigno & liberali, qui omni-  
 bus seruis suis, vnà cum ipso in hoc mū-  
 do paululum toleraturis, regnum celo-  
 rum, vitamque beatissimam impertit?  
 Antequam CHRISTVS asperam &  
 duram crucis & afflictionum viam con-  
 fecisset, pro abominabili, maledicta &  
 execranda ab omnibus hominibus ha-  
 bebatur. vnde in veteri lege scriptum  
 erat. *Maledictus homo qui pēdet in ligno.* Deut. 21.  
 At postquam Saluator mundi in se re- Gal 3.  
 cepit primos ictus & verbera antiqui  
 a duersarij, mundi, & mortis, spinæ con-  
 uersæ sunt in flores, clauis in gemmas  
 pretiosas, crux in insigne triumphis; ac  
 viæ, quæ prius tam asperæ & difficiles  
 apparuerunt, tam faciles & peruiæ fa-  
 ctæ sunt, vt non solum ab hominibus  
 robustis, verumetiam ab imbecillis vir-  
 ginibus, & teneris pueris fuerint fre-  
 quentatæ & decursæ. Vnde & hi ipsi A-  
 postoli, qui ante sui Magistri passionem  
 tam erāt timidi, & angusti animi, vt ne  
 nomē quidem crucis & passionis æquo  
 animo ferrent; post passionem ab eo in  
 cruce pactā facti sunt ita animosi & ar-  
 dētes, vt loco magnæ gloriæ & honoris

**Act. 5.**

haberent, si quid pro nomine Christi paterentur, ut scriptum est in Actis Apostolicis. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et magnus ille Apostolus, vas electionis, licet à Deo tot tamque præstantibus donis ornatus

**2. Cor. 12.**

esset, tamen de nullo eorum gloriari voluit, sed tantum de infirmitatibus suis, & cruce Christi. Ac ut prætermittam innumera alia exempla, legimus de illo ignito Martyre Ignatio, cum Romam à feris deuorandus duceretur, tanta martyrij cupiditate exarsisse, ut in hæc verba scripserit. *Vtinam fruatur bestijs que mihi sunt preparata, quas et oro mihi veloces esse ad interitum, et ad supplicium et allici ad comedendum me, ne sicut et aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ut deuorer.* Ignoscite mihi filioli, quid mihi pro sit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus: nihil de his que videntur desiderans, ut Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestia, cōfractio ossium, membrorum diuisio, et totius corporis cōtritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruatur. Verum quid mirum hunc passionis calicem tam optabilem & desiderabilem fuisse

**Epi. 14. ad Rom.**

scri-

feruis CHRISTI, cùm Dominus appositis semel diuinis suis labris infuso dulcedinis suæ amore, ab eo omnem depulerit amaritudinem? Et item quid mirum torrentem tribulationum, infirmitatum, tentationum, omniumque tormentorum, quæ cadere possunt in corpus humanum tam suauem & dulcem factum esse hominum gustatui, si primum defluxit per fontem illum dulcissimum, per illam auream venam, per pretiosissimam fodinam cordis amabilissimi Iesu Christi Redemptoris nostri?

5. CONSIDERA, quomodo hi discipuli inconsideratè, nulla meritorum suorum, vel legitimorum mediocri ratione habita, petitionem suam proposuerint, ita nunc quoque ad questionem à Domino positam, possentne bibere calicem, inconsideratè, non expensam carnis suæ imbecillitate, respondere, *Possimus*. Vbi videre potes, quantum cupiditas honorum hominem excœcet: nam si ipsi, qui metu mortis reformidabant Christum comitari Hierosolymam, nunc rogati, num possint cum Christo pati, spe honoris potiundi, omni difficultate exclusa, promptè respondent, se posse. O quanta vis est affectuum humanorum

huius mōdi, si n. se offerat aliqua dignitas vel honoris gradus, nullis periculis aut laborib. sinunt se cœci mortales ab illis vsurpandis depelli, simò aspirant ad illa, manibusq̄ue & pedibus procurare conantur, atque adeo noctu diuq̄ue Principum Prælatorumq̄ue portas pulsant, vt si non dextrā, saltem sinistrā alicuius dignitatis consequantur. Vide ingentem cordis humani peruersitatem. nec. n. vllus homo tam vilis, rudis & ineptus est, qui si rogetur, vt rem aliquam conficiat, cuius conficiendę artem ignoret, non mox respondeat, se non posse id facere, artis se expertem esse. Si autem ille idem rogetur, vt sit Prælati, Princeps, gubernet populos, continuo respōdebit, se non repugnare, se posse. O cæca ambitio, ô magnanimitas eiusdem vitij, quæ homines præcipitas in extremū exitiū; tu enim facis, vt homines se obstringant ad efficienda maiora, quàm sciant & possint, ad tollenda grauiora onera, q̄ humeris sustinere valeāt. vnde cōtingit, vt postq̄ voto suo potiti sunt, neglecta cura & salute pauperum subditorū, totos se dedāt cōmodis suis quærendis, pascant semetipsos, ac lana & fructibus ouium suarum duntaxat fruuntur. Quare eiusmodi hominibus,  
dum



dum pro officio honorifico sustinendo rogati respōdent, *Possumus*, fides habenda nō est: ea. n. ambitioſorum natura est nulla vt res tam ardua sit, quam negent se posse, modo consequantur quod volunt; necvillus labor tā magn⁹, ad quem tolerandum non se offerant, sed postq̄ adepti sunt, quod venabantur, non amplius ex eorum ore auditur, *Possumus*.

Ergo amabilis Magister, vt audiuit prōptum discipulorum animū, respōdit, *Calicem quidē meū bibetis*: Verum quid causæ est Domine mi, q̄ sis tam parcus in elargiendis bonis, quæ homines à te postulant in hac vita? & tam liberalis in ijs, quæ, vt i nature aduersa refugiat?

Quare ex altera parte, cū tu sis sapientissimus ille Emmanuel, qui nouit eligere bonum, & malum reprobare, minime dubiū est, id qd̄ tu in omni vita tua tam doctrina, q̄ exemplo fugiendum docuisti, vt sunt honores, & mundi dignitates, nō esse res amplius optabiles & expetibiles, vt pote quæ vehementer nos retardare possint à salute nostra: at quas tu ipse elegisti, & amplexus es, vt sunt ludibria, p̄secutiones, crux ipsa, eas esse res verè bonas & expetendas. Vnde & tu cōscijs thesaurorum in hoc calice recōditorum, tā libens & prōptus te ad illū

Ej. 7.

in Matt. 10

bibendum obtulisti, & in signum magnæ benevolentie eum tantum cōmunicas amicis carioribus: nam qui in hac vita nō fuerint confortes tuæ sacræ passionis, non habebunt partem tecum in regno cœlesti. Subiunxit deinde Dominus. *Sedere autē ad dextram, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Sed quare nūc dicit hic verax Magister, *Non est meum dare vobis, cū tamen alibi dixerit. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo?* Et in alio loco de eodem Patre dicit. *Quacūq; ille fecerit, & filius similiter facit.* Si ergo quicquid facit Pater similiter facit & filius, cur ergo dicit non esse suum dare illis? nonne ipse dixit discipulis suis. *Ece ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum?* Vbi considerandū, Christum Dominum nostrum pariter fuisse Deum & hominem, eumque tamquam Deum vnā cum Patre & S. Spiritu ab æterno disposuisse omnia, ordinasseque dona gratiæ & præmia vnicuique tribuenda. Deinde etiam ipsi Christo, vt homini, per vnionem quam habebat cū diuina persona, Pater æternus omnem potestatem dedit & iudicium, quātum ad executionem omnium earum rerū, q̄ ab ipso Patre ab æterno erant ordina-

Mat. 11.

Ioan. 5.

Luc. 22.

tae. Quare & nunc Dominus, loquens ut homo, sicut & petitio discipulorum de sessione ad dextrā & sinistrā facta est illi tanquā homini, optimè respondit, non esse suū dare q̄ peterēt. quasi diceret, se non posse, ut hominem, mutare ordinē Patris sui, & dare cui velit, sed illis tantū quib. ordinatum sit à Patre, sibiq; commissum ut daret. Vbi vide quā prudēter Christus ex vna parte non voluerit profus eorū petitionē repellere, ne animo dei cerētur: ex alia verò, nō voluerit quoque ei facere satis, & absolutè illis impartiri hanc gratiam, ne alijs discipulis daretur occasio meroris. Vnde benedictus Iesus, benigni prouidique Patris instar, ad alendum inter discipulos fraternam vnionem & caritatem, ita respondit, ut nullus turbari potuerit, omnesq; sperare possent: quod enim nulli sigillatim promittitur, id omnes sperare possunt se consecuturos.

6 Reliqui discipuli, audita horum duorum petitione, indignati sunt. Ecce ut vnus error ex alio nascitur. Duo illi discipuli carnaliter suam petitionem proposuerant, nunc cœteri item carnaliter ijs indignantur & conturbantur. Res. n. odiosa est, velle anteponi & imperare alijs, & maximè apud eos, qui similiter

aspirant & anhelāt ad dignitates, & non solum non superiores, sed nec æquales moderatè ferūt, vellentq; oēs homines sibi esse subiectos. Qui inordinati affectus maximè dominātur in aulis & palatijs Principū, vbi quiuis ad primū locum aspirat, vnde postea oriūtur, odia, inuidiæ, murmuratiōes, imò inimicitia capitalissimæ. Heu, si hæc maledicta pestis ausa est se insinuare in pauperem Christi societatem, quid non audebit apud potētes & sapientes huius mūdi, quæ nulla alia in re tēpus fallunt, & ingenia fatigant, quàm quomodo nūc ad hanc nūc ad illam dignitatem peruenire possint. Coeterum Saluator, vt simul & ambiciosum duorum fratrum animum, & coeterorum indignationem reprimeret vno eodemq; correctionis antidoto vtriusque morbū depulit, quia vna in ijs erat peccati radix, nempe appetitus honoris & gloriæ. Quod p̄stitit Dominus proposito eis discrimine inter mundi Principes, & Ecclesiæ Prælatos. Qui enim dominantur in mundo, solēt cum imperio potestatem suam exercere in subditos, subiiciendo illos, spoliando, fortunisque eorum & laboribus in proprium cōmodum & gloriam abutēdo. At Prælati Ecclesiæ ad illū gradū euecti

& euocati sunt, vt ipsi potius inseruiant subditis, dispēſando in eorum vtilitatē bona, q̄ à Christo acceperūt, eorumq̄ue bonum p̄prio cōmodo anteponendo. Vide quā contrariæ sint viæ mundi, vijs Dei; dignitates mundi, dignitatibus seruorum Dei. Hi enim hoc maiores sunt, quo plus se submittūt: eorumq̄ue magnificentia nō consistit in multitudine seruorum, magnorumque cōmodorum, sed in magnitudine laborum & afflictionum pro Christo perpeſſarum, & q̄ vitam etiam p̄ salute subditorum profundere sint parati. Vbi vides, non velle Christum his verbis tradere modum & rationem obtinendi dignitates, hoc est, vt tendāt ad eas p̄ viā humilitatis & caritatis, sed tātum docere, quemadmodum debeant eas administrare, si quādo eas, nō sua, sed aliorum voluntate & imperio suscepissent. Vel fortē ad coercendum inordinatum suorum discipulorum affectum, anhelantium ad primas sedes, voluit eos intelligere, illū fore maiorem & primum inter alios, q̄ omnium esset humillimus, q̄ que se cōtempso omnīū se faceret seruum & ministrū. Vt verò verba sua maiorem haberent vim & efficaciam, p̄ponit Domin⁹ illis exēplū suū dicēs. *Sicut filius hōinis nō*

*venit ministrari, sed ministrare.* ac si dice-  
 ret. Si ergo existens filius Dei, & ab ange-  
 lis adoratus in coelis, vestra causa sum fa-  
 ctus homo, veniq; nō vt alij mihi mini-  
 strarēt, sed ipse ministrarē hominib. in  
 terra, quare vos homines ambitiosi que-  
 ritis aliorū hominū ministeria, idq; nō  
 ad tubueniendū humanis vestris neces-  
 sitatib. sed vt alijs anteponamini, & vi-  
 deamini alijs digniores & maiores? Tu  
 solus verē mi Domine fuisti bonus Pa-  
 stor, & bonus Prælatus, perfectēq; leges  
 tuas & regulas tuas, p dignitatib. rectē  
 administradis cōditas, obseruasti. Si .n.  
 loquamur de humilit. te & ministerio a-  
 lijs delato, quis se plus humiliavit, q̄ tu?  
 nā cū esses Deus maiestatis, exinaniui-  
 sti te forma serui assūpta, & cū esses opi-  
 flex mūdi, nō tamen in eo dominari vo-  
 luisti, sed in extrema paupertate vitam  
 traduxisti, & inter ipsosmet discipulos  
 tuos professus es te eorū ministrū esse,  
 crebro seruiēdo illis, ita vt etiam more  
 seruorum linteo te præcinxeris ad abluē-  
 dos humiliter omnium pedes. Deinde  
 si sermo sit de caritate, totam vitā nulla  
 alia in re impendisti, quā in obeundis ci-  
 uitatib & villis, docendo, monēdo, visi-  
 tando & sanando infirmos, ac demū  
 sanguinem profundendo & offerēdo te  
 hoc

Ioan. 10.

Phil. 2.

Ioan. 13.

Heb. 1. &amp; 9.

hostiã pacificã in ara crucis pro humani  
 generis salute. Sed heu, quo perfectius  
 Dominus noster obseruauit has regu-  
 las, hoc dolendi maiorẽ causam habe-  
 mus, quod in mundo tam parum sint  
 cognite, & minus obseruate. Hoc enim  
 sine Deo nos condidit, suãque imagi-  
 ne dignos reddidit, non vt eũ imitare-  
 mur in diuinis operibus patrandis, sed  
 vt suã voluntati obsequeremur, vt pla-  
 ceret nobis, quod placeret ipsi; & displiceret,  
 quod ipsi displicet: atq; vt homo  
 se excusare non posset, quasi destitutus  
 esset exẽplo, quod imitari posset, Deus  
 ipse se nostra carne induit, exemplarq;  
 nostrum, in quod oculos defigeremus,  
 esse voluit, inuitans nos ad imitandum  
 se, non tantũ verbis, cum dixit, *Disci- Mat. ix.  
 te à me, quia mitis sum & humilis corde,*  
 sed multò magis viuus suã humilis cõ-  
 uersationis exemplis: Qui ergo Christi  
 humilitatem non imitantur, sed se su-  
 per alios attollunt, imaginem Christi  
 non habent: Similiter, qui non ample-  
 ctuntur eius paupertatem, sed opibus  
 inhiant, nolunt esse similes Christo. nec  
 enim verus discipulus esse potest, qui  
 non imitatur Magistrum, nec vera dici  
 potest imago, quæ non est similis suo  
 primo exemplari.

**O**RA Christum Dominum, vt qua caritate, non omninò repudiavit horum duorum discipulorum preces, imò etiam obtulit eis contrarium eius quod petiuerant, velit quoque semper repudiare tuas preces quæ sanctissimæ voluntati suæ, & saluti tuæ non fuerint conformes, illasque tantum admittere, quas in hunc finem iudicârit esse congruentes, nec vnquam permittere, vt tuo desiderio & voto satisfiat, nisi ad maiorem Dei gloriam animæque tuæ salutem ita expedire videatur.

## DOCUMENTA.

**1** **C**hristus Hierosolymam iter habes agit cum discipulis de sua passione. Vnde discimus, scalam qua ascēditur ad caelestem Hierosolymã, esse passionē Christi D. N cuius gradus sūt, excellētes virtutes qua in ea relucēt, vt humilitas obedientia, patiētia, caritas, honoris contēptus, paupertas cū reliquis virtutib. quã vt scalam ascendamus, operam nauare debemus, nec in ea consistere, dū ad culmē peruenerimus, in quo expectat nos Dominus ad completendum coronandumq; illos, qui vsque ad finem perseuerarint.

Mat. 24.

**2**, Si duo hi discipuli consiliū inijssent cū Christo sicus inierunt cum matre, non tã



ambitiosam petitionē proposuissent. Vnde docemur, quādo de honoribꝫ & dignitatibus suscipiēdis agitur, nō debere nos consilia inire cum parentibus & cognatis, qui potius cogēt nos ad precipitium, sed cū hominibus pijs et religiosis, qui affectuum humanorum expertes, dicant veritatem, & securum consiliū suggerant.

3. Dominus etsi ambitiosum discipulorū animū probè cognosceret, tamē reprehēdere, vel asperioribꝫ verbis excipere eos noluit, ne pudescerēt: ut intelligerent omnes qui animarū curā gerūt, ut magna benignitate & prudētia agāt cū subditis, eosque suauiter à peccatis absterreāt, & ad Deū deducāt: nam sapius tēta & occulta admonitio plus valet, maximè apud homines intelligentes & capaces, quā manifesta reprehensio, imò hac aliquando plus exasperat & abalienat.

4. His discipulis primum locum; apud Christum quarentibus, respondit Dominus, Nescitis quid petatis; Ac verè ita est, hominem ambitiosum, quādo aspirat ad honorū gradus & dignitates, nescire quid agat. Illa enim magno labore & sudore acquiruntur, magna sollicitudine & timore possidentur, ac tandem maximo dolore relinquuntur.

5. Chri-

5. *Christus D. N. iisdem discipulis dicens, Possentne eundem bibere calicem, quem ipse bibiturus esset, magnam nobis pudefendi occasionem dedit, dum se offert ad bibendum amarissimum passionis calicē, quē nos nostris peccatis promerueramus. nos autem, qui peccata ipsa commissimus ne gustare quidem, sed nec primoribus labris attingere hunc calicem volumus.*

*Ioan. 13.*

6. *QUANDO Petrus restitit Christo, noluitq; sibi ab eo pedes lauari, non legimus quenquam offensum vel scādalizatū fuisse. Sed nunc cum Iacobus & Ioannes petunt assidere Christo in suo regno, omnes discipuli indignātur & obmurmurant. Vnde discimus securius & quietius esse versari in statu humili & abiectō, in quo nullam inuidia, nullamq; obmurmurationi vel querele aliorum occasionem damus, quā in sublimi & honorato, quo omnium inuidiam, odium & amulationes in nos concitamus; sic ut nūquam in vera pace & tranquillitate, sed in magno metu & angore viuamus.*

7. *Verum quia necesse est in Ecclesia Dei esse Pralatōs & Superiores qui alios gubernet Christus Dominus noster, praclarē tum documento discipulis dato, tum exemplo suo informat nos, quales debeant esse*

esse Ecclesie prelati, ut videlicet se existimant & gerant se tanquam ministros & seruos suorum subditorum, ad instruendum eos, iuuandum & succurrendū omni officio caritatis.

2. Si Christus, Dominus orbis, in hunc mundum veniens, dicit se non venisse ut sibi ministretur, vel honor deferatur, sed ut ipse ministret alijs, sanguinemq; & vitam exponat pro illis, quantam causam pudefieri habent ij Prelati & Pastores, qui officium quidē Christi sibi usurpant, non ut vacent procuranda aliorum salutis, sed ut alijs dominantur & imperent; non ut eis distribuant suos redditus, multò minus autem ut vitam ponant, cū opus est, pro ouibus suis, sed ut fruantur earum lana, laboribusq; earum & sudoribus se suosque cognatos impingunt.

DE



DE CÆCO A  
CHRISTO SANA-  
TO IVXTA VRBEM  
IERICHO.

MEDITATIO XVI.  
EVANGELIVM.

Mar. 10.  
Luc. 18.

**P**ROFICISCENTE IESV  
de Iericho; & discipulis eius,  
& plurima' multitudine, filius  
Timæi Bartimæus cæcus sedebat iu-  
xta viam mendicans. Et cum audi-  
ret turbam prætereuntem, interro-  
gabat quid hoc esset. Dixerunt au-  
tem ei, quod IESVS Nazarenus  
transiret. Et tunc cœpit clamare &  
dicere. IESV fili David miserere  
mei. Et qui præibant, increpabant  
eum, & multi quoq; comminaban-  
tur ei, vt taceret. At ille multo ma-  
gis clamabat. Fili David miserere  
mei. Et stans IESVS præcepit illum

vocari. Et vocant cæcum dicentes ei. Anime quior esto, surge, vocat te, Qui proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum. Et Iesus interrogavit illum dicens. Quid tibi vis faciam? At ille dixit. Domine ut videam. Et IESVS dixit illi, Respice, & vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum.

## P R O P H E T I Æ

1. **D**ominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. *Psal. 146.*
2. Dominus illuminans oculos, dans scientiam, & vitam, & benedictionem. *Eccl. 34.*

## C O N S I D E R A T I O N E S.

**D**OMINVS pro sua immensa in *Punct. 1.*  
 nos caritate, nunquam sinebat occasionem benefaciendi elabi, nullisque laboribus parcebat, ubicunque videbat se sua præsentia prodesse creaturis. Ibat benedictus IESVS Hierosolymam versus ad perficiendam per crucem nostram redemptionem: nec voluit hoc breue iter suo fructu & lucro animarum carere, Sciebat in vrbe Iericho duos esse cæcos, alterum  
 in

in ipsa vrbe, alterum foris, vnum cœcum mente, alterum corpore. Prior erat Zachæus publicus vsurarius, Posterior hic Bartimæus filius Timæi, pauper mendicus. In vtroq; Dominus semina bonorum desideriorum notârat: vterque enim tenebatur desiderio videndi **CHRISTVM**, sed dissimiliter. Zachæus enim cupiebat frui præsentia Christi, cuius opera admiranda sæpè commemorari fortassis audierat. At Bartimæus cupiebat sibi reddi facultatem videndi. Transiens ergo **IESVS**, vt erat liberalis suorum donorum & beneficiorum dispensator, ingreditur ciuitatem, nec solum desiderio Zachæi facit satis, præbens se ei videndum, sed etiã proprio eum nomine compellat, seque vltro in domum eius inuitat, vt facta maiori suæ conuersationis & doctrinæ copia oculos quoque mentis illius illuminaret, vt agnoscens **CHRISTVM** esse suum Saluatorem, sibi totique familiæ auctor esset consequendæ æternæ salutis. Deinde **CHRISTVS** vrbe egressus, occasionem quoq; huic pauperi cæco præbet misericordiæ implorandæ, vt perfectam animi iuxta ac corporis ab eo adipisceretur salutem.

○ viscera amoris plena, ac prorsus, pa-

terna Dei nostri. Bone IESV, quantum zelum semper demonstraſti, quotque vijs & modis salutem hominū procuraſti? O anima mea, an putas forte non eſſe eundem Deum nunc in cœlo, qui erat cū verſaretur in terra? an exiſtimas abbreviatam vel debilitatam eius manum, vt non poſſit nos amplius ſaluare? aut imminutam eſſe ardētem caritatem & amorem erga homines, vt curam priſtinam noſtræ ſalutis abiecerit? An non Zachæus, & hic quoque cæcus æquè erant peccatores actu, vt CHRISTVS illis præſtaret ſimile beneficium, & non tibi? O quoties idem DEVS non minori amore venit ad te ſeq; permisit videri & audiri à te, quoties pupugit tuam conſcientiam, & ad cor tuum pulſauit, vocando & inuitando te, & tu aſpide ſurdior, ac lapide durior adhuc in tenebris cæcitatſ tuæ hæres, ſine ſalutis deſiderio, ſine cura à Domino hanc beatam lucem obtinendi, quam tantoperè tibi communicare deſiderat.

2. CONSIDERA infælicem ſtatum, in quo hic homo verſabatur: nam vt habet Euangelium, erat iuxta Iericho, pauper erat, & cæcus, ſedebat ſecus viā mendicans. Vide quot myſteria paucis  
his

his verbis sint comprehēsa. Quis enim alius erat iste homo, nisi infelix humanum genus, quod sua culpa exterminatum ex pacifica Hierusalem, ex Paradisi terrestri delitijs, vbi cum Deo & secum tranquillissima pace fruebatur, descendit in Iericho, in hunc mutabilē & turbulentum mundū, vbi in pœnā peccati in manus infernaliū latronū delapsū, exutum est innocentia & iustitia originali, omnibusq; gratiæ donis priuatū, atq; etiam in donis naturalibus debilitatum. Erat quoq; non solūm pauper, sed & cœcū, nam lethali vulnere, quod accepit in capite suo primo parente, intellectus fuit læsus, oculique mentis veræ sapientiæ luce priuati. Ac conueniebat sane eum qui non verebatur similis Deo videri, in eo, quod plura quàm suæ congruerent naturæ, cognoscere desideraret, remanere cæcum notitia sui & Dei destitutum. Ad hanc huius hominis cæcitatem accessit, quod non insisteret pedibus, sed sederet humi; nec mirum, nam vt scriptum est, Deus condidit hominem rectum rectitudine gratiæ, mente & corde in suum creatorem erectum: verūm per culpam lapsus, cū suis se viribus dirigere non posset, omnibus cogitationibus

*Gen. 3.**Ecc. 7.*

bus



hus & desiderijs in his rebus humilibus  
 & terrenis defixus permāsit. Sedebat er  
 go, sed secus viā. Quæ verò illa erat via,  
 nisi Christus, dicēs, *Ego sum via*; Nō se- *Ioan. 14.*  
 debat in via, quia nondum Christū co-  
 gnoscebat, nec sequebatur, alioquin ce-  
 cus non fuisset, cū dicat Christus. *Qui se-*  
*quitur me, nō ambulat in tenebris* Atta- *Ioan. 8.*  
 mē eū expectabat, & desiderabat, & idē  
 dicitur fuisse vicinus viæ, erat vicinus  
 veritati, sed eā nondū inuenerat: nā ve-  
 ritas nondū apertè erat declarata mun-  
 do. Mendicauit quoq; hic miser homo,  
 & misericordiam implorabat, sed à ne-  
 mine audiebatur, nec respiciebatur. Be-  
 ne multi per hāc viam transierant ante  
 aduentū Saluatoris; Primò trāsijt status  
 Leuiticus primorū sacrificiorū legis na-  
 turalis; deinde sacerdotalis ceremonia-  
 rū & sacrificiorū legis scriptæ: sed heu,  
 nullus in vtroq; statu eum respexit aut  
 subsidio ei fuit; quia nec vllus eū pote-  
 rat suis necessitatib. liberare. Immo in-  
 star huius turbe quæ Christū præcede-  
 bat, illum reprehēdebant, eiq; cōmina-  
 bātur, ac proinde timore pœnæ iniecto,  
 potius ei desperādi, quā sperādi desalu-  
 te occasionē præbuerunt. Venit deniq;  
 hic misericors Samaritan<sup>9</sup>, hic rāto perē *Luc. 10.*  
 expectatus & desideratus à toto mūdo,  
 qui

qui auditis miserabilibus generis humani vocibus se ei adiunxit, vulneraq; eius vino sanguinis sui lauit, oleoque misericordiae suae abundanter infuso non solum sanauit & illuminauit, sed etiam copiosis suis donis, & caelestibus charismatibus ornauit & ditauit.

3. **CÆCVS** audito strepitu transeuntis turbæ, interrogauit, quis nã transiret; vbi verò cognouit **IESVM Nazarenum** transire, ac fortè etiam laudes eius & miracula prædicari audiuit, mox veniens in cognitionem illum esse verum Messiam in lege promissum, neglectis omnibus alijs, ad solum **CHRISTVM** se conuertit, magna voce ab eo postulans, vt sui misereretur. Multo tempore hic cæcus hoc in loco remanserat, elemosynã ad sustentãdam vitam poscens, sed nunquam poposcit illuminari, nisi quando transijt illac **CHRISTVS**. Omnes eramus cæci, & tenebris peccati inuoluti, ac quod peius est, miseriam, cæcitatemq; nostram non agnoscebamus: quare & homo suae miseriae ignarus, non confugiebat ad illum, qui poterat eum ab illa liberare. Verùm postquam venit Sol iustitiae, cœpitque in nostris tenebris resplendere, tunc homo agnoscens suam  
defor-

deformitatem & periculum salutis, cōtinuò cū hoc cæco clamare cœpit. *Fili David miserere mei.* Brevis oratio, sed fide plena, & spiritu sancto digna à quo fuit dictata, ac etiam CHRISTO ipso ad quem erat directa. Nam vocando eum filium David, confessus est Salvatoris humanitatem è regia stirpe David assumptam; dicendo autem, *miserere mei* confessus est eius diuinitatē: idq; non solum confitendo eius omnipotentiam, quod possit sibi restituere visum, sed etiam credendo quod sola sua voluntate id possit præstare, quod proprium est solius Dei, qui ad subueniendum nostris necessitatibus, nulla alia re opus habet, quàm vt misereatur nostri. Percipiebat bonus hic cæcus strepitum prætereuntium, sed homines ipsos non cernebat. Omnes festinabant videre CHRISTVM, eumque sequi quocunq; iret: sed miser hic homo, indissolubili tenebrarum catena vinc̄tus, nullum ex omnibus membris corporis solutum habebat, nisi solam linguam. Quare cū CHRISTVM insequi nō posset pedibus, secutus est voce, clamans: *Fili David miserere mei.* Otenebras omni luce clariotes, ô visum acutissimum cæci, nam cum tot,

homines longè vicinioreſſent Chriſto, eumque ſequerentur, tamen eum tantum purum hominem eſſe credebant: at hic cæcus, licet longius à Chriſto remotus, agnoſcit & confitetur eum eſſe DEVM. Nec mirum. Nam cum proxima ei eſſet illa vera lux, quæ illuminat omnes mundi homines, prius illuſtrauit oculos mentis eius, quam corporis, prius ab eò ignorantix tenebras depulit, quam cæcitatſ corporalis, prius ei miſertus eſt, quam miſericordiam poſtularet; imò hoc ipſo, quod Deus illi communicauit tam claram ſui ipſius notitiam, & quod tanta fide petuiſſet ſanitatē, maiorem miſericordiam erga eum declarauit, quam poſtea reddendo illi videndi facultatem.

4. TVRBÆ præeuntes CHRIS-  
TVM, reprehendebant hunc cæcum,  
iubebantque tacere, fortè ea opinione  
imbutæ, non eſſe honorificum CHRIS-  
TO, ab homine tã vili & abiecto lau-  
dari. Verum non erat Dominus ſimilis  
magnis hominibus huius ſæculi, qui  
indignantur & pudeſcunt, ſi à pauperi-  
bus laudentur & honorètur. Dominus  
enim ſimulatque vocem huius cæci au-  
dit, ſubſtitit, plus ſimplicitate verbo-

tum illius ex fide viua prolatorum re-  
 creatus, quā tot encomijs turbæ ex mi-  
 nori fide profectis. Ex alia parte cæcus  
 quo plus prohibebatur, hoc clamabat  
 fortius: reprehensiones enim illi du-  
 plicem dolendi causam afferebant. Al-  
 teram, quia, cū nullo alio membro  
 nisi linguæ iuuare se posset, loqui ve-  
 tabatur. Alteram verò, quod cum cæ-  
 cus esset, ipsum impedirent, ne visum  
 recuperare posset. Clamabat quoque  
 fortiter, quia hæc natura fidei est, vt  
 cohibita magis accendatur. Vnde &  
 serui Dei in persecutionibus & con-  
 tradictionibus semper fortiores, ma-  
 gisque inuicti effecti sunt; sicut contra  
 tempore prosperitatis potius debilitan-  
 tur & languescunt in fide. Ad clamores  
 ergo cæci substitit CHRISTVS, & cum  
 eo turba vniuersa. Legimus in historijs  
 prophanis rem memorabilem de Cæ-  
 sare Traiano. Eū, magnis copijs in bel-  
 lum proficiscentem, cum in medio iti-  
 nere affl. cta quædam vidua interpellas-  
 set, multisque lacrymis rogasset, vt iu-  
 stitiā administraret aduersus percussor-  
 es filij sui, cuius laboribus vitā suā co-  
 leraisset, illū, inquā, misericordia motū,  
 vt erat natura admodū clemēs, cum to-  
 to exercitu cōstitisse, tentoria in medijs

campis fixisse, nec ante progressum, fuisse, quàm ius mulieri dictum esset. Quod exemplum non fuit nisi magnæ clementiæ & benignitatis hominis erga hominem. At Deum O. M. cæli terræque Monarcham subsistere, & aures præbere homini cæco & mendico, tantaque humanitate audire eius necessitatem, tanta benignitate eum ad se vocare & cum eo colloqui, ac denique tanta caritate oculos eius optata luce donare, hæc, inquam, clementia & bonitas hoc amplius excedit hominum misericordiã, quo Deus Maiestate & perfectione longius excedit omnes creaturas.

5. **MANDAVIT** ergò Dominus hominem illum vocari ad se. Mirabilis potentia verbi **CHRISTI**, nam simulatque cognouit se à Domino vocari, illico radio quasi lucis nouæ in mente illustratus, ac si iam videret, nec oculis corporalibus amplius opus haberet, adeundi **CHRISTI** causa surrexit, & abiecta veste magno gaudio, ac, vt quidam Euangelista dicit, quasi saltando accurret ad eum à quo vocabatur. O si vel particulam gaudij sentiremus, quod in corde sensit cæcus, cum intelligeret se à Domino vocari, vel et-

iam quod sensit Magdalena, quando ei deploranti fratris mortem, dixit soror, Magistrum adesse, seque ab eo vocari. tunc enim ipsa mox & fratris & sui oblita, deserto omnium nobilium, qui *IOAN. II.* ad eam venerant, comitatu, celeritè ad dilecti sui Magistri pedes accurrit. O anima mea, fac te quoque cæcam, claudendo oculos omnibus rebus quæ sunt extra te, & in te ipsam ingrediens, agnosce & confitere paupertatem tuam, & ignorantiam, deplora opera tot peccatorum tuorum mortua, & interno clamore misericordiam postula, si forte Dominus misericordia motus dignetur te vocare ad se, si non illa voce, qua vocavit dilectam suam sponsam, saltem ea, qua vocavit hunc pauperem cæcum, ut apertis mentis tuæ oculis, illum in sua æterna luce contemplari possis verum Deum tuum, veramque tuam lucem. VERVM benedicite IESV cur à cæco percontaris, quid sibi velit fieri? cum proprijs oculis eius miseriam videas, cur exigis ut vocet tibi suam calamitatem declaret, ubi ipsa per se loquitur & clamat? Vbi considera magnum zelum Domini pro salute nostra, & qua ratione omnes actiones suas semper direxerit ad id quod erat

utilius omnibus. Poterat Christus cæcū ad primam vocem exaudire, & cæcitate liberare, uti aliās cum alijs fecerat, sed permisit eum sæpius implorare misericordiam; permisit eum reprehendi, ut fortius & vehementius clamaret, permisit quoque, ut nullus è tanta hominum turba, ne Apostoli quidem, eius misererentur, & Christo cōmendarent,

*Matth. 15.* ut iam ante fecerant Cananææ. Deniq; voluit eū interrogare, ut in omniū præsentia suā infirmitatē declararet, quidq; à Christo postularet, nempe opus non humanum, sed diuinum. Atq; hæc omnia Dominus fecit magna sapiētia. Primò, ut hic cæcus in sua petitione persistens, cresceret in fide & merito, seque magis capacem redderet gratiæ à Christo accipiendæ. Secundò, ut fides cæci omnibus esset manifesta, ad confusionem & auxilium multorum, sequentium quidem Christum, sed nondum rectè credentium. Tertiò, ut factum hoc nulli obnoxium esset calumniæ, sed omnes cognoscerent hunc hominem verè cæcum fuisse, conspecto verò tam manifesto miraculo, mouerentur ad credendum in ipsum, cumq; profiterentur & reciperent tanquam Saluatorem.



6. CÆCVS, rogatus à CHRISTO, quid vellet, respondit se aliud non vel-  
 le, quam vt videat. Erat hic homo non  
 tantum cæcus, sed etiam valde pauper  
 & mendicus, & tamen cum Dominus  
 ei potestatem fecisset, petendi quic-  
 quid vellet, non petiuit diuitias, vel a-  
 lia huius sæculi bona, sed facultatem  
 videndi tantum: Petitio verè prudens  
 & desiderium verè angelicum: nam  
 petens videre, desiderabat consequen-  
 ter videre eum, in cuius vultum deside-  
 rant Angeli respicere. Quasi dixisset: *1 Pet. 7.*  
 Domine non postulo à te aurum vel ar-  
 gentum, sed tantum visum; qui cum tu  
 dixeris, Beatos oculos qui te vident, si  
 ego te videre potero Deū meum, & Sal- *Luc. 10.*  
 uatorē meum, nihil poterit aliud meæ  
 beatitudini deesse. Ex alia parte beni-  
 gnissimus Iesus, de quo scriptum est,  
 quod non despiciat preces pauperum, *Psm. 9.*  
 sed eorum desiderium exaudiat, nō so-  
 lum potenti verbo suo illi restituit aspe-  
 ctum oculorum corporalium, verum et-  
 iam interno lumine gratiæ suæ aperuit  
 oculos mentis. Neque mirum est vo-  
 cem Christi conuersam in lucem hu-  
 ius infirmi, nam erat verbum veræ lu-  
 cis à cœlo delapsæ ad illuminandos *Luc. 8.*

eos qui sedebant in tenebris & umbra  
 mortis. Subiunxit deinde. *Fides tuæ  
 saluum fecit.* Vbi perpende, morem do-  
 mini fuisse, vel laudandi eorum, quibus  
 similia beneficia præstabat, fidem, aut  
 sanitatem quam dabat, attribuendi me-  
 rito ipsius fidei. Quod faciebat, non  
 quod in nobis sit aliqua sufficientia  
 aut gratia ad alias gratias à sua Maie-  
 state promerendas, cum quicquid ha-  
 bemus eius dona sint & diuina benefi-  
 cia, sed primo, pro sua modestia & hu-  
 militate ad cauendam iactantiam, &  
 declinandam Iudæorum inuidiam. Se-  
 cundò ex amore ingenti; quo nos cu-  
 pit honorare, & bona sua in nobis lau-  
 dare, nosque gratiæ suæ cooperatores  
 habere. Tertio, pro auxilio & salute a-  
 liorum, vt intelligentes tanti à **CHRIS-  
 T**O hanc virtutem fieri, eiusque mi-  
 rabiles effectus quos operabatur in il-  
 lis qui illa præditi erant, mouerentur  
 ad imitandam eorum fidem, & sic cre-  
 dendo in **CHRISTVM** ipsi quoque  
 participes fierent æternæ salutis. Con-  
 sidera denique, hominem hunc, post  
 receptam à **CHRISTO** sanitatem,  
 neque recessisse, neque ad consuetam  
 sessionem & locum reuertisse; sed  
 neque amplius mendicasse; sed sicut  
 ante

ad se inuitare. Eiusdem efficaciam fuit illa inuitatio Petri, cum dixit Christo.

*Exi à me, quia homo peccator sum Domine,* quia sua profunda humilitate potius inuitauit Christum ad se, quam reiecit, causamque dedit ut CHRISTVS

Luc 1.

propius se illi adiunxerit. Similiter cum dixit Centurio, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum,* non ideo oc-

Matt. 8.

clusit ianuam CHRISTO, immò magis prouocauit eum, ut vellet animam eius ingredi, & omnia beneficia sua spiritualia ei communicare. Ceterum, que necessitas est ista, bone Domine, qua dicis te compelli ut diuertas in domum Zachæi? Tu enim, cuius est cælum & terra, nulla re nostra opus habes. Vbi

Psalm. 33.

considera, Dominum dixisse illud esse necessarium. Primò, quia hæc erat voluntas æterni sui Patris, & ipse hoc fine in mundum venerat, sicut paulò post dixit, ut quæreret, saluaretque quod prierat, inter quos erat & Zachæus. Dixit deinde esse necessarium, quia ad id illum impellebat immensus amor, quo erga nos flagrabat, & summum desiderium salutis nostræ promouendæ, quo fit, ut quoties initia bonæ voluntatis in aliquo apprehendit, mox illi obuiam quasi eat; eum præueniat, suam-

*Sap. 6.**Luc. 15.*

que operam offerat ac benignam quæque manum porrigat ad extrahendum illam à peccato, & perducendum ad vitam æternam, non secus, quam fecit ille clementissimus Pater, qui, conspecto à longè filio suo prodigo, humiliter cum dolore anteactæ vitæ domum reuertente, ex amore magno quo eum prosequabatur, non expectauit, donec appropinquasset, sed sponte illi occurrit, amplexus est, & dato osculo pacis, tanquam amantissimum filium recepit: Præterea admodum generosus & magnanimus est noster Deus: non nouit dare parum amicis suis, sed multum, non res paruas, sed magnas. Vnde pro terrenis dat cœlestes, pro temporalibus æternas. Atque ipse etiam dixit, si quis nomine suo rem aliquam huius mundi reliquerit, centuplum recepturum in hac vita, & in altera vitam æternam. Zachæo satis erat videre Christum corporaliter, verum qui in conferendis beneficijs non respicit meritum recipientis, sed magnitudinem & excellentiam donatoris, non solum voluit videndum se præbere Zachæo, sed etiam diuersari voluit in eius domo, vt diuturnius, & commodius posset frui,

frui sua desiderata præsentia ; & quod amplius est, ipsi, totiꝛue eius familiæ gratiam suam, & salutem æternam impertiuit.

6. CONSIDERA quanta consolatio & voluptas Zachæo fuerit, videri, præter omnem suam expectationem, se ab eo, quem tantopere videre concupierat, tantâ humanitate & benevolentia tractari, & voluntati suæ tam abundanter fieri satis. Vnde cogita quanta celeritate, & gaudio ab arbore desilierit, quantâque reuerentia se ad pedes tam benigni Domini abiecerit. Ex alia Parte bonus IESVS, atque si sine suo potitus esset, ouiculamque perditam reperisset, quam quæsierat, deserta turba solus cum Zachæo in domum eius abiit: vbi, vt habet Euangelium, cum gaudio est receptus.

Quod verò gaudium deesse poterat ei, qui habebat secum Deum pacis & consolationis? Nunquam vel in mentem venire potuisset bono Zachæo CHRISTVM in domum suam venturum.

Sicut turbæ quoque nouum & peregrinum visum est, tantum prophetam, quem ipsi ob doctrinam & miracula tantâ faciebant, posthabitis tot hominibus honoratis & pijs cum comitantibus.

diuertere in domum publicani, hominis per vsuras & rapinas infamis . O quàm longè abest iudicium DEÏ à iudicijs hominum . Tunc domus illa, quæ ob iniquos contractus & negotiationes prius erat infernus , vno momento ad ingressum CHRISTI facta est paradifus, sanctitate, iustitia & caritate plena ; Dominus enim suo ingressu , & Zachæum, & totam eius familiam sanctificauit. Quare & Zachæus antè in proximos iniustus, factus est iustus, omnia malè parata restituendo , atque etiam ex avaro factus est liberalis, & misericors, quia dimidium bonorum suorū dedit pauperibus. O mutatio dexteræ excelsi, ô admirabilis Zachæi deuotio . Vide quomodo camelus deposita diuitiarū sarcina , incipiat transire foramen acus, vt intret angustam portam crucis, & perfectionis Christianæ . Nam interim dum Zachæus restituit res malè paratas, facto ipso iniquitatem confessus est . & à iusto iudice CHRISTO veniam peccatorum consecutus est: & dum misericordiã exercet in pauperes, ex bono opere copiosum reportat meritum & gloriam . Nondum dixerat Dominus Zachæo , *Si vis perfectus esse,*

Psal. 76.

Mat. 19.

*Vnde, vende omnia qua habes. & da pauperibus, & veni sequere me.* Et tamen ipse sponte, non vt diues ille adolescens, qui cognito hoc consilio contristatus abiit, sed magno cum gaudio cæpit facultates suas erogare in pauperes, atque ex publicano & peccatore infami subito factus est perfectus discipulus Christi. Vnde benè subiecit Dominus. *Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahae.* Vbi vide, quàm præclare Zachæus paucis his actionibus imitatus sit fidem, virtutem & deuotionem magni illius Patriarchæ Abrahami. Vt enim hic egressus est è terra sua & domo, ad parendum diuinæ voluntati, sic Zachæus reliquit domum suam, aliaque omnia, vt desiderio sibi à Domino immisso satisfaceret. Abraham desiderabat videre diem Domini, sicut Christus dixit ad Iudæos: *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum.* Sic Zachæus magno desiderio tenebatur videndi Iesum. *Abraham vidit & gauisus est.* Similiter Zachæus vidit, & summo gaudio eum recepit. Abraham hospitio excepit Dominum vnà cum Angelis, cum iter faceret verius Zodomam, & Zachæus eum recepit vnà cum suis Apostolis, quando transibat Iudæam.

*Genes. 12.*

*Ioann. 8.*

*Gen. 18.*

*& 21.*

dzam, Abraham benedictione Domini consecutus est filium: Zachæus eiusdem benedictione, ex filio perditionis factus est filius Abraham. Abraham obtulit Deo filium suum, Zachæus eidem suas facultates. Ille domum obtulit ex hærede, hic ex hæreditate. Merito ergo Zachæus dicitur filius Abraham, eo quod tam bonus fuerit paternarum virtutum imitator: nobis interim viuum quoque relinquens exemplum, quibus officijs, bonisque operibus promereri possimus, vt reputemur inter filios Dei Patris nostri, cuius Abraham typum & figuram gessit. Si ergo volumus esse veritatis Patris filij, laboremus esse imitatores talis fratris, ne propter multa peccata nostra animum despondeamus & desperemus: si enim fecerimus, quod fecit Zachæus, poterimus quoque promereri quod ille promeruit:

7. CONSIDERA nunc anima mea, quam generosus & liberalis sit hic Dominus, quantamque benedictionem afferre solet ijs locis, quibus se presentem sistit. Nam cum esset in vtero matris ingressus domum Zachariæ, sanctificauit. Ioannem, & matrem Spiritu sancto repleuit. Natus mundo ingressus est stabulum, & conuertit in

*Ibid. 22.*

*Luc. 3.*

*Luc. 2.*

para-



paradifum. Ingressus est fluuium Iordanem, & mox indidit aquis vim peccata expiandi. Ingressus est domum Petri, & mox soctum eius à febre liberauit. Intrauit domum Archysynagogi, & filiam eius à morte excitauit. Intrauit domum Pharisei, & peccatricem iustificauit. Intrauit & nunc domū Zachæi, eumque iustificat, & donis diuinæ suæ gratiæ locupletat, ac familiam quoque eius totam salute donat, sicut Dominus ipse testatur. *Quia, inquit, salus huic domui facta est.* O si hic dominus, & cælestis benefactor dignaretur ingredi pauperculū tui cordis hospitium, quantū illud ditaret; quot donis compleret? ex immundo enim facere mundum & purū, ex infirmo sanum, è frigidò accensum in suo amore & ardēs. Certe si nō omnibus modo locis in quibus dominus versatus est, sed etiam omni qui meruerunt eū attingere, tantam sanctitatem & salutem attulit: sic vt etiam passionis suæ instrumenta, vt spinas, clauos, crucemque ipsam suæ sacrae humanitatis tactu adeo sanctificārit, vt iam illa veneremur tanquam sancta: quantam salutē credimus conciliari animæ iusti, quando per cæleste & viuificum Eucharistiæ sacramentum di-

gnatur ingredi illam? quam sanctæ sunt manus, quæ sanctum os, quæ merentur attingere & degustare illum panem de cælo delapsum, quam sacrum pectus, in quo ipse Deus dignatur corporaliter habitare? Nam salutaris hic cibus, quia omnis boni auctorem in se continet, omnia quoque dona & charismata cælestia apportat illis, qui eo pascuntur. Hic cibus est vera animæ nostræ vita, vulnerum nostrorum medicina, infirmitatum salus, & in omnibus laboribus ac afflictionibus solatium & refrigerium. Hoc anima nostra arctissimo amoris vinculo cum cælesti sponso suo coniungitur, hoc illustratur intellectus, voluntas inflammatur, & confirmatur memoria. Hoc coercentur prauæ inclinationes, & bona desideria accenduntur. Deniq; hoc cælesti pane nobis accedit robur & virtus ad ambulandum cū Propheta Helia vsque ad montem sanctum Dei, in quo beatissima visione, infinitæ dulcedinis torrente perfectè satiabimur in æternum.

\* \*  
\*

*Ioan. 6.*

*3. Reg. 9.  
Psal 39.*

quo impugnetur vehementius, hoc exempla huius cæci debet pugnare ardentius & alacrius & cum desiderio & oratione ad Deum clamare, nec de divina misericordia diffidere, quia citra dubitationem tandem exaudiet, & vocando illum ad se, lucē & tranquillitatē animi illi restituet.



DE INGRES-  
 SV CHRISTI IN  
 DOMVM ZA-  
 CHÆI.

MEDITATIO XVII.  
 EVANGELIVM.

**I**ngressus Iesus perambulabat Iericho, Et ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues, & quærebat videre Iesum quis esset, & nō poterat præ turba, quia statura pusillus erat & præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, ut videret eū, quia inde erat transiturus; Et cū venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illū & dixit ad eum, Zachæe, festinās descēde, quia hodie in domo tua oportet

et me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cū viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset; Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum. Ecce dimidiū bonorum meorū, Domine, do pauperib. & si quid aliquē defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eū. Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahe. Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.

## P R O P H E T I Æ.

Psal. 9.

1. **D**esiderium pauperū exaudiuit Dominus, preparationem cordis eorū audiuit auris tua.

Sap. 6.

2. Sapientia facile videtur ab his, qui diligūt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam: praoccupat qui se concupiscūt ut illis se prius ostendat.

Ezec. 33.

3. Si impius egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit iudicium, & iustitiam, et pignus restituerit, rapinamq; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, vitæ viuet, & non morietur, omnia peccata eius qua peccauit non imputabuntur.

Ibid.

4. Nolo mortem impij, sed ut conuertatur à via sua & viuat.

CON-

## CONSIDERATIONES

**I**ESVS benedictus ingressus ciuitatem iericho, ambulauit per illā. Hæc *Punct. 2.* est antiquissima & illa famosa ciuitas, quæ primo loco à magno illo belli Duce Iosue in ingressu terræ promissionis fuit capta, omnibusque habitatoribus eius cæcis funditus vastata. Saluator ergo mundi, qui non ad perdendas, sed saluandas animas uenerat, sicut Iosue hanc ciuitatem obsedit & circuiuit, ad eam destruendam, ita ipse, uti redemptor, eandem obsedit, & perambulauit ad eam saluandam. Et sicut idem Dominus in lege veteri fuerat erga hanc ciuitatem **DEVS** uindictæ, sic nunc uolens eam restituere suæ gratiæ & beneuolentiæ, se demonstrat erga eam patrem misericordiæ & omnis consolationis. Siquidem eam tum diuina sua præsentia, tum doctrina sua atque miraculis nobilitauit. In ea enim lucem reddidit cæcis, principem publicanorum Zachæum conuertit, totāque eius familiam ad salutem adduxit. Quid uerò aliud significabat hæc vrbs iericho, quod interpretatur *Luna*, nisi hūc mundum uolubilem & inconstantem? quod re-  
 & dicitur cæcus, quia priuatus oculis  
 & lu-

& luce intellectus, non cognoscebat nec  
 colebat suum Creatorem. Erat quoque  
 domus publicanorum & peccatorum:  
 nam vt dicit Apostolus S. Ioannes. *Mā-*  
*ndus totus in malo positus est.* nec mirū  
 quia princeps & caput illius erat dæmō  
 omnium peccatorum princeps. Vt er-  
 go Saluator lux mundi ad hanc ciuita-  
 tem Iericho peruenit, illuminauit tene-  
 bras ignorantiae illius, salutemq̄ e æter-  
 nam illi apportauit. Ingressus autem  
 bonus IESVS Iericho, non vt Iosue ar-  
 matus, sed vt auctor pacis, non ad eam  
 euertendam, sed restaurandam. O si vi-  
 disses illum hominū amatorem obediē-  
 tem per urbem, & studiosē quærentem  
 peccatores, vt aliquem ex illis ad se at-  
 trahere & saluare possit. Vide quomo-  
 doibat tanquam bonus Pastor totus sol-  
 licitus in quærendis ouibus abierit. I-  
 bus vt eas reduceret in suum ouile. Ibat  
 tanquā Medicus ingeniamore animas  
 infirmas quærens, & cupidus restituendi  
 illis sanitatem; Ibat velut peritus Ma-  
 gister ad docendum homines viam sal-  
 lutis. Ibat denique instar callidi venatoris  
 cum summo desiderio agendi præ-  
 dam non iam ferarum syluestrium, sed  
 animarum & cordium humanorū. Et  
 ideo non parcebat labori, sed semper  
 aim-

I. Ioan. 5.

Ioan. 10.

ambulabat nunc huc, nunc iluc, extendens prædicationis suæ, & miraculorū rete: aliquando etiam simplici aspectu corda quasi telo feriens, admirandaque potentia & suauitate ad se attrahens *LUC 7.*

Sic cepit Magdalenam, quæ capta aduoluit se ad sanctissimos eius pedes, & lachrymis sordes interiores animæ suæ abluit, ac ex meretrice publica, facta est speculū poenitentium. Sic fecit Mattheo, quando eum respexit, & ab iniquitatis telonio vocauit ad perfectionem vitæ Apostolicæ. Sic denique dulcissime & misericordissime Domine, *Mat. 9.*

fecisti huic peccatori Zachæo, nam non antè egressus es ex vrbe Iericho, quàm animam eius prædatus esses, eumque clementer ad poenitentiam statū vocasses. Heu, Domine mihi, quot sunt hoc tēpore homines qui expertes gratiæ tuæ instar bestiarum & ferarum syluestrium obsequuntur suis cupiditatibus inordinatis & carnalibus?

Age Domine, per eadem misericordiæ viscera, quibus iam ex alto nos visitasti, *LUC 11.* emitte, obsecro, quoque nunc de cælo sagittas potentes & salutare in animas nostras, vt timore tuo sancto & amore *PSAL. 118.* transfixæ, deserant omnes consuetudines carnales & beluinas, & initium faciant vitæ piæ & Christianæ ad hono-

rem & gloriam diuinæ Maieftatis.

2. **CONSIDERA** statum Zachæi, antequam cœlesti gratia præuentus, in alium hominem mutatus esset, & deserta rerum terrenarū cupiditate, particeps fieret copiosarum benedictionū, quas ineffabilis Dei bonitas illi communicauit. Erat Zachæus homo passim notus, non fama virtutum, sed vsurarum & aliarum iniustarum rapinarum, quibus cupletior erat factus; deinde ob suam quoque authoritatem: erat enim princeps & caput publicanorum, qui id temporis pro publicis peccatoribus, ob fraudes & dolos, qui in illo officio committi solent, habebantur. Iam ergo cogita quis status potuerit esse Zachæi, in quo auaritia coniuncta cum auctoritate humana dominabatur, vbi non erat modus, neque terminus inexplebilis cupiditatis lucrandi, & amor pecuniæ velut densissima nebula ita obtexerat peccatus, vt oculos in cœlum ad vera bona attollere non posset, & ideo non cognoscebat, non quærebat, nec amabat aliud, quàm opes terrenas, & bona temporalia: & quia honestis artibus instituto suo facere non poterat satis, ab auaritia impulsus totum se in mare iniquitatis immergebat, atque ita miser homo



mo longius indies à Deo recedebat, nō  
 animaduertens, quo maiorem qua-  
 stum faceret caducorum bonorum, hoc  
 se indigniorem reddi thesauris coele-  
 stibus. O status verè infœlix. O vita mi- Ez. 18. 33.  
 serabilis eorum, qui velut mancipia si-  
 nunt se hoc pessimo auaritiæ vitio irre-  
 titi. Verùm tu Pater misericordiæ, qui Sap. 11.  
 non vis mortem peccatoris, sed vt con-  
 uertatur, & viuat, & ideo dissimulas  
 peccata hominum propter pœnitentiã,  
 iam multo ante decreueras hanc mise-  
 ram animam è tantis tenebris eripere,  
 diuiniq̃ue amoris tui igne obscurã illã  
 nubem, quæ oculos mentis eius ope-  
 ruerat colliquefacere. Atque idcirco tã  
 clementer inspirasti cordi eius sanctum  
 desiderium, quo permotus tui videndi  
 cupiditate teneretur, videndo autem ad  
 obtinendam salutem perduceretur, vt  
 voce exaltationis vnà cum fidei tuo  
 seruo iacob dicere posset. *Vidi Domi-*  
*num facie ad faciem, & salua facta est* Gen. 32. 1.  
*anima mea.* Vide quàm bonus & suauis  
 est Deus, quàm promptus est ad præbē-  
 dam homini occasionem, vt peccare  
 desistat, & ad se conuertatur; quanta be-  
 nignitate eum præuenit, & quãto amo-  
 re postea eum recipit. Nunquã Zachæ-  
 us adisset Christum, nisi CHRISTVS  
 prius

prius adijisset ipsum, & dignatus fuisset ambulare per Iericho. Nūquam etiam Zachæus deseruisset negotiationem suam ad videndum **CHRISTVM** transeuntem, si cordi illius nō prius impressisset desiderium videndi ipsum. O anime Christianæ, si miseria & fæditas peccati non sufficit, vt ab eo abhorreatis, & confestim illum desideretis minimū vos moueat tanta bonitas & benignitas vestri redemptoris, vt præteritis erratis per pœnitentiam deletis, conuertamini ad ipsum, dum vobis largitur tempus & commoditatem, dum vobis est proximus, & transit per viciniam vestram. Væ illi, qui cum vti posset hac sua diuina bonitate & lōganimitate sua culpa neglexit. veniet enim tempus cū vti optabit, & non poterit: & tunc quo maior fuerit Dei patientia in expectanda pœnitentia, hoc durior erit seueritas iustitiæ in castigando.

3. **CONSIDERA**, quod etsi talis fuerit Zachæi status, qui poterat cū potius prouocare ad contemnendum humilem **IESVM**, quàm amplectendum, erat enim homo copiosus & potens, ac deprauatæ vitæ; nihilominus magnum videndi **CHRISTI** desiderium ostenderit, sciebat enim beatos oculos esse, qui

qui eum videre possent; & ideo egressus est domum suam, omniaque negotia, quae praemanibus habebat, deseruit, non ex vana quadam curiositate, ut Herodes, sed ex deuotione, bonaque voluntate, desiderans cognoscere praesentem, de quo ex hominum sermonibus admiranda quaedam narrari audierat. O quot exemplo Zachaei cupiunt videre Christum, & esse beati; sed ita, ut nulla in re sibi incommodare velint, nolint quoque negotia & lucra temporalia relinquere. multo minus vero manus ad opera & labores extendere, ut vna cum Zachaeo insiliant in arborem crucis. Desiderabat itaque Zachaeus videre CHRISTVM, sed non poterat praeturba, quae illum circumstabat. Vide, neminem, tam cito in animo constituere posse de imitando CHRISTO, ei que adherendo, quia illico multa se obijciant impedimenta & obstacula, quibus retardetur, & aliquando omnino a sua conuersione reuocetur. Zachaeus quidem duo habuit impedimenta. Vnum internum, alterum externum, nempe turbam, quae crebrius pro suo more impediuit venientes ad CHRISTVM, ut ab eo iuuantur.

Haec conata est impedire caecum Ierichuntinum, ne obtineret a Christo o-

LUC. 18.

*Matt. 9.*

culorum lumen, dum eum reprehendit, & minata est, ni taceret. Hæc impediuit paralyticum, vt aditum habere non posset ad CHRISTVM. Hæc etiam illudens CHRISTO, impedire voluit, ne excitaretur à mortuis filia Archisynagogi. Quamobrem mirum non est, si impediuerit quoque Zachæum, ne videre posset Christum. Haud se cus solet importuna & malitiosa hæc turba magna impedimēta opponere illis, qui amore Christi se totos dedicare volunt diuino cultui & seruitio; nam in hos statim incurrunr parentum & cognatorum, opum, honorum, & voluptatum turbæ, ac mille artibus & dolis diabolicis conantur illorum institutum retardare: cùm tamen contra, si quis longè recedat à Deo, dedatque se solutioni vitæ & peccatis, nullum habeat repugnantem, nullum mouentem vel deterrentem, immò verò etiam non desint, qui factum eius collaudent, & se illi socios & comites addant, vt citius illum præcipitent in infernum. Proh dolor, eoiã impietas progressa est, vt si quis saluti suæ operam dare velit, vndique inueniat oblocutores, & hostes: si autē rueret velit in tartara, non desit qui opere & consilio adsit & patrocinetur.

At

Alterum impedimentum internum Zachæi erat, quod esset statura pusillus: hæc enim eum impediuit, quominus in tanta hominum multitudine CHRISTVM præsentem intueri posset, Pusillus erat corpore, sed animo excelsus, corpore erat in terra, sed mente tangebatur cælum, immo quo humilior erat in seipso sin tanta turba, hoc sublimior erat in cælo apud Deum, cum dixerit. *Qui se humiliaverit sicut paruulus iste, hic maior est in regno* *Matt. 18. cælorum.* Hic vide quã benè fecerit Zachæus, quod sui principatus, opumque immemor, instar hominis vilis & plebæi, immò pueri, in conspectu tantæ multitudinis cucurrerit, & arborem ficum proximam viæ, quàm CHRISTVS transibat, conscenderit: neque valde laborârit ludibrio à ludæis haberi, quod homo tantus in arborem insiliret, causâ conspiciendi hominis pauperis & humilis, cuiusmodi erat IESVS. O eximiam prudentiam Zachæi, non humanam, sed diuinam, qui tam benè nôtat omnes huius mundi respectus pedibus supplantare: quare meruit non solum CHRISTVM videre, sed etiam ab eo videri & vocari, imò recipere eum

& in domum, & in animam suam.

4. CONTEMPLARE nunc Zachæum in hac arbore, quanto desiderio & deuotione Dominum aduenientem expectâit, vt dulci eius aspectu perfrui posset, existimans se ea re beatiorē, quàm omnibus alijs huius vitę delitijs futurum. Vide quàm præclaras virtutes, hoc exiguum boni desiderij semen produxerit in eius anima. Nondum Zachæus audierat dicentem Christum, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et iam factis incipit præstare Evangelica cõsilia, abnegat enim seipsum, dum nullam rationem habet suę dignitatis: nullam obloquiorum, vt suo proposito faciat satis. Cœpit quoque tollere crucem, dum non fugit laborem insiliendi in Sycomorum, quę dicitur ficus fatua. Quę arbor non aliud significabat, quàm CHRISTI crucem, quæ teste Apostolo, Iudæis fuit scandalum, & gentibus stultitia. Denique & secutus est CHRISTVM desiderio interno, & cordis præparatione. Vnde mirum non est Iesum, cum ad locum illum peruenisset in solum Zachæum, neglecta turba qua stipabatur, fuisse intentum, eumque vocasse, secundum

*il-*

*Mat. 16.*

*1. Cor. 1.*

illud, quod per Prophetam dixerat, *Ad Esa. 66.*  
*quem respiciam, nisi ad pauperculum &*  
*contritum spiritu, & tremementem sermo-*  
*nes meos?* Erat quidem Zachæus dives  
 nummis, sed inops virtutum & gratiæ  
 cœlestis: sed tamen contritus corde, à tē  
 pore enim, quo CHRISTVS illi immi-  
 sit desiderium videndi se, in alium ho-  
 minem mutatus est, cœpitque se dispo-  
 nere ad gratiam, quam Dominus suo re-  
 spectu illi postea communicavit. Ti-  
 mebat quoque DEVM: licet enim  
 alio modo potuisset videre Christum,  
 parando viam & aditum per turbas, ta-  
 men conscientia peccatorum suorum à  
 qua pungebatur retractus, non audebat  
 in conspectum eius prodire, vel pro-  
 pius eum accedere. Verùm illi diuini  
 oculi, qui non in externam speciem,  
 sed in internum cordis affectum conij-  
 ciebantur, in solum publicanum pro  
 peccatore se agnoscentem conuersi sūt,  
 huic soli IESVS suo respectu attulit gra-  
 tiam & remissionem peccatorum, a-  
 lijs omnibus relictis, qui se reputabant  
 iustos, & Zachæum aspernabantur. Bo-  
 num igitur fuit Zachæo vidisse Chri-  
 stum, sed multo melius visum fuisse  
 à CHRISTO. Hic cogitare potes,  
 quantus amoris ignis diuino illo Chri-

sti intuitu in corde Zachæi accensus fuerit, quod, excluso omni desiderio & affectu terreno, ineffabili gaudio & consolatione repleuit. O anima mea tepida; anima negligens, quàm exile in te desiderium est videndi Deum gloria & Maiestate circumdatum; comparatione ardoris quo hic publicanus, orbarus licet fidei lumine, flagrauit, vt videret eum tantum corporaliter. Hoc desiderabat olim bonus Moyses, cum dixit, *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Hoc quoque desiderio ardebat sponsa, dicens, *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* ubi, nimirum beatissimo tuo conspectu pascas tuos electos, & ubi circumdatus perfectissima, splendidissimaque luce, qualis solet esse in meridie, perpetua quiete & tranquillitate fruâre? Sed mirum non est tibi non inesse hoc sanctum desiderium, cum careas amore, ex quo illud procedit. Certè, si non te ipsum tantopere amares, & res mundi, sed totum amorem tuam collocares in Deo creatore tuo; nō dubium est, quin tu, nō secus, quàm qui obscuro diurnoque carcere conclusus summo desiderio tenetur perfruendę lucis, optatura sis cito ex hoc

*Præf. 4.**Exod. 33.**Cant. 2.*



tenebroso ergastulo, corpore scilicet *Rom. 8.*  
 mortis huius egredi, ut iucundissima  
 visione solis iustitiæ, qui cœlestem &  
 sanctam Hierusalem illustrat, aliquan- *Apoc. 22.*  
 do perfrui possis.

5. DOMINVS igitur attollens gra-  
 tiosissimos oculos suos, respexit Zachæ-  
 um & in signum benevolentiaë compel-  
 lauit eum suo nomine, dicens: Zachæe  
 festinans descende. O bonitas infinita  
 Saluatoris. Non aliud desiderabat, nec  
 quærebat Zachæus, nisi videre faciem  
 tuam: qua conspecta summa consola-  
 tione est affectus. Quid ergo bone IESU  
 cum vocas, cur iubes descendere?  
 quid opus erat tanta festinatione? Ar-  
 denter amat Dominus animas nostras,  
 & ideo tanta eius promptitudo est in  
 conferendis gratijs & beneficijs spirita-  
 libus, ut omnem morâ grauatim ferat,  
 Volēs ergo misericordiam præstare, &  
 remunerari Zachæum, ob deuotû affe-  
 ctum, quem erga se demonstrabat, mā-  
 dat ei ut subito ex arbore descendat. Pri-  
 mū verò & maximū beneficiorū omnium  
 q̄ Dominus illi vnq̄ præstitit, fuit illud,  
 q̄ mox subiunxit. *Quia hodie in domo  
 tua oportet me manere.* O caritas magna  
 nimis, ô pietas verè admirabilis. Nō cō-  
 tentus fuit hic vnicus animarū nostra-

rum amator, facere illi sui copiam, præbere videntum, & tam familiariter alloqui, verum etiam, quod Zachæus non dico petere, sed ne cogitare quidem audebat, voluit sponte diuertere in domum eius, & cum eo cibum sumere. Legimus non semel Dominum rogatum & inuitatum, cibum cum alijs sumpsisset nusquam autem legimus, nisi hoc loco, quod non inuitatus, se ipse inuitarit. Quanquam ne iam quidem, nisi à Zachæo inuitatus, videri potest adijisse eius domum, non ratione inuitandi ordinaria, sed alia multò efficaciore, sic vt potuerit dici non solum inuitatus, sed etiam impulsus ad eundem. Vnde & rectè Dominus dixit, *Oportet me manere in domo tua.* Non audierat quidem CHRISTVS vocem Zachæi inuitantis, sed bene viderat affectum & desiderium eius recipiendi CHRISTVM in domum suam, nisi propriæ indignitatis conscientia obstitisset. Atque hæc ipsa Zachæi humilitas apud CHRISTVM fuit inuitatio valde efficax: plus enim à Christo imperrat, qui in se quidem rem aliquam desiderat, & ob imperfectionum suarum conscientiam non audet eam expetere, quàm qui suæ iustitiæ confusus audet Christum

ad

mur merito illorum Sanctorum, qui eo tempore quo in hoc mundo versabatur, eum sustentabant, illique seruiiebant, voluit nobiscum remanere in membris suis, qui speciatim sunt pauperes: sibi enim factum reputat, quod fecerimus illis. **E**n ergo possumus, si volumus, non minori merito quam Martha ministrare Domino, eique in necessitate subuenire. **V**ERVM Domine mi magnum non est, si vel omnes homines se dedant seruituti tuae diuinæ Maiestatis, cum tot nominibus sint tibi obligati: sed id verè admirabile & magnum est, nulloque ingenio humano comprehend. potest, te orbis totius conditorem ita voluisse dimittere, ut volens fieri seruus omnium tuarum creaturarum, non solum Angelos, cœlos, aliasque res omnes, sed etiam propriam personam ac vitam propriam impendendo in ministerium & salutem hominum, quod illis verbis expressisti. *Non veni ministrari sed ministrare & dare animam pro multis* Et in alio loco. *Ecce ego in medio vestrũ sũ. sicut qui ministrat* Quod te ipsa sepe demonstrasti, utque ad lotionem pedum discipulorum tuorum: Verum non hic termi-

Matth. 20.

Luc. 22.

Ioan. 13.

nata est tua caritas: nam promittis te etiam in regno cælesti velle ministrare amicis tuis, dicens, quod præcinctus linteo facies illos discumbere, & illis ministrabi. O anima mea quam magnam pudefendi causam habes de tua tepiditate & negligentia in seruitio Domini tam humilis & amabilis: cum manifestè videas & experiaris quotidie, verè illum plus seruire tibi, quam tu illi seruias.

*LUC. 2.*

5. **CONSIDERA** præterea officium quo se exercebat Magdalena; quod tanto erat sublimius & excellentius, quanto amor eius erga **CHRISTVM** longius excedebat aliorum amorem. Alij colebant & venerabantur **CHRISTVM** tanquam hominem, at illa venerabatur vt **DEVM**. Alij sustentabant **CHRISTVM** rebus externis; at illa sustentabat intimo affectu cordis. Neque enim aliud erat alabastrum illud suavis & odoriferi vnguenti, quam ipsum Magdalenz cor amore diuino, suauissimaque erga suum redemptorem charitate plenissimum. Ingreditur ergo Maria ad conuiuium, non cum edulij materialibus ad pascendum corpus, sed cum pretioso vase, cui inclusum erat cor eius, ad pascen-

pascendā animam sanctissimā sui Do-  
 mini; deinde prostrata ad sacros eius  
 pedes utpote memor tot beneficiorū &  
 charismatū spiritualium, quæ iuxta il-  
 los receperat, primo, (vti verisimile est,  
 & mos Iudeorum apud peregrinos ob-  
 tinuerat,) aqua lauit illos, deinde, ad mi-  
 tigādā fatigationem, unguēto unxit.  
 Non legitur hac vice lauisse, vt alias, la-  
 crymis: dolor enim quam alias, vt pec-  
 catrix, habuerat de peccatis, iam cōuer-  
 sus erat in amorem: & ignis caritatis,  
 quo illa ardebat, excluso omni timore,  
 fontē lachrymarū exsiccārat. O quan-  
 tum recreatus & delectatus fuerit Do-  
 minus hoc pio & humili Magdalenæ  
 officio: nec dubiū est, quo illa amplius  
 euacuabat vas suū ad effundēdum un-  
 guentum in Christi pedes, tanto plus  
 eius p̄ctus diuina gratia fuisse repletū,  
 & in amore Dei confirmatum & stabi-  
 litum. Id inde liquet, quod iam quasi  
 secura reddita de mutuo sponsi sui  
 amore, sancta quadam confidentia  
 erigens se ausa est ab vnctione pe-  
 dum ad vnctionem capitis procede-  
 re: quæque, dum erat peccatrix, caput  
 suum subiecerat pedibus Saluatoris,  
 nunc ab eo iustificata, non veretur  
 manum suam imponere diuino ca-

pitu, & effracto vase reliquum vnguentum in illud effundere. Hac autem alabastris effractione, quid aliud significare illa voluit, nisi impatientiam amoris in corde suo redundantis & ebullientis? qua minimè ferens moram, vas confregit, vt totum simul vnguentum elaberetur. Voluit quoque hac re declarare magnam sui amoris liberalitatem, quasi non contenta effusione vnguenti, voluerit ipsum quoque vas in seruitium Dei cedere, & rursus hoc ipso indicare liberalem oblationem, qua non solum ex toto corde offerret omnem suum amorem CHRISTO, sed etiam ipsum cor suum, quo amor tanquam vase continetur. O mulier mirabilis, nescio vtrum maius in te fuerit, humilitasne in poenitentia, an amor, quem postea tot signis & officijs caritatis erga Dominum demonstrasti. Cogitahas duas virtutes fuisse illa vbera, quæ tantoperè placuerunt CHRISTO sponso tuo, quæ dixit suauiora esse vino, & pretiosissimis vnguentis fragrantiora. Tunc nardus tua o Magdalena (sicut bene dixit sponsa) dedit odorem suum: nam tantæ virtutis tuæ fragrantia, non solum repleuit domum illam, vt habet Euāgelium, sed per totam Dei Ecclesiam spar-

sparsa est: memoria enim istius tui generosi facti, ab omnibus fidelibus, ut Christus prædixit; in omnibus mundi partibus & hætenus celebrata est, & deinceps celebrabitur.

6. O anima mea, si cupis intelligere, quomodo Dominus velit sibi seruire à te, discè à Magdalena, cuius seruitium suæ diuinæ Maiestati fuit gratissimum. Vide quanta humilitate assistat pedib. IESV, quanto studio & deuotione eos mundet & lauet, quanto amore vngat nō tantum p̄ des, sed etiam sacrum eius caput. Si autem ad extremam tuam paupertatem non poteris habere pretiosa illa aromata ad conficiendum vnguentum capite Domini dignum: coneris minimum inuenire aliqua aromata viliora ad conficiendum vnguentum minoris pretij, quo inungas saltem sacros eius pedes. Primum est vnguentum deuotionis, gratiarum actionis, & diuinarum laudum. Secundum verò est vnguentum contritionis & doloris peccatorum. Aromata prioris, quæ sunt diuina beneficia, non nascuntur in hac terra nostra, sed ex longinquis regionibus afferuntur, missa à Patre luminum, à quo omnia dona & gratiæ diuinæ proficiscuntur, quando facit, ut cor

nostrum, ex innumerabilium beneficiorum quæ continenter largitur, recordatione, spiritali quodam gaudio in diuinis laudibus exultet. At aromatis posterioris unguenti, quæ sunt nostræ iniquitates & imperfectiones abundat terra nostra, quare & omni hora haberi possunt, si enim recolligens te, examinaueris vias tuas & annos malè expensos, multasque & varias peccatorum species in conscientiæ mortarium accumulâris & contuderis, deinde vero igne pœnitentiæ subiecto omnia simul in olla pectoris tui bullire curaueris, parabis unguentum pedibus Domini gratissimum, de quo scriptum est, quod cor cõtritum & humiliatum nõ despiciat: Itaque donec aditus non datur ad maiorem virtutem & perfectionem, & velut pauper non habes unde conficias unguenta pretiosa, ad minimum diligentiam adhibeas in hoc preparando; quod licet ex vilibus aromatis confectum sit, tamen hoc gratius erit in conspectu Domini tui, quo amplius te demittes & humiliabis pro tuorum peccatorum recordatione & pœnitentia. Et fortè Dominus, de quo scriptum est, quod respiciat humiles, & de stercore erigat pauperes, misertus tui te nouis donis & grauis

dita-

*Psal. 50.*

*Psal. 112.*



ditabit, sic ut in maiorem sp̄e erecta cō-  
fidenter cum sponsa dicere possis. *Oscu-  
letur me osculo oris sui*; & fias digna ad di-  
uinarum laudum gratiarūque vnguētū  
cum intima cordis consolatione supra  
caput cœlestis sponsi tui effundendum.

7. Discipuli percepta fragrantia vn-  
guenti à Magdalena effusi, alij simplici  
intentione, (scientes scriptum esse, Mi-  
sericordiam Deo plus placere, quàm sa-  
crificium; & memores Dominū ipsum  
tantopere laudasse eleemosynam & be-  
neficentiam in pauperes,) non nihil in-  
dignati sunt obiacturam vnguenti fa-  
ctam, existimātes, ne Christo quidem id  
gratum esse, atque ideo potius eius pre-  
tium in pauperes fuisse erogandum. A-  
lij verò ut Iudas, magis ex auaritia, &  
cōmodi proprii amore, quàm ex mise-  
ricordia in pauperes, cœperunt palam  
murmurare, & detestari factum. Verūm  
Saluator, de quo scriptum est, quod dili-  
gat & custodiat omnes diligentes se, ili-  
co contra oēs suscepit patrociniū Mag-  
dalena. O quātum honorare & remune-  
rari debet Dominus suos seruos & ami-  
cos in cœlo, si tā sollicitū se demonstra-  
uit in terra, tamq̄ liberalē remunerato-  
rē seruitiorū etiā minimorū sibi p̄stito-  
rum exhibuit. Magdalena lauerat pedes  
eius-

*1. Reg. 4to  
Ose. 6.  
Mat. 1. 4to*

*Psalm. 145*

*Luc 7.*

eiusdem Domini lachrymis, & unguen-  
 to vnixerat in domo Pharisæi: cumque  
 eam ob causam contemneretur, & vt  
 peccatrix, indigna iudicaretur quæ Chri-  
 stum attingeret, mox ab ipso **CHRIS-  
 T**O in omnium conuiuuarum præsen-  
 tia plurimum fuit à singulis actionibus  
 collaudata, & ipsi Pharisæo, qui **CHRIS-  
 T**VM inuiderat, in amore preclara. Rur-  
 sum Martha, cum, excepto in domum  
 Domino, quereretur Magdalenam soro-  
 rem suam, dum haberet suspensa dulce-  
 dine verborum **CHRIST**I, otiosam es-  
 se, nec auxilium necessarium sibi præbe-  
 re: Dominus similiter eius defensionem  
 suscepit, otiumque Mariæ om-  
 nibus operibus & ministerijs à Mar-  
 tha sibi exhibitis prætulit. Denique hoc  
 loco, vbi Magdalena velut prodiga &  
 imprudens accusatur, vides quàm seridè  
 Dominus redarguat proprios discipu-  
 los, quantisque laudibus hoc bonum  
 opus sibi factum celebret, simulque ad-  
 dat, eam ob rem nomen eius toto orbe  
 diuulgandum & celebrandum. Vbi cō-  
 sidera, quomodo his verbis prædicat,  
 quantum post crucis ignominiam, vir-  
 tus sua & splendor prædicationis Euan-  
 gelicæ, quod iam videmus perfectè o-  
 pletum, esset diffundendus. **Quis ergo**  
huic

## COLLOQVIUM.

**P**recaberis Christum Dominum, ut sicut misericorditer Zachæum sedentem in Sycomoro, ad se benignè vocavit, & in domū eius diuertere voluit, ut sanaret ab omnibus vitijs: sic tibi misero quoque concedat, ut possis a borē pœnitentiæ ascendere, in qua merearis oculis suæ misericordiæ aspici, & ad gratiam suam vocari: atque ut consciētiæ tuę domū dignè præparare possis ad eum excipiendum, quo tam interiorius, quàm exteriorius ab eo perfectè saneris. Et quoniam ille de cælo in terrā venit ad quærendum & saluandum eos qui perierant, te quoque iam per peccata perditum, dignetur tanquam bonus pastor quærere, & velut clementissimus Saluator ad salutem perducere.

## DOCUMENTA.

*1. Zachæus dum versatur in hominū turba, non potuit videre Iesum: at tactus desiderio videndi, praeuenit, & concensa Sycomoro non solum eum vidit, sed etiam meruit eū in domum suam excipere. Sic homo peccator, quam diu versatur in terra, addictus voluptatibus terrenis, & alijs peccandi occasionibus, lumen diuina gratia aspicere non potest;*  
*sed*

pōteſt; ſed quando Deus ſua gratia præſente illi immittit ſalutis deſiderium, ipſeꝫ incipit viam mandatorum percurrere. ac aſcendens Sycomorum, id eſt, ficū fatuam, pedibus conculcat omnes fatuitates & Vanitates huius mundi, tunc nō ſolum incipit frui viſione diuinarum conſolationum, ſed ipſe CHRISTVS ſua gratia ingreditur animam eius, ut in ea cōmoretur.

2. Zacharus poſt exceptum Chriſtum in domum ſuā, non dixit, Ego dabo, ego reſtituam, vel in teſtamento relinquam, ut reſtituantur omnia iniquè accepta, & in pauperes erogentur. Sed dixit in præſenti: Ecce dimidiū bonorum meorū do pauperibus. Vnde & Chriſtus mox illi reſpōdit. Hodie domui huic ſalus facta eſt. Nō ſatis eſt homini qui peccauit, aut aliū defraudauit, ad conſequendam perfectā ſalutē, ut peccare deſiſtat. ſed opus eſt quoque ut in præſenti ſatiſfaciat, vel pœnitentiā agendo, vel debita proximo mox reſtituendo, atq; etiam procurando, ut quam diu viuit, elemoſynas aliāq; opera bona faciat, nec committat, ut tantū ſiant ab alijs poſt ſuam mortem.

3. Zacharus, et ſi eſſet homo honoratus, et publicanorum princeps, tamen ad videntium Chriſtum non veritus eſt aſcendere.

in arborem Sycomorum. Sycomorus significat crucem Christi. Nemo ergo cogitet se posse videre Christum, nisi per imitationem humilitatis, patientia & mortificationis ascendat arborem crucis. Hæc ascenderunt Martyres, aliq̄ omnes Sancti; hanc ascendunt omnes, qui ludibrium mundi facti amplectuntur cōsilia Christi.

4. De Zachæo refert Evangelium, eum Principem fuisse publicanorum, & statura pusillum quia quia impediebatur, ut in media turba Christum vid. r non posset, ascendisse Sycomorum & vidisse. Sic oēs illi, qui malitia ceteros excedūt, dicuntur statura pusilli, ob exiguum pietatis spiritum, qui est in illis: & idcirco turba perturbationum animi negotiorumq̄ secularium impediuntur, quo minus lesus videre possint. Hi igitur si eum videre velint, hoc est, in se operationem diuinæ gratia sentire, ascendant Sycomorum, cuius arboris fructus sunt valde dulces, id est, peccatis obterant omnes delicias huius mundi, & sic sublatis in culmen virtutum, poterunt conspectu IESU, diuinorumq̄ eius cōsolationum dulcedine gaudere.

5. Sycomorus arbor excelsa est, cuius fructus foris asperi & duri sunt, interioribus  
dulces.

§10 MEDITAT. DE VITA

dulces: & dicitur ficus fatua. Per hanc  
 Symoniam significatur status religiosus,  
 qui excelsior est status seculari, consistit e-  
 nim in diuinarum rerum cōtemplatione,  
 cuius fructus, id est exercitia religiosiū,  
 et si in speciem videamur asperi, tamen  
 verè ob spiritualē gustum & sensum quē  
 prabent, sunt dulces & suauis. Vocatur  
 autem arbor fatua, quia hominibus loco  
 stultitiæ habetur, priuare se omnibus bo-  
 nis seculi, & alieno arbitrio se subijcere,  
 ac in religione velut mortuum, vitam de-  
 gere: in hanc sublimem arborem ascendit  
 pusillus Zachæus, id est omnes, qui sub-  
 misse de se sentientes sunt humiles corde,  
 & ad saluandas animas suas, ac ad vi-  
 dendum Deum in patria cœlesti, humilem  
 statum mundi huius deserunt, & subli-  
 mem religionis amplectuntur.

9 CHRISTVS cōspecto Zachæo  
 in arbore dixit, se velle in domo eius ho-  
 spitari: Dominus pro sua habitatione non  
 elegit animas demissas & terrenas, sed  
 mentes erectas & abstractas. Si ergo ve-  
 lumus excipere Christum in domiciliū  
 anime nostra, debet esse abstracta; primo  
 à commodatibus corporis & voluptati-  
 bus carnis, quæ abstractio significata est  
 ascensione Zachæi in arborem. Secun-  
 do debet esse abstracta per propria volun-  
 tatis

tatis abnegationem, quod significavit Zachaus, quando ad solam Domini vocem descendit, & magno cum gaudio ad eum accurrit. Tertio debet esse abstracta à cupiditate rerum temporalium, quam abstractionem expressit Zachaus, cū dixit: Ecce dimidium bonorū meorum do pauperibus.

7. Zachaus, conspecto ex arbore Christo descendit, eumque comitatus in domum suam excepit, & facultates suas pauperibus distribuit. Vnde discimus, post institutam in sublimitate orationis de vita & doctrina Christi meditationem descendendum esse ad opera & officia pietatis erga proximū: nec enim sufficit contemplari Iesum, quando ille indiget hospitio, vel auxilio nostro. Tunc autem vere indiget, quando indiget re aliqua nostro proximus, cum dixerit: Quādiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Mat. 25

8. Zachaus his suis sanctis actionib perfectam quasi formam expressit eorū, quae cuiq; Christiano ad salutem consequendam facienda sunt: sicut ille eam à CHRISTO cōsecutus est Nam sicut Zachaus ad videndum Christum, primò reliquit domum, negotia, & socios suarum iniquarum actionum, sic nos primò debe-

512 **MEDITAT. DE VITA**

omnesq; actiones que solent nos ad peccandum inducere. Secundo Zachaeus capit currere, ut anteuerteret turbam: sic nos solliciti esse debemus in praestandis operibus bonis, gnauius viam diuinorum mandatorum percurrendo. Tertio, Zachaeus ascendit in arborem, sic nos cor nostrum & affectum auulsus a rebus terrenis attollere debemus ad caelestia. Et quia hac arbor erat typus crucis Christi, nos conformare debemus cruci, patienter tolerando omnem contemptum & afflictiones huius vite. Et sicut Zachaeus ascendit in altum causa videndi Christi, sic nos saepe per orationem ascendere debemus ad meditationem & contemplationem sanctissima eius vite. Quarto, Zachaeus vocatus a Christo cum festinatione descendit, sic nos non debemus esse segnes & tardi in admitteendis diuinis inspirationibus, sed promptissime exequi quicquid Dominus pro salute nostranobis suggesserit. Quinto, Zachaeus excepit Dominum in aedem suam magno cum gaudio: sic nos quoque crebrius debemus Dominum sacramentaliter in anima nostra domum cum omni humilitate deuotione & letitia spiritali recipere. Sexto, Zachaeus stabat erectus in praesentia Christi, dixit uerba inermurauerunt: sic nos cum diuina



ope erecti fuerimus à peccato, studeamus non amplius labi in illud, sed potius rectitudinem iustitia conseruemus & in bona vita inchoata, neglectis obloquijs & calumnijs huius mundi persistamus. Septimò, Zachaeus suas facultatis distribuit, partim ad satisfaciendum illis quos defraudarat, partim ad iuuandos pauperes: sic nos primò pro peccatis debemus operibus penitentia satisfacere Deo, deinde etiam proximis, si aliquid illis debeamus, vel restituendo aliena, vel iniurias condonando; deinde etiam ex facultatibus quas habemus aliquid in pauperes dispensando, Si multa bona à Deo acceperimus, multa etiam pauperibus cum Zachaeo demus: si parum, parum; si nihil, minimum eis condoleamus, & bonam voluntatem illis declaremus, atque etiam orationib. & bonis verbis consolemur eos, quos deprehendimus aliqua necessitate vel eorumna affligi; & tunc de nobis dici poterit, quod Christus dixit de Zachaeo.

Hodie domui huic salus facta est.

DE



DE CÆNA  
CHRISTI IN DO-  
MO SIMONIS LE-  
PROSI.

MEDITATIO XVIII.  
EVANGELIVM.

*Mat. 26.*

*Mar. 14.*

*IOAN. 12.*

**I**ESVS ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, & fecerunt ei cænā ibi in domo Simonis Leprosi. Martha autē ministrabat, & Lazarus vnus erat ex discumbētibus cū eo. Cum ergo recumberet IESVS, accessit ad eum Maria, habens alabastrum vnguenti nardi pisticę pretiosi; & vnxit pedes Iesu, & capillis suis exterisit, & fracto alabaastro, effudit super caput ipsius recumbentis, & domus impleta est odore vnguenti. Vidētes autem discipuli quidam indignè ferentes intra semetipsos dice-



diebus illis daturus esset causam summæ tristitiæ & mæroris. Brevis quidem consolatio, sed magna, tum **CHRISTO**, tum cæteris omnibus. Magno solatio erat **CHRISTO** cœnare in cætu suorum dilectorum, à quibus sciebat se maximo amore, non in domum solum, sed etiam in cor receptum, secundum illud. *Sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, intra- bo ad illum. & cœnabo cū illo.* Iam sanctæ illæ animæ aperuerant cor suum Domino, & iam idem Dominus cœnabat cum illis. Consolabatur quoque Dominum, quod in istis suis caris amicis inciperet degustare duræ crucis suæ fructus, quam pro eorum salute paulò post erat deportaturus. Fructus hi diuino eius ori longe dulciores suauiores- que fuerunt, quam fuerit ori primi parentis nostri fructus arboris vitæ. Ex alia parte magnam quoque consolationem afferebat alijs omnibus, quibuscum Dominus cœnare dignabatur: nam cum omnes hi singularibus varijsque beneficijs receptis vehementer essent **CHRISTO** obstricti, exultabant prorsus posse se hac occasione signum saltem grati animi declarare. *Simon enim, à quo præcipuè erat in-*

uita-

*Apoc. 3.*

*Genes. 3.*

uitatus, beneficio CHRISTI mun-<sup>IOANN. 28.</sup>  
 datus fuerat à lepra, Lazaro verò eius <sup>LUC. 7.</sup>  
 dem dono restituta erat vita. Magda-  
 lenæ multa peccata condonârat. Mar-  
 thæ privilegium hoc peculiare conce-  
 ferat, vt se hospitio exciperet, præter a-  
 lia multa dona spiritualia, quæ omni-  
 bus communicârat, quæque vnusquis-  
 que illorum magis in anima sua sen-  
 tiebat, quam ab alijs foris animaduer-  
 ti posset. Itaque magnam causam ha-  
 buerunt reputandi se foelices, quod  
 tantum benefactorem in ædes suas ex-  
 cipere potuerint, illi seruire & mini-  
 strare, illum manibus suis, suoque ci-  
 bo & potu alere & sustentare. V E-  
 R V M sola consolatio Magdalenæ  
 longe alias excessit, sicut & eius in  
 CHRISTVM amor excessit alio-  
 rum amores; vnde & ipse Dominus  
 commoditatem ei obtulit suos factos  
 pedes & caput, pretioso vnguento vn-  
 gendi; volens ea re eius ardenti deside-  
 rio facere satis, quandoquidem sciebat  
 id post mortem suam ab ea non posse  
 præstari, vt nēpe inūgeret corpus suum  
 post sepulturam. Deniq; cæna hæc non  
 caruit omni mysterio; quid enim hæc  
 cæna cum discipulis suis, quos iam an-  
 tē dignatus erat sua gratia, aliud signi-  
 ficare

98 MEDITAT. DE VITA

ficare voluit, quam scelicem illam cœnâ gloriæ æternæ, in qua assidens beatæ mensæ aliquando cœnaturus erat cum illis, & illi cum ipso?

2. **CONSIDERA** quis sensus, quæ affectio animi fuerit in hoc bono Domini hospite, huius conuiuij auctore, quanta consolatione fuerit perfusus, quam beatum se prædicauit, quod **I E S V S** dignatus fuerit in domum suam venire, & mensæ suæ accumbere: Sciebat enim eum esse hominem sanctum & Dei Prophetam. O Simon, utinam sciuiisses, quisnam ille fuisset, cui apparasti cœnam: non enim vt tu arbitraberis, erat homo purus, aut simplex Propheta, sed simul erat creator & Deus tuus. Erat sanctus sanctorum, erat magnus Propheta in lege promissus, qui ab initio mundi per ora omnium Prophetarum erat locutus, & de quo omnes Prophetæ erant vaticinati. Talem si tu eum esse agnouisses, meritò potuisses te prædicare beatum, & altiori animi sensu dicere. An non verè est, cui ego cibum & conuiuium paro ille, qui admirabili prouidentia pascit volucres cæli: an illi mensam pono, qui in hac terra splendidissimam mensam explicuit, qua aluntur omnes creaturæ,

*Dan. 3.*

*Matth. 6.*

*Psal 101.*

aturæ, qui liberalissimam apertiendo manum implet omne animal benedictione? Potestne fieri vt eibis nostris egeat *Psal. 146.* ille, quem è suis nidis inuocāt pulli coruorum proprijs parentibus destituti: & non frustra inuocant, quia audit illos de cœlo & sustentat? Possibile est, vt à me indignissimo famulo tuo cibum terrenum accipias tu, qui populo tuo quadraginta annis pluisti manna de cœlo? *Exod. 6.* Ecce ego propono tibi alimenta corporalia, at tu dignatus est mihi proponere cibum gratiæ spiritualis. Tantam ô Simon tui Creatoris notitiam si habuisses, neutiquam vel ausus fuisses inuitare dominum, vel mensæ vna cum illo accumbere, sed vel cum Martha reuerentia magna illi ministrasses, vel cum Magdalena ad pedes eius te abiecisses.

3. CONSIDERA deinde, quomodo affectus esse debuerit Lazarus eidem mensæ cum CHRISTO assidens; qui tunc oculis proprijs intuebatur æternum iudicem, ante cuius tremendum tribunal paucis ante diebus anima eius corpore exuta constiterat. Qui cernebat magnum Deum præsentem, in cuius conspectu inclinatur columnæ cœli, & inferni potesta-

tes contremiscunt: ac cernebat quidem eundem specie humana humiliatum, comedentem, & familiariter conuersantem cum hominibus. O bone Lazare, quam varias dissimilesq; cogitationes & affectiones de CHRISTO tunc habueris, ab illis quas prius, ante mortem tuam habueras. Nam forte prius non aliud eum existimasti esse, quam purum hominem, licet sanctum & magnū Prophetam: sed nunc agnouisti & reueritus es eum velut Creatorem & Deum tuum. Legimus de Lazaro, eum postquam ad vitam à CHRISTO reuocatus est, nunquam risisse, nec lætitiæ signa dedisse. Nec mirum, non quod timeret horribile iudicium Dei, vel alterius vitæ supplicia, quæ conspexerat; cum enim tantus sponsi amicus esset, nullam timendi causam habebat. Multo verò minus dici potest eum timuisse mortem secundam; imò verisimile est illum speciali gaudio affectum fuisse, & quod prolongare vitam posset, & quod denuo moriturus esset, ut videlicet maiori studio & pietate posset illi seruire, atque etiam mori non semel, sed millies, si opus esset, propter CHRISTVM, cui sciebat se tantoperè obstrictum. Illud ergo  
pro-



probabilius est, causam huius abstinentiæ à risu, & recollecti animi, fuisse continuum quendam excessum mentis occupatæ in consideratione inexplicabilis illius amoris filij Dei erga hominem, quod è tanta sublimitate & maiestate, in tantam vilitatem & submissionem se propter hominis vnus salutem demiserit. Similiter in consideratione tantæ cæcitatæ & ingrati tudinis hominum in DEVM, neque agnoscentium, neque æstimantium huius ineffabilis beneficij magnitudinem pro eo atque merito deberent.

4. **CONSIDERA** quid duæ illæ ardentes discipulæ, Martha & Magdalena fecerint. Quid enim aliud putamus fecisse Martham, quam quod alias fecit, nimirum sollicitam fuisse in ministerio omni Domino deferendo? Vnde & Euangelium disertè commemorat, dum cœna in domo Simonis CHRISTO instrueretur, Martham ministrasse. Existimo omnino Dominum huic suæ ancillæ magnū aliquem sensum & gustū spiritualē in hoc eius seruitio communicasse, eo quod non solū in domo propria, sed etiam aliena tam libenter officia sua detulerit.

Ac verè ingens gratia fuit, & priuilegium singulare, manibus mortalibus posse seruire illi Domino, cui in cœlis, vt scriptum est, seruiunt & assistunt mille millia angelorum. Vnde si beati fuerunt oculi, qui cum viderunt, vt ipse dicit: beatæ quoque fuerunt manus quæ meruerunt eum attingere &

*Dan. 7.*

*Matth. 13.*

ei ministrare. O quot optarent se id temporis vixisse in Iudæa, vt potuissent CHRISTVM in domum suam suscipere & mensæ suæ adhibere, vt fecit Simon, & cum Martha illi ministrare. At quot erunt in tremendo iudicio, quibus Dominus dicet,

*Matth. 25.*

*Esuriui & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me.* Si verò respondeant, se nunquam ipsum in terra vidisse; & ideò hæc officia charitatis illi præstare non potuisse, respon-

*Matth. 25.*

debitur illis. *Quãdiu uni ex minimis meis nõ fecistis, nec mihi fecistis.* Continenter habem<sup>9</sup> ante oculos CHRISTVM, quotidie trãsit per plateas, pulsat ad ostia nostra, precibusque aures ferit, sed nos nec dignamur quidem eum respicere. Recessit quidem Dominus à nobis secundum præsentiam corporealem & visibilem, sed ne destituere-

mur

ante acceptum hoc beneficium se ardentem & constantem in fide declarauerat, sic post illud acceptum, se demonstrasse gratum, glorificando Deum, & sequendo **CHRISTVM** Saluatorem. iam bonus cæcus ingressus erat viam, videbat, & agnoscebat veritatem, quare iudicabat non esse necessarium amplius sedere, sed potius ambulandum deinceps, & via illa insistentium, quæ ad vitam æternam duceret: nec opus habebat in posterum mendicare, quia inuenerat cælestem illum thesaurum, in quo omnes thesauri erant reconditi. Felix cæcus, non iam filius Timæi, id est, cæci, (*Col. 2.* id enim significat nomen Patris,) sed filius lucis, quia tam clarè eam agnouisti, & tanta constantia es sequutus: Neque etiam opus habes duce, imò gratia diuina factus dux & Magister aliorum, tuo exemplo permouisti omnes illas turbas ad credendum in Christum, tecumque laudandum **DEVM** & glorificandum, à quo tanta beneficia recepisti.

7. Iam verò mi Domine, quoniam hac tua bonitate & liberalitate erga hunc miserum hominem demonstrata, me quoque inuitas ad exponendam

dam meam infirmitatem & inopiam, quippe cum me non minus pauperem & cæcum deprehendam, quam ille fuerit, quid melius exoptare, aut petere à te possum, nisi illud ipsum, quod cæcus à te petijt, nempe vt videam? Non igitur peto, neque honores huius mundi, neque opes, neque voluptates, quia hæc potius excæcant suos possessores; sed peto primo, vt largiri mihi velis viuam fidem, vt cognoscam te solum & verum Deum, & pariter viam veram demonstrare, qua ad te perueniatur. Secundò, vt possim cognoscere huius sæculi vanitatem, vt omni humanorum affectuum caligine ab oculis mentis meæ remota, non sim propensus ad hæc terrena, sed potius addictus contemplationi cælestium. Tertiò, vt agnoscam & videam omnes meas imperfectiones, & peccata contra tuam Maiestatem commissâ, vt dolere de eis possim, iisque defletis per pœnitentiam actam vitam emendare. Quartò vt præ oculis semper habeam finem vltimum vitæ meæ, *ne unquam obdormiã in morte, ne quando dicat inimicus meus praualui aduersus eum.* Denique vt per tuam singularem gratiam post hæc vitam

*Ioan. 14.*

*Psalm. 12.*

vitam.

vitam apertis oculis cōtemplari possim  
 æternum tuorum sanctorum splēdo-  
 rem, teq; Deum meum in gloria tua à  
 facie ad faciē, vt perfectè cordis mei de-  
 sideriū expleatur, & satietur, ac possim  
 dicere cū Propheta. *Sicut audiuimus, sic Psal 16.*  
*Vidimus in ciuitate Domini virtutum. Psal. 47.*

## COLLOQVIVM.

**O**Rabis Christum Iesum lumen lu-  
 minum, & omnis lucis fontem, vt  
 sicut affectu misericordiæ misertus cæ-  
 ci, qui tāta fide ei acclamabat, dignatus  
 est eius aperire oculos, eumq; illumi-  
 nare, ita lucis suæ radijs velit quoque  
 tuum intellectum illustrare, vt melius  
 illum cōtemplari possis, cognoscere tei-  
 psum, atq; etiam instruere & adiuuare  
 tuos proximos: dignetur quoque diui-  
 næ gratiæ suæ luce tuum cor illustrare,  
 vt in omnibus vijs tuis illo vtaris duce,  
 illum imiteris, illumq; super omnia  
 ames & timeas, faciendo in omnibus re-  
 bus tuis sanctam eius voluntatem.

## DOCUMENTA.

**H**ic cæcus desiderio recuperandi visū  
 ardens, sedebat secus viā, quam do-  
 minus

minus transibat, in eaq; perseverans imploranda misericordiam, à Christo exauditus est & illuminatus. Quamdiu peccator sedet secus viam mundi, nec peccatorum occasiones cauet, artibus fraudulentis utitur sectatur honores, voluptates, & delicias huius saeculi & carnis, non cogitet se unquam ad divinae gratiae lumen perventurum. Nam per has vias non ambulauit Christus, sed diabolus, & finis eorum est mors & damnatio aeterna. Ex alia parte, qui non ignari miseri & periculosi status sui, & salutis suae cupidi, adiungunt se viae Christi, occasionesq; & pericula peccati fugiunt, cum hominibus pijs Deumq; timentibus conuersantur, verbum Dei libenter audiunt si in hoc statu perstiterint nec cessent implorare Domini misericordiam, proculdubio exaudientur, & lucem suae gratiae cum aeterna salute consequentur.

2. Cū cacus inciperet acclamare, Christus in itinere progrediebatur, cum verò acclamauit fortius, Christus substitit. Saepè contingit, dum vacamus precibus, aut gratiam à Domino postulamus, ut videatur Deus longius à nobis abesse, nec velit nos exaudire: sed si eius bonitati fisci cōstāter perseverauerimus, experiemur eum nobis esse vicinum, & misericordiae suae aperire.

3. Turba qua Iesum precedebat, & cæcum reprehendebat, quod misericordiam posceret, significat turbam cupiditatum carnalium, & tumultum passionum inordinatarum, qua distrahentes mentem, & cor peccatorum occupantes impediunt, quo minus veniat Iesus ad nos illuminandos. Sed velut cæcus, quo plus reprehendebatur, hoc clamabat amplius: Sic nos quo plura impedimenta occurrunt salutis nostræ, hoc ardentius orationi insistere debemus & ad Dominum clamare, ut nostri misereatur.

4. Turba arguebat & comminabatur cæco ut taceret; ille verò vehementius clamabat. Sic multi hodie faciunt, qui, si quæ videant desiderio suæ salutis accensum vellem peruersam vitam deserere, & Christum adire, aut relicto sæculo amplecti vitam religiosam, eum grauius verbis, & aliquando etiam interpositis minis, increpant, ut bono proposito suo renunciet. At serui Dei, obturatis ad hominum obloquia auribus posthabito omni pudore & respectu humano, debent exemplo huius cæci non commoueri, sed maiori potius ardore in via inchoata persistere, ac tanto longius in virtutis & perfectionis studio progredi, quanto ab hominibus mundanis magis deterrentur, & retrahuntur.

5. *Christus videns cæcum implorare suam misericordiam, non est progressus longius, sed expectavit, donec ille ad se veniret: docens hoc exemplo Principes & Prælatos, dum animadvertunt pauperem aliquem postulare audientiam ad exponendum suam necessitatem, debere eos vocare ad se, benigneq; audire, & quod iustum est respondere.*

6. *Cæcus, quamvis turba eum conaretur à clamore cohibere, nunquam à clamore cessavit, donec illi responderetur, ut æquo animo esset, vocari ipsum à Domino. Sæpe accidit in exercitio orationis, hominem varijs cogitationibus agitari, & à negotiorum secularium turbis in tam sancto opere impediri: sed servus Dei nõ debet idcirco vel turbari, vel abijcere orationem, sed contentiori studio potius in illa persistere: nam tandem superata omni difficultate, inueniet se magna consolatione & pace in conspectu Domini perfundi.*

7. *Cæcus à Christo vocatus, abiecit mox, ut habet Evangelium, vestem suam vel pallium & Christum adiit, & patefacta sua infirmitate, postulavit ab eo sanitatem: eaq; recuperata, ad consuetum locum non rediit, sed gratias egit glorificando Deum, & Christum deinceps sequendo.*

*Non aliter faciendum est peccatori, quã-*



do se bona aliqua inspiratione aduertit à Domino vocari, vel quādo per aliquā afflictionem ab eodem visitatur, nempe debet confestim deserere pallium prauæ consuetudinis peccandi, & cū firmo proposito de cætero non peccandi, ad Domini pedes sese abijcere, confitendo infirmitates suas spirituales, & misericordiam pro illis implorando. Quam ubi à Domino obtinuerit, non debet amplius post tergum respicere, redeundo ad veterē consuetudinē & occasiones peccandi, sed Deo gratias reddere, non ore modo, sed etiam operib. bonis. Nam aliud non est sequi Christum, ut fecit hic cæcus, quàm insistere virtutū eius vestigijs & exemplis, neq; potest homo vlla re magis Deo beneficia ab eo accepta compensare, quàm glorificādo, & honorificando operum exercitatione illum sequendo.

8. Dominus interrogauit cæcum, quid vellet sibi fieri? Tam bonus est Dominus, ut beneficia omnia qua constituit nobis impartiri, velit dare ad nostram petitionem, ut sua dona gratuita ita fiant quoq; nostra merita: atq; idcirco licet nostras necessitates cognoscat, antequā eum deprecemur, nihilominus inuitat nos ad petendum etiam importunè, dicens: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis,

9. Turba que prius cæcum reprehende-  
rant, post conspectum miraculum, cape-  
runt cum eo laudare Deū Magna est vir-  
tutis potentia: licet enim habeat multos  
hostes & persecutores, ad extremū tamē  
semper victoriam obtinet. Sic crebrò vi-  
demus euenire, qui illudunt seruis Dei, &  
detestantur eos, qui amore salutis se ab-  
strahunt à cōuetudine huius mundi, &  
adherent Christo, demum à propria con-  
scientia, & exemplo virtutum conuictos  
admirari, & reuereri eos, quos ante vitu-  
perarant, sepe etiam emendata in melius  
viuendiratione, eos imitari.

10. Per cæcum designatur peccator, qui  
dum est in peccato mortali, verè est cæcus  
mente. Hic ergo tunc sedet iuxta viam,  
quando incipiens cogitare de salute sua,  
appropinquat Christo, qui est vera via,  
deducens hominem ad vitam. Tūc quoq;  
sublata voce implorat misericordiā, quā  
dō cū dolore & lachrymis deprecatur pec-  
catorum suorum veniam. Turba, que il-  
lum reprehendit, sunt mundus, caro & da-  
mon, qui peccatorem à pœnitentia & con-  
fessione de peccatis faciendā auocant, nā  
turba cupiditatum carnalium illi abblādi-  
tur, turba hominum mundanorum il-  
lum persequitur, turba vero demo-  
num illum in fraudem inducit. Verum

huic tam claræ & euidenti veritati, poterit aliquid opponere, aut inficiari audebit Deitatem & potentiam Saluatoris? Videmus enim tot Regum, Imperatorum, & Legislatorum mundi facta illustria aut memoria excidisse, aut in angulo tantum aliquo eorum latere vestigia: mulieris autem peccatricis, in domo hominis leprosi, in quatuordecim tantum hominum presentia vngentis lesu pedes, ab omnibus populis, nationibus & linguis, vsque ad extremas mundi insulas post tot secula haberi & celebrari viuam memoriam: quod certè fieri non potuit, nisi virtute diuina eius, qui totum hoc multo antè prædixit. O ineffabilis Saluatoris bonitas: qui non modo permisit suos diuinos pedes, caputque à muliere peccatrice tangi & ynghi, sed etiã ita seuerè reprehendit illos, qui eam arguebant: ac ob hoc exiguum ministerium non solum eam tantopere honorari voluit in mundo, verum etiam ad maximã gloriam euehi in cœlo, & inter primos cœlestis regni sui senatores collocari. Ergo cum habeamus Dominum tam bonum, tam amabilem & liberalem, cur non currimus certatim, quis melius illi seruire, plus amare & honorare eum possit? Heu mundus iste impostor

532 **MEDITAT. DE VITA**  
stor, & capitalis hostis noster diabolus,  
tot inuenit, qui diligentissimè ipsis ser-  
uiant, inclinent, & adorent pro quatuor,  
vt ita dicam, glandibus, cibo porcorum  
vilissimo: at tu amor hominum, qui tu-  
os amicos cœlestibus opibus, honoreq;  
& gloria immortali locupletas, vix vnū  
inuenis, qui te ex corde amet, vel seruire  
tibi velit.

### COLLOQVIVM.

**O** Rabis Christum Dominum, vt sicut ante passionem suam voluit ire Bethaniam, id est, in domum obedientiæ, ibique cœnare, permittereque vt suum caput, pedesque pretioso vnguento vngerentur: ita tibi concedat, vt, quoniam tantopere delectatur, & quodammodo se pascit nostra obedientia, possis ipse quoque diuinorum præceptorum obedientia in anima tua illi refectioem spiritualement præparare, atque etiam exemplo Mariæ cordis tui alabastrum confringere, & pretioso caritatis vnguento illius caput, amando eum super omnia, perfundere, simulque pedes amando proximum sicut teipsum, vt vtraque charitate legem perfectè adimplens, bonum odorem toti Ecclesiæ Dei relinquere valeas.

DO.

1. **S**imon in cuius domo Christus coenauit, vocatus est leprosus, non quod tunc esset leprosus, sed quia prius fuerat, antequam à Christo sanaretur. Vnde discimus, etiam si gratia Christi ab omnibus peccatis expurgati sumus, retinere tamen eorum memoriam, & vocare nos semper peccatores, ut doleamus de illic non secus quàm si actus adhuc illis obnoxij essemus.

2. Lazarus resuscitatus assidebat mensae cum Christo: sic peccator, postquam per Christum fuerit à peccati morte reuocatus ad vitam iustitiae, meretur in angelorum suorum aliorumque iustorum societate eius mensae assidere, donec suae caelestis gratiae refici & cibari.

3. Maria unxit caput & pedes Domini unguento pretioso. Quo indicatur Deo offerenda, quae apud nos sunt pretiosissima & similiter pauperibus, qui sunt pedes pedes Christi, non esse dandas res deteriores & inutiles quae nobis amplius non seruiunt, sed meliores, & quibus nos etiam utimur.

4. Maria effuso unguento in Domini caput fragrantia impleuit totam domum. Quemadmodum enim peccator faetore prauis exempli iniuriam facit Christo, & insicit

se scandalizat reliquos fideles Ecclesia Dei, sic boni Christiani bonorum operum exemplo laudant Deum & edificant proximum, secundum illud apostoli. Christi bonus odor sumus in omni loco.

2. Cor. 2.

5. Illi exemplo Magdalene unguento pretioso unguunt caput Christi, qui omnia opera sua faciunt & dirigunt purè ad honorem & gloriam Dei. Illi verò unguunt Christi pedes, qui insistentes eius vestigijs sanctam eius vitã imitãtur. Illi quoq; unguunt caput Christi, qui se in diuini seruitij operibus exercent, pedes verò, qui opera quãdam faciunt in auxilium & utilitatem proximi.

6. Quidam discipuli murmurãrunt cõtra Magdalenam, quasi temerè profudisset et unguentum tam nobile. Bona opera semper solent esse calumnijs & criminationibus obnoxia: atq; etiam aliquando prætextu alicuius boni, vel quasi ex bono zelo, sed non secundum scientiam, arroduntur: verùm non ideo debent aut time re, aut deterreri à cœpto serui Dei, quin pergant facere quod iudicant ad gloriam Dei, & animarum salutem debere fieri. Possunt q; consolari se Domini sui exemplo qui similia crebrius passus est, atq; etiam sententia Apostoli: non posse nos simul placere Deo, & hominibus: & certè si velimus

Gall.

mus nisi sermonibus vel opinionibus hominum, serui Dei ne utiquam essemus.

7. Discipuli, cum dicerent sua opinione videri sibi melius, si pretium unguenti, quo à Magdalena unctum est caput cum pedibus Christi, datum fuisset pauperibus, ab ipso Christo sunt reprehensi, & factum Magdalena commendatum: Quanquam alibi sepius laudavit misericordiam in pauperes. Unde docemur, sicut reprehensione digni non sunt, qui suas facultates expendunt in pauperes, ita neque ea dignos esse, sed laude potius, qui eas consumunt in fabricandis ornandisque Ecclesijs, fundandisque monasterijs ad ampliores diuini nominis cultum & gloriam; utrumque enim opus sanctum & Domino Deo nostro gratum est,

8. Verbis illis, Pauperes semper habebitis vobiscum, Christus indicare voluit hominibus diuitibus, quanta familiaritate uti debeant cum pauperibus: pauperes enim precipue propter diuites facti sunt, ut hi communicando illis ex superuacaneis opibus necessaria, salutem quoque aeternam merito beneficentiae consequantur.



DE INGRES-  
S V CHRISTI IN  
VRBEM HIEROSO-  
LYMAM.

MEDITATIO XIX.

EVANGELIVM.

*Matth 12.*

*Mar. 11.*

*Luc. 19.*

*Ioan. 12.*

**C**VM appropinquasset IESVS Hierosolymis, misit duos discipulos, & ait illis. Ite in castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite illam & adducite mihi. Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem. Dicite filiae Sion. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Abierunt autem discipuli, & fecerunt, sicut praecipit eis IESVS, & adduxerunt asinam & pullum, & im-



imponentes illis vestimenta sua, Iesum desuper sedere fecerunt. Eūte autem illo, plurima turba strauerūt vestimenta sua in via, alij autem ramos cædebant & frondes de arboribus, & sternebant in via. Alij quoq; accipientes ramos palmarum processerunt obuiam ei. Et turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur gaudentes clamabāt. Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel, pax in cælo, & gloria in excelsis.

## FIGURA.

**D**EVS mandauit filijs Israel, *Exod. 19.*  
 Vt agnum die Paschæ sacrificā-  
 dūm quinq; diebus ante in domos suas ducerent, & ibi vsq; ad diem sacrificij custodirent.

## PROPHETIÆ.

1. **E**Xulta satis filia Siō, iubila filia Hierusalem. Ecce rex tuus venit tibi in *Zach 9.*  
 stus. & Saluator ipse pauper ascendens super asinam, & super pullum filium asinae.  
 2. Di-

*Isa. 62.*      *2. Dicite filie Sion. Ecce Saluator tuus  
venit, ecce merces eius cum eo.*

**CONSIDERATIONES**

**C**ONSIDERA, quomodo appropin-  
quante tempore, quo Saluator de-  
creuerat per passionem salutem afferre  
mundo, discesserit è Bethania, & com-  
pararit se ad nouum & insolitum mo-  
dum ingrediendi urbem Hierosoly-  
morum . Quo in facto Dominus egre-  
giè diuina sua attributa declarauit: &  
primò quidem potentiam, demonst-  
rando se verum esse Deum, in cuius manu  
sint corda omnium hominum, dum  
effecit, vt animalium illorum Domini  
simulatque cognouerunt **CHRIS-  
TVM** illis opus habere, ea demise-  
rint. Deinde, dum mouit corda turbæ  
popularis, vt etiam contra mandatum  
& edictum Scribarum & Phariseorum  
obuiam procederet **CHRISTO**, tan-  
toque gaudio & exultatione reciperet  
eum tanquam Regem & Messia suum,  
eiusque ingressum celebrare auderet eo  
tempore, quo Romani dominabantur,  
nec tamen quisquam ob eam rem se cõ-  
moueret, aut verbo vllò obstreperet.  
Denique, dum manus iudæorum qua-  
si ligauit: licet enim illi consilium iam

cœpissent de eo occidēdo, hodie nihilo-  
 minus in ipsorum oculis triumphans  
 ciuitatem ingreditur, demonstrās mor-  
 tem in sua esse manu: & non in volun-  
 tate Iudæorum. Secundo declarauit suā  
 sapientiam, perfectè adimplēs figuras  
 & vaticinia omnia de se conscripta, &  
 simul discipulis prædicens omnia quæ  
 illis euētura essent, ac denique ciuitatis  
 euerfionem, cū vicinior illi esset factus,  
 accuratè eo modo quo postea facta est,  
 prædicens. Tertiò demonstrauit magnā  
 bonitatem & misericordiam, qđ tanta  
 humilitate & mansuetudine, vilibus istis  
 animalibus insidens, urbem ingressus  
 sit, & inter voces eum laudantium &  
 honorantium, lachrymari cœperit ob  
 futuram illius urbem & ingrati populi  
 ruinam & excidium; qui, dum Christus  
 in viuis fuit, nunquam sanguine eius  
 exsaturari potuit, & dum è viuis subla-  
 tus est, nunquam destitit eius nomen  
 insectari & infamare.

2. CONSIDERA, quemadmodum  
 iuerit, imò deportatus fuerit ille agnus  
 mansuetus ad sacrificium. Ibat, quia vo-  
 luntariè se offerebat, & pro salute mun-  
 di animam suam tradebat. Deportaba-  
 tur ab asina & pullo, hoc est, ab obedi-  
 entia paterna, & nostræ salutis amore.

Ibat Hierosolymam, id est, ad sacrificij locum, vt in eadem ciuitate & die, quo agnus mysticus erat sacrificatus, veri quoque agni sacrificium fieret. Ibat velut mansuetus agnus pro suo grege immolandus, propriamque lanam, sanguinem & vitam daturus pro ijs ipsis, qui illam tollebant. Ibat denique ardēti caritatis igne in ligno crucis assandus, cibus suauissimus & viuificus animabus nostris futurus. O inaudita caritas, ô amor fortissimus, qui tantum potuisti in Dei pectore, vt ex leone terribili illum agnum mansuetum effeceris.

3. SED; quid causæ est dulcis IESV, vt, cum paucis post diebus tam ignominiosa morte fueris à vita tollendus, hodie cum tanta gloria & triumpho Hierosolymam ingrediaris? Certè non alia de causa, quàm, vt quanto maior esset huius diei honor & gloria, tanto postea acerbior, & abiectior esset tua passio: nam ab eodem populo, eodem loco, in quo eras tanto cum triumpho susceptus, paulo post fuisti cum summa ignominia crucifixus, Deinde voluisti id facere ad declarandum ingentem lætitiã tuam & gaudium, quod iam hora illa tantopere exoptata ponendi animam pro nostra redemptione

im-

impenderet; atque vt crucis amatores intelligerent tam gloriosum esse pati, vt conueniat ad crucem cum Christo anhelare, non secus quàm reges ad coronationem.

4. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem Ecce rex tuus venit.* Verè tuus, quia non quærit suum honorem & gloriam, sed tuum tantum bonum & salutem. Venit pro te, quia tibi fuit datus, pro te est natus, pro te laborauit; & pro te denique mortuus est. Venit, non vindex vel intentans minas, sed velut agnus mansuetus, vt te attrahat ad se amabilibus funiculis Adam, & suauibus Ose. 11. caritatis vinculis, quia cum non posset confriagere cor tuum terrore suæ potētiae, nunc illud vult efficacia amoris sui vincere. Venit denique inops, ad nos sua inopia & paupertate ditandos, atque vt omnes faciliè ad eum possimus peruenire, & vitæ suæ exemplum imitari. 2. Cor. 6. O admirabilis submissio. Rex regum non veretur ingressum suum celebrare sedēdo in tam vili & contempto iumento, in tam abiecta sella, cum tam exiguo pauperum aulicorum comitatu.

5. Cunctemplare nunc anima mea, & vide quomodo Deus gloriosus, magnus ille vniuersi monarcha, qui resi-

**Psal. 10.****4. Reg. 19.****DAN. 7.****CANT. 2. 3.****APOC. 21.****PRON. 8.**

det in cœlis, & alis Cherubinorum deportatur, nunc in terra more pauperum infideat vilissimo & stulto animali: & magnus ille Dominus, cui in cœlo continenter assistunt & seruiunt tot millena angelorum millia, iam stipatus incedat tantum à duodecim discalceatis & pauperibus discipulis: & rex ille paradisi, qui habitat in hortis, & pascitur inter lilia, qui ambulat in montibus odoriferis aromatum cœlestium, & spaciatur in plateis auro constratis, nunc videtur magna pompa & gloria à turba excipi, quod vias ornet arborum frondibus, suisque vilibus & laceris vestimentis. Ex alia parte diuinis illis Saluatoris oculis, qui non respiciebant quod foris apparet, sed quod latebat intus, in maiori pretio & æstimatione erant, illi humiles & simplices animi, quam omnis cœlorum, ipsorumque astrorum splendor & venustas, ac eidem suæ Maiestati longe suauissimum odorem, omnium florum, aromatumque fragrantiam superantem excitabant. Atque hæc sunt delitiæ, in quibus ille imprimis delectatur; vti dixit per Prophetam. *Delitia mee esse cum filiis hominum*, illis scilicet, qui toto corde eum diligunt, & fideliter colunt. & hi sunt illa sacra templa, & regia pa-

palatia, in quibus Dominus libenter habitat & ambulat, sicut scriptum est. *Quo-<sup>1. Cor. 3.</sup> niam habitabo in illis, & inambulabo.*

Beata plebs, si bonam voluntatem, qua <sup>2. Cor. 6.</sup> hodie occurristi huic magno Domino ad finem vsque conseruasses, audiendo eius doctrinam sanctam, & agnoscendo illum pro eo, qui erat, tuū verum Deū, & vnicum redemptorem.

6. CONSIDERA, quomodo omnis honor hodie à Iudæis Saluatori delatus, paucis post diebus commutatus sit in maximum dedecus eius & ignominiam. Hodie honorem illi deferunt comitando illum in urbem, & paulo post iidem oneratum cruce eijciunt. Hodie honorant CHRISTVM, verbis benedictionis & laudum, dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini: sed quomodo hæc verba conueniunt cum captiuitate, flagellatione, illusione & crucifixione postea secutis? Hic eum appellant Regem Israhel; post autem clamabunt, non habemus Regem nisi Cæsarem. Hic eum vocant filium David, postea verò dicent. Nescimus <sup>IOAN. 19.</sup> vnde sit. Hic precantur illi salutem & prosperitatem, post verò dicent. Salua te ipsum, & descende de cruce. Hodie honoratur ramis oliuarum & palma-  
rum,

544 **DEMITAT. DE VITA**  
rum, frondibus & floribus: at quàm dif-  
similes sunt hi rami à ramis crucis ? hi  
flores à spinis, frondes à clavis, palmæ  
à virgis & flagellis ? Vltimò honorant  
illum abiectis ex reuerentia ad pedes e-  
ius vestibus, ac paulo post spoliabunt  
eum proprijs: nec satis erit sceleratis illis  
ademisse illi suas vestes, verumetiam  
illudent illi veste aliena, nunc alba, nūc  
coccinea ad maiorem eius confusionē  
& contumeliam.

**COLLOQVIVM.**

**P**Recabere Christum Dominum per  
amorem, quo a sine insidens spon-  
tè abiit ad passionem, & tanto honore &  
pompa recipi voluit in ciuitate Hieroso-  
lyma, vt dignetur per gratiam venire in  
animam tuam, vt instar iumenti, omni  
humilitate & māsuetudine possis te sue  
Maieitati submittere: & simul gratiam  
impertiat, vt quando dignatur te inuisi-  
re in sanctissimo Sacramento, & quan-  
do veniet in hora mortis, possis illi ob-  
uiam procedere virtutum Christianarū  
floribus, & operum misericordiæ ramis  
in manu, ac denique victoriæ perturba-  
tionum palma exornatus: tibiq; gratiā  
largiatur degustandi in hac vita internā  
suam



suam pacem, in altera verò ad perfectã  
eiusdem pacis in cœlesti Hierosolyina  
visionem perducatur.

## DOCUMENTA.

1. **D**OMINVS noluit insidere a sine  
nuda, sed vestibus Apostolorum  
contectæ: Christus non figit sedem suam  
spiritualiter in animis nudis, sed in ijs,  
quas inuenit ornatas virtutibus & ope-  
ribus Apostolicis.
2. Dominus ad equitandum non elegit  
animalia superba & pomposa, sed humi-  
lia & mansueta. Procuremus & nobis in-  
esse has virtutes, ut Dominus in anima  
nostra sedem & domicilium habere dig-  
netur.
3. Tunc cum Apostolis vestibus nostris  
paramus locum, in quo Dominus sedeat;  
quandò monitis nostris emollimus, dispo-  
nimusq; mentes, hominum ut Christus  
habitare & requiescere in illis possit
4. Illi vestimenta sua sternunt in viam,  
qui mortificando & domando carnẽ suã  
preparant viam Christo, ut ad eorum  
animas veniat: ac item illi, qui bona sua  
vita exemplum præbent alijs suarum vir-  
tutum imitatoribus.
5. Tunc obuiam imus Christo cum oli-  
uarã ramis, quãdo opera caritatis & mi-

sericordie exercemus: tunc verò obuiamus cum palmis, quando extentione victoriam reportamus.

6. Tunc expandimus vestimenta nostra pedib Christi, quando facultatibus nostris temporalibus subuenimus egenis, qui significantur per Christi pedes.

7. Tunc Dominum recipimus cum laude & benedictione in animam nostram, quando in confessione syncerè aperimus peccata nostra, & quando gratias sua maiestati pro acceptis beneficijs referimus.

8. Christus in gloria sua voluit miscere humilitatem, equitando in vili astra, cuius usus erat in vilibus populi ministerijs: Sic nos, quando ab alijs laudamur, vel propria estimatione, aut vana gloria tentamur, vilis nostri conditionis recordemur, quamq; miserabiles & imperfecti omnibus in rebus sumus, perpendamus.

DE



DE FLETU  
CHRISTI SUPER  
HIEROSOLYMAE  
EVERSIONE.

MEDITATIO XX.

EVANGELIUM.

**V**T appropinquavit Iesus Hierosolymis, videns civitatem, *Luc. 19.*  
flevit super illam, dicēs. Quia  
si cognovisses & tu, & quidē in hac  
die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autē  
abscōdita sunt ab oculis tuis. Quia  
venient dies in te, & circundabunt  
te inimici tui vallo, & circundabūt  
te, & coangustabunt te vndiq; & ad  
terram prosternent te, & filios tuos  
qui in te sunt, & non relinquent in  
te lapidem super lapidem, eo quod  
nō cognoveris tempus visitationis  
tuæ.

*Tbren. 2.*

**H**ierosolyma à Rege Nabuchodonosor capta, Ieremias propheta multis gemitib. & suspirijs deplorauit eius vastationem, dicens: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua Domina gentium, princeps puinciarū facta est sub tributo.

**P R O P H E T I Æ.**

*Hier. 14.*

1. **D**educāt oculi mei lachrymam per noctem & diē, & non taceāt, quoniam contritione magna cōtrita est virgo filia populi mei plaga pessima vehemēt er.

*Isai. 1.*

2. Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui, Israhel autē me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et paulò post subiūxit penā illi ob hoc peccatum inflictam. Terra vestra deserta, ciuitates vestrae succense igni, & regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion, vt vms braculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas que vastatur.

*Hier. 8.*

3. Miluus in caelo cognouit tēpus suū, turtur & hirūdo & ciconia custodierūt tempus aduentus sui, populus autē meus nō cognouit iudicium Domini.

4. Venient in triremibus de Italia, super-  
 Num. 24.  
 rabunt Assyrios, vastabunt Hebraos, &  
 ad extremum etiam ipsi peribunt.

3. Et civitatem sanctuarii dissipabit po-  
 pulus cum duce venturo. & finis eius va-  
 Dan. 7.  
 stitas et post finem belli statuta desolatio.

6. Venient super te omnes maledictiones  
 ista quia non audisti vocem Domini Dei  
 tui, nec servasti mandata eius Adducet  
 Dominus super te gentem de longinquo,  
 & de extremis terrarum & fratribus in similitudi-  
 nem aquila volantis cum impetu qua non  
 deferat seni, nec misereatur parvuli: do-  
 nec te disperdat & conterat in cunctis vr-  
 bibus tuis, & destruantur muri tui firmi  
 atq; sublimes, in quibus habebas fiducia,  
 obsideberis intra portas tuas, & comedes  
 carnes filiorum tuorum, & filiarum tua-  
 rum in angustia & vastitate, quia oppri-  
 met te hostis tuus.

### CONSIDERATIONES

**I**MMINENTE iam tempore divi-  
 na voluntate ab æterno præfixo, quo  
 vnigenitus filius DEI per passionem  
 suam & mortem redempturus erat ge-  
 nus humanum; benignissimus Iesus,  
 sicut in omnibus actionibus suis semper  
 immensæ caritatis erga nos, & profun-  
 dæ humilitatis manifesta argumenta

dedit, sic nunc, cum iter haberet versus locum passioni suæ destinatum; initium illius operis fecit exemplo humilitatis, insidendo vili & abiectæ asinæ, ingressumque faciendo in illam civitatem, in qua paulo post supplicio crucis erat multandus. Deinde caritatis, nam ut appropinquavit Hierosolymis, mox atque vidit civitatem, commiseratione motus, multas effudit lachrymas cœcitatem eius, ruinam & excidium paulò post ob peccata eorum consecuturum deplorans. Vbi considera, inter amoris conditiones hanc esse præcipuam, ut, sicut qui amat potius est in re amata, quàm in seipso, sic etiam amplius letetur de rei amatæ bono, & contristetur de malo, quàm lætetur aut doleat, de bono vel malo suo. Iam quis credat, hunc dulcem amatorem, tanto amplius gauisum fuisse de bono nostro, & doluisse de malo, quanto longius amor eius erga nos, & magnitudine & perfectione infinitè excessit amorem omnium creaturarum? Ex scriptura liquet **CHRISTVM** Dominum nostrum quater lachrymasse in hac vita. Primò quidē in sua natiuitate, sicut in persona eius dixit Salomō his verbis. *Primam voce simile omnib. emisi plorās.* Et Ecclesia

canit: *vagit infans inter arcta conditus* *Ioan. 11.*  
*præsepia.* Secūdo lacrymatus est, apud sepulchrū Lazari, cum vellet eum à mortuis excitare. Tertiò, in hoc Euangelio, super ingrata & miseram Hierosolymā. Postremo lachrymatus est, in fine vitæ, quando in ligno crucis, teste *Heb. 5.*  
 Apostolo, cum clamore valido & lachrymis spiritum suum commendavit in manus cælestis Patris. Primæ lacrymæ *Gen. 22.* **CNRISTI** fuerunt lacrymæ misericordiæ, quibus defleuit humanas misérias & pœnas, quas primorum parentum culpa incurreramus, quibus ille quoque se propter nos subijcere voluit, ut nos liberaret ab æternis ærumnis & pœnis. Secundæ fuerunt lacrymæ amoris: valde enim Dominus teste Euangelista, amabat Lazarum eiusque sorores: etsi amor Lazaro ab eo demonstratus, non tam illi, quam in eius persona homini peccatori in fœtido & mortuo Lazaro præfigurato, demonstratus est. Hunc enim verè diligebat **IESVS**, & propter hunc flebat: & vobis peccatoribus, si benignissimus Deus nos non dilexisset, sicut dixit unigenitus eius filius. *Ioan. 3.*  
*Sic Deus dilexit mundum, ut filiū suum unigenitū daret.* Diligit ergo Deus peccatores, licet oderit,

peccatum. Diligit tanquã creaturas suas, quarum causa de cœlo descendit, triginta tribus annis laborauit, famem & sitim passus est, lacrymauit, & tandem se etiam in mortem obtulit, ad excitandos nos à morte peccati ad vitam gratiæ. Tertiæ lacrymæ, vt in hoc Euangelio, fuerunt inflammati cuiusdam desiderij procurandæ salutis populi, quem in specialem hæreditatem suam elegerat, & infinitis beneficijs, super omnes totius mundi nationes eam exaltans affecerat. itaque vehementer orabat, vt ciuitas illa tot beneficijs ornata, se agnosceret & profiteretur, verum Deum, Dominum naturalem, & sponsum legitimum, qui præmissis tot & tam pretiosis muneribus nũc in propria persona ad eam visitandam adueniebat, vt è terrena faceret cœlestem, & sempiterna salute & iucunditate, vt promiserat per suum Prophetam, eam cõpleret. Sed heu dulcis IESV, quãram habes plorandi & dolendi occasionem: nãm non solum non ab ingrata hac ciuitate agnosceris, vel recipieris, sed contemneris etiam iniurijs afficeris, & cum summa contumelia portis vr̄bis exturbaberis, & infamis latronis instar crudeliter in crucem ageris. Po-

*Exod. 19.*

*1. Pet. 2.*

*BATH. 4.*



ſremæ demū lacrymę, fuerūt afflictio- *Heb. 10.*  
 nis & pœnæ, licet enim illo tēporis pū-  
 cto redemptor noſter circumdatus ef-  
 ſet dolorib. mortis, & aquæ tribulatio-  
 nū ſanctiſſimā animā eius penetrāſſet:  
 nihilominus, quaſi id totū parū fuiſſet  
 ſuperabundanti eius caritati, & ardenti  
 deſiderio patiendi maiora tormēta pro  
 nobis, voluit tantis ſuis cruciatibus  
 quoq; adiungere lacrymarū amaritudi-  
 nem, ad placādā amplius iram Patris,  
 & fatiſfactionis vim magis augendam.

2. Cum benedictus Ieſus humili inſi-  
 dens a ſellæ iam in itinere eſſet verſus  
 Hieruſalē, mox atq; rumor de eius ad-  
 uētū percrebuit, ingens multitudo po-  
 puli illi obuiā occurrit, ad eum honorā-  
 dū, & lætis vocibus conſalutandū tan-  
 quam Regem & Meſſiam eūq; magno  
 applauſu & gratulatione in urbē ſunt  
 comitati. Verū humilis Ieſus negligens  
 has laudes, tantumq; honorem ſibi ex-  
 hibitū, cū locus eſſet gaudendi, incepit  
 lachrymari. Vnde perſpicitur, quāto a-  
 more ingratam illā ciuitatē ſit proſecu-  
 tus. Nā cū illi in tantō ſuo honore & tri-  
 umpho, atq; adeo in medio lætitiæ, in-  
 mentē veniret calamitas urbis & ruina  
 ex ipſorum cæcitate conſecutura, tanta  
 permotus eſt commiſeratione, vt con-  
 tinc-

354 **MEDITAT. DE VITA**

tinere lachrymas non potuerit, Vbi cōsidera immensam eius charitatem: sui enim oblitus, non suam mortem post septem dies perferendam, sed vastitatē inimicæ ciuitatis post multos annos euenturam deplorat. Et quamuis ciuitas Hierosolymitana semper fuerit ei rebellis, & paulo post, tantam immanitatem esset erga illum demonstratura, vnde & merebatur tantam pœnam, nihilominus ille vt benignissimus Pater, angitur & dolet de eius excidio, ac pro illa vberrimas lachrymas profundit. Quo loco vide, quousque propter nos infinita illa maiestas se demiserit; nam cum in statu diuinitatis versaretur omnis doloris expers, homo factus est, vt dolere de nostro interitu posset; vt dum oculis nostris cerneremus eum plorantem pro nobis, nullus locus ambigendi relinqueretur, quin ille magnoperè nos amasset. Vnde eadem de causa non contentus fuit multas ex gratiosis oculis suis expressisse lachrymas, sed etiam ex omnibus corporis membris voluit profundere lachrymas sanguinis, quando in horto Gethsemani guttis sanguineis in terram defluentibus sudauit. Quamuis verò Euangelistæ bis tantum expressam fecerint

men-

mentionem lachrymarum Domini, tamen ex eorum verbis colligi potest sæpius illum illachrymasse: cum enim illi scribant tantum, quemadmodum Dominus publicè coram populo fleuerit; signum est eum multo crebrius *Matth. 30.* fleuisse, cum esset solus: maximè cum ipse alicubi pronunciet beatos qui lugent: nec enim rationi consentaneum erat, eum, qui primo cœpit facere, & *Act. 20.* deinde docere, ab hoc misericordiæ opere abstinere; cum ille imprimis maiorem lachrymandi & dolendi causam habuerit, quam omnes homines simul iuncti. Quare & verisimile est, illum per omnem vitam plus fudisse lachrymarum, quàm omnes sancti simul: quod apertè insinuauit Apostolus illis verbis: *Hebr. 5.* *In diebus carnis sue, preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Ex quibus verbis sequitur vitam CHRISTI totam fuisse planctum & fletum, quia fuit vnum perpetuum sacrificium Patri æterno pro nobis oblatum. Vnde Spiritus sanctus, vt ostenderet quantum oculi Saluatoris abundarent lachrymis, alloquens sponsam; quæ erat sacra eius humanitas, dixit,

*Cant. 7.*

*oculi tui sicut piscina in Hesebō.* Vt enim piscinæ, vel stagna semper emittunt aquas foris, sic teneri oculi Domini vbertimas fundebāt lacrymas. Heu quis credidisset diuinos illos clarissimosque oculos, qui sua specie lætificant totā ciuitatē Dei, pōsse obscurari, & profunderē lacrymas tanti mæroris? beatissimumq; & foelicissimū Deū, qui in cælis beatos spiritus suarū deliciarū torrete, infinitaque pace & lætitia exsaturat, potuisse cerni in terra contristatū & lacrymantē? At mirū non est, eū qui pro nobis voluit potuitque mori, etiā voluisse lacrymari: is enim amor, qui fecit, vt ipse in cælis esset fons dulcissimus clarissimusq; pro electorum suorū cōsolatione, idem fecit, vt hic in terra, ob collectas in eo omnes peccatorum nostrorum sordes esset fons turbatus, & amaritudine plenus. O insensati iudæi, si, quādo hūc ipsum dominum vidistis iuxta sepulchrū Lazari plorantem inde collegistis, Lazarū illi valde carum fuisse dicentes, *Ecce quomodo amabat eū;* sic nunc, dum videtis eum plorantē supra ciuitatem vestram, meritō concludere debetis: *Ecce quomodo amabat eā.* Quod si fecissetis, forte maiori honore illum recepissetis, nec ita præcipientes fuisse

*Psal 35.**Ioan. 11.*

fuiſſetis in condemnādo ad mortē eo, qui tāto perē optabat amabatq; vitā veſtrā. O cor meū duriffimis ſaxis durius, ſi enim calidus ſanguis vilis beſtię, vim habet, vt fertur, frangēdi adamantem, quomodo hæ Chriſti lacrymæ tanto igne amoris pro te effuſę non poterunt tuam duritiē emollire, vt ſemel decernas peccato exturbato in te recipere tuum miſericordiſſimū redemptorē? Hęc anima mea, qui fieri poteſt, vt tuū propriū damnū, & tam maniſeſtū tuę perditionis periculum non promoueant oculos tuos ad lacrymas? ſi potuerunt mouere cor, & prouocare lacrymas oculis Dei? O vtinam mihi gratia illa cōtigiffet illis temporibus præſto ad eſſe CHRISTO, haud dubiū, quin lingua ſerpente per terram ſingulas lacrymas delibaſſem, quę ex diuinis illis oculis ob peccata noſtra excidebant. O quę pretioſę erant reliquię, quàm nobilis theſaurus, quanti valoris margaritum, nempe infiniti, ad redimendum non vnum modo, ſed mille mundos? Tunc proculdubio cor meum ſciſſum fuiſſet, & oculorum meorum fontes patefacti fuiſſent, ad deplorādas tot noxas meas, tantāq; ingratitudinē aduerſus tū benignū & amabilē dominū declaratā.

3. VT appropinquauit IESVS ciuitati Hierosolymorum, ea conspecta, illachrymauit. Lapsa erat hæc ciuitas, à Deo alias tot beneficijs affecta, sua nequitia in tantam miseriam spiritualē, vt infrar hominis illius infælicis, qui à latronibus erat spoliatus & ad mortē vulneratus, tãto maius suę salutis discrimē adierit, quãto minus lethalem suam ægritudinē agnoscebat. Cuius statū describit Propheta his verbis *A plāta pedis vsq; ad verticem capitis non est in eo sanitas. Vulnus & linor & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Et quoniã ob magnitudinem scelerum non poterat curari remedio cæremoniarum, & sacrificiorum legalium; remedio, inquam potius crudeli & sanguinario, à quo aberat & compassionis ligatura, & oleum misericordiæ: aduenit nunc hic misericors Samaritanus, hic medicus cælestis qui ea conspecta, motus commiseratione illius appropinquat vt oleo pretioso lachrymarum suarum illam curare possit. Sed heu, illa instar phrenetici hominis insultans medico, qui venerat ad restituendam illi vitam, intendit illi necem, & respuēs salutem ab eo oblatam, sibi ipsi interitum, machina-

Luce. 10.

Esa. 1.

chinatur, eligens iniquitatibus suis occumbere. Quare meritò benedictus IESVS, conspecta hac cæca ciuitate lachrymatur misertus illius, & ruinae ipsi imminentis. Vidisses autem hic Saluatorem longe alijs lachrymis deplorantem hanc urbem, quam olim eius vastitatem deplorauerit Propheta Hieremias. Hic enim potius defleuit suum damnum temporale & simul populi captiuitatem à Rege Babilonis factam at ille potius deflet ingratitude & cæcitatem suorum ciuium, mortem & interitum animarum ab infernali illo tyranno oppressarum. Fuerunt item hæ lachrymæ IESV acerbiores longè illis, quas Rex David in sepultura sui summi amici Abner profudit, hinc 2. Reg 5. nim Rex motus erat ad hunc planctum ex officijs à magno illo belli duce sibi præstitis, at Dominus fleuit supra Hierusalem, à qua non solum vllum receperat beneficium, verum etiam multis iniurijs & contumelijs exagitatus fuerat. Rectè defleuit idem bonus rex David mortem impij & ingrati filij sui Absalonis, idque cum tanto animi dolore, vt si fieri potuisset, optâit pro illo mortuus fuisse, cum diceret, *Absalom 2. Reg 3. fili mi fili mi, Absalò, Quis mihi tribuat,*

*ut ego moriar pro te?* Dolebat enim hic sanctus homo, non tam ob mortē corporalem filij, quam ob perditionē animæ, cum occubuerit in tam horribili peccato. Non aliter cogitare debes misericordē IESVM de rebelli & ingrata ciuitate dolentem cū lachrymis dixisse. O Hierusalē, filia Sion dilectissima, quis mihi dabit, ut ego moriar pro te? David habuit desiderium moriendi pro suo filio, ab amorē quo eum prosequabatur: at hoc desiderium eo fuit maius in Christo, quanto vehemētior eius amor fuit erga Hierusalem, quam Davidis erga filium Absalonem. Vnde factum est, ut CHRISTVS reipsa voluerit mori pro Hierosolyma, David verum nō est mortuus pro Absalone. Heu si idem Dominus nunc de cœlo in terram descenderet, ut olim fecit, in carne passibili, videretque tot vrbes, tot regna, & imperia tantis ignorantiaē tenebris oppressa, tot immersa erroribus, & tam grauibus sceleribus obnoxia, non posset proculdubio se continere ab vberimis lacrymis: si enim in vnā vrbe tantum effudit lachrymarum, quid faceret in tot vrbes & regiones Christianorum? Non dubium est, hoc acerbiorē copiosiorēq; eius sollicitū quo



quo nos longè maioribus, magisq; singularibus beneficijs à Domino ornati sumus, pro quibus ille nō solū sanguinem solum effudit & mortuus est, quos non solū donis sui Sancti spiritus locupletavit, sed infinitis alijs gratijs & charismatis cohonestavit. Quare & nostra ingratitude longo intervallo superat civium Hierosolymitanorum ingritudinem.

4. Videns ergo clemētissimus Iesus civitatem, fleuit super illā, & dixit. *Quia si cognovisses & tu quidem in hac die, tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, verba verè dulcissima, & quæ ex corde omnino amoris & commiserationis plenissimo procedebant. Pauca fuere verba, quæ CHRISTVS protulit, nam internus dolor, & lachrymarum copia ac singultus vocem intercludebant: corde autē multa verba, multas querelas contra ingrātā civitatem versabat, vti facile indicarant hæc verba imperfectè, & quasi interruptè prolata: quasi dicere voluisset. O Hierusalē, ô filia Siō, quam fores beata. si in hac die tua, q̄ à Deo per suos Prophetas ante tot sæcula fuit, p̄missa, in qua rex & Saluator tuus ad te venit mansuetus & pauper, ad afferendū tibi

bi vitam & æternam salutem: si inquã,  
 in hac die, qua tanta figurarum vaticini-  
 orumque lux, & tantus doctrinæ mi-  
 raculorumque splendor te inuitant  
 ad me cognoscendum, cognouisses  
 quoque ea quæ pertinent ad tuam pacẽ  
 & fælicitatem sicut cognosco ego, &  
 cognoscunt hi pauperes mei discipuli,  
 & simplices turbæ, quæ tanto gaudio &  
 triũpho mihi obuiã processerũt, meque  
 receperunt: sed heu nunc hæc omnia  
 sunt abscondita oculis tuis; nam tãtum  
 abest, vt me tanquam Saluatorem reci-  
 pias, vt etiam crudeliter mihi insultes,  
 & ad interitum trahas, & idcirco do-  
 leo; ideò fleo super hac tua cæcitate: &  
 simul super excidio ob hoc peccatum  
 tuum tibi euenturo, *quia veniẽt dies in  
 te, & circumdabunt te inimici tui vallo,  
 & à fundamẽtis te euertẽt. Totum autẽ  
 hoc tibi continget, eo quod nõ cognoue-  
 ris diem visitationis tuæ, in quo per my-  
 sterium meæ incarnationis ab alto de-  
 scendi ad visitandum te, & vt prædica-  
 rem tibi pacem, & lucẽ veritatis appor-  
 tarem, Sed tu quæ plus dilexisti tene-  
 bras quàm lucem, noluisti eum recipere.*  
 Quare iure potuit Dominus cõque-  
 ri his Prophetæ verbis. *Desolatione deso-  
 lata est omnis terra, quia nullus est qui  
 rece-*

Zach. 9.

Matth. 21.

Ioan. 1.

Ierem. 12.

Esa. 57.

*recogitet corde.* Nunc anima mea contēplare, quomodo benedictus IESVS hoc iter lachrymans & suspirans confecerit, comitantibus discipulis, commiseratione sui dilecti Magistri dolore & mærore plenis. Neque minus hi facere potuerunt quam illo lachryman-  
te, non se à lachryanis continere. *Com-  
patere ergo tu quoque anima mea ius-  
to dolori tui dulcis Iesu, & cum videas  
cor eius tam grauiter afflictum, plora  
vna cum ipso, imo deplora teipsum,  
quia tuis peccatis causam eius dolori-  
bus dedisti. Vide quomodo magnus il-  
le paterfamilias, qui iam plantarat hanc  
suam dilectam vineam, & supra alias  
omnes tot donis & prerogatiuis donat-  
rat, ac huic populo colendam tradide-  
rat, vt suo tempore optatum fructum  
redderet, cum suis temporibus alios at-  
que alios seruos emisisset ad exigendos  
collectos fructus, omnes ab ingratis i-  
stis agricolis capti sunt, & partim vul-  
nerati, partim occisi & lapidati: ad ex-  
tremum verò idem bonus Pater cogi-  
tans eos saltem reuerituros filiū suum,  
vti naturalem eorum Dominum, eum  
nunc ad eos amandat in propria per-  
sona, quem vbi eum omni humilitate  
& mansuetudine in vineam aduenien-*

*Matto. 21.*

tē impij illi & scelerati conspexerūt, illico conſpiratione facta acclamârūt, *Hic eſt haeres, venite occidamus eū, & habebimus hereditatē eius.* O cōſiliū peruerſum, & maledictā inuidiam, quæ ita ex-cæcas hominum intelligentiam: exiſtimârunt enim miſeri iſti ſe ſaluam & incolume regnum conſeruatuſ, ſuaſ-que opes cumulatuſ ſi Chriſtum è medio ſuſtuliffent: ſed contraria omnia illis eueniunt: nam non ſolū iſi regno exuti ſunt, ſed omnes ſimul cum nobiliſſima vrbe ſua, & templo tã ſan-cto exciſi, & in nihilum redacti, vinea quoque Eccleſiæ Dei, ab illis ad alias nationes Deo gratiores & obſequentio-nes translata, Vnde alias Saluator de

*Matth. 23.*

illis conquerens dicebat. *Hieruſalē Hieruſalem, qua occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti? Et id. o ſubiunxit Dominus. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta, & ſic accidit. Quoniam enim ludæi noluerunt recipere CHRISTVM verum & legitimum ſuum dominum, incidere in manus exterarum gentium, à quibus ſpoliati Dominio, facultatibus & vita, Hieruſalem à fundamē-  
tis*

ris fuit euerſa, & populi tam numeroſi reliquiæ in hodiernum uſque diem per vniuerſum terrarum orbem ſunt diſperſæ. O quot hodie etiam reperias, non dico inter eos, qui non agnoſcunt nec recipiunt CHR. STVM, ſed inter eos, qui profitentur ſe eius fideles; opinione illa & prudentia iudaica fascinatos, vt exiſtiment ſe non poſſe tueri honorem ſuum & ſtatum, nec conſeruare facultates ſuas, ſi ſincere velint, vt debent, nomen & gloriam CHR. ISTI defendere, & diuinis Eccleſiaſticisque legibus, velut filij obedientes humiliter obſecundare? Vnde quando animaduertunt ſe cum aliquo incommodo ſuo & iactura tueri debere pietatem & religionem Chriſtianam, illico cum ingratis illis agricolis clamant, Venite occidamus eum, maneat foris CHR. ISTVS, domum noſtram ne ingrediatur. O cæci hominum filij, non vult noſter benigniſſimus DEVS, nec ſuauiſſima lex eius priuare nos donis à ſe conceſſis, ſed conſeruare potius ea & perficere, ac cumulare maioribus. Quare qui tanta bonitate non vtuntur, ſed potius eam contemnunt antepoſcendo humana diuinis, eue-

niet illis idem quod nunc prædicat Ierodæis, vt nempe auferantur illis bona temporalia, & simul æternis & cœlestibus destituantur.

1. Cor. 2.

Isa. 4.

5. O anima Christiana, si cognouisses & tu. & quidē in hac die tua, qua ad pacem tibi, & ad tuam salutem pertinent, illaque vera & æterna bona obtinēda, quæ oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderūt. Ad acquirēdum ipsum DEVM fontem omnis boni, & thesaurum omnis fœlicitatis & beatitudinis, in hac die, qua Dominus tibi tot occasiones præbet ad cognoscēdum se, tantasque commoditates ad seruiēdum sibi. Si non nihil aperires oculos, & considerares tu quoque, quæ ad pacē tibi. hoc est, res quæ pertinent ad fœlicitatem tuam, & verum tuum bonum, vanitatibus mundi renunciare, cogitationes & curas rerū terrenarum, quæ non ad aliud valent, q̄ ad impediēdam & periculo exponendā tuā salutē, seponeres. Sed heu abscondita sunt ab oculis tuis hæc cōsilia, nō agnoscis in modo bonū tuum, non vides quot laqueis te inimicus circumcinxerit, non consideras horrendum iudicium, & supplicia tibi impendentia. Quamobrem verendum est, ne quia tu cum terrena hac Hierusalem

lem neque cognoscis, neque iuuas te tantis occasionibus pacis, quas Deus speciatim hoc die tibi offert, superueniant dies non tui, sed Dei, dies iustitiæ & vindictæ, quando omnes qui nūcrespuunt opportunitates salutis, infernalium carnificum manibus tradentur, à quibus intolerabilibus tormentis, æternaque morte sine fine excrucientur: O anima peccatrix. ô tepida & negligens, quæ dum in viuis fuisti, nunquam oculos à terra sustulisti in altum ad considerata vera bona tua; quid ages, quando compulsæ ad demigrandum è corpore tanto perè amato, vndique te cernes obsessam, hinc doloribus & angustiis mortis, illinc propriæ conscientiæ verme grauissimè diuexante, inde à turba malignorum & immanium spirituum, qui sua horribili præsentia, enumerationeque & amplificatione tuorum scelerum adigent te in desperationem salutis? Tunc quid facies anima miserabilis? quo te vertes? cuius auxilium implorabis? comparere erit intolerabile, latere impossibile. *Non erit fuga eis, inquit Propheta, & qui fugerit ex eis, nõ saluabitur. tūc omnia consilia tua euanescent, & desideria abibunt in fenum; nec aliud restabit,* *Amos 9.*

*Matth. 25.*

nisi vt dicatur tibi. *Exite obuiã ei.* Quis autem obuiam exhibit, nisi Dominus, quem toties offendisti, ille iratus & inexorabilis iudex, Dominus ille, à quo, quandoquidem aures illi præbere noluisti, cum dulcibus verbis te hortaretur, audies verba reprobationis & maledictionis. Ne ergo anima peccatrix prorogare velis vsque ad illud tempus tuorum peccatorũ poenitentiam & cõuersionem: tunc enim tanta erit mentis tuæ perturbatio & cõfusio, vt tui oblita, nihil cogitare de salute possis, nam

*Psal 145.*

scriptũ est. *Exibit Spiritus eius, & reuertetur in terrã suã, in illa die peribũt omnes cogitationes eorũ.* Itaq; quicquid, dũ eras adhuc in vita, facere decreuisti, & in illam horam distulisti, hoc temporis puncto excidet & euanescet: tunc enim non erit amplius consultandi vel deliberandi tempus, sed tantum rationem reddendi. Quare si optas & desideras mori in pace, procura vt viuas bene;

*August.*

nã vt dicit quidã sanctus Doctor, *nõ potest male mori, qui bene vixerit, & bene mori, qui male vixerit.* Atque idcirco cõueniẽter consilio salutari sapientis,

*Ecal 5.**Gal. vlti**2. Cor. 6.*

*non tardes cõuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diẽ: subito enim veniet ira illius, & in tẽpore vindictæ disperdet te.*

**Dum**



Dum viuus, dum tempus est acceptabile, & dies salutis, vt dicit Apostolus reconciliare tuo creatori, vt lætius possis viuere, & mori securius.

## COLLOQVIVM.

**O**RABIS Christum Dominum, qui verbis exemplisque te docuit potius flere, quam inaniter gaudere: vt sanctissimas lachrymas, quas dignatus est super miserabilem illam ciuitatem profundere, quoniam frustra pro illa effusa sunt, tibi saltem velit vtiles esse & salutares, cōcedendo tibi viuum fontem amarissimarum lacrymarum, quibus deplorare & expiare tua peccata possis. Deinde oculos quoq; mentis tuæ aperire dignetur, vt singularia beneficia quæ quotidie tibi impertit, agnoscere possis, & sigillatim tempus quo ipse sua gratia, internisque inspirationibus animam tuam visitat, & ad bona opera inuitat: vt benè vtēdo oportunitate temporis, & auxilijs à sua Maiestate concessis, non illi contingat, quod cæcæ huic ciuitati contigit crudelissimis inimicis suis in prædam datæ.

## DOCUMENTA.

1. **D**ominus, cum tanto honore & applausu exciperetur à populo, nullâ

tamen visus est inde capere voluptatem, sed erat totus in meditatione defixus re-  
 vū ad nostram salutē spectantium, ut in-  
 dicaret huius mundi delicias breves esse  
 & vanas. & ideorationem nullam carū  
 habendam, ac potius respuendas. Deinde  
 non esse fidēdum hominum laudibus: nā  
 qui hodie vidētur nos honore afficere, cras  
 vituperabūt & malē loquentur de nobis;  
 sicut accidit Christo, nā hic ipse populus,  
 qui hoc die illum honoravit, paucis post  
 diebus exclamavit, Crucifige, crucifige,  
 eum.

2. Christus fleuit supra Hierusalē; à qua  
 sciebat se tanto odio haberi, & persecu-  
 tiones pati Quo exemplo docemur, nō so-  
 lum dolere & cōpati afflictionib. tã cor-  
 poralibus, quam spiritalibus proximorū  
 nostrorum sigillatim peccatorum,  
 (qui eo magis deplorandi sunt, quo mi-  
 nus seipsos deplorant) verumetiam ini-  
 micorum. si quando in arumnas aliquas  
 incidant iuvando illos, quibuscunque re-  
 bus possumus iuxta præceptū Domini, eo-  
 que amplius, quo longius per peccata sua  
 à Deo recesserint, orando pro illis, ut do-  
 minus eos convertere dignetur & ad sa-  
 lutem perducere.

Mat. 5.

3. Christus doluit & fleuit super Hiero-  
 solymam; quando in summo erat gaudio,  
 nub-

nullamq; sue salutis curam agebat; representās ea in re personā boni Prælati, qui equè de subditorū suorū incōmodis atq; de suis, debet esse sollicitus. Vnde ad ipsum spectat lachrymari pro illis qui vident, & cōtristari pro illis qui inaniter latētur, et sollicitum esse pro ijs qui nullam sui curā gerunt, magno zelo, omniq; studio eos iuvando non solum correctionibus paternis, monitionibusq; salutaribus, sed oratione quoq; & lachrymis.

4. Dominus inter summos honores sibi à populo delatos lachrymatur de Hierosolymitano excidio; præbēs nobis exemplū, ne rebus prosperè fluētibus, obliuiscamur afflictionum proximi secundum consiliū Apostoli, gaudete cū gaudentibus, flete cum flentibus. Nam ut ille idem scribit, hæc est membrorum in uno corpore societas & vinculum, ut si unum membrum patiatur, compatiantur cætera membra; & si unum gaudeat, reliqua cōgaudeāt; quare hominis Christiani actio non est, gaudere & exultare in sua prosperitate, & nulla cura tangi proximi, num bene vel male habeat.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

5. Fleuit quoque Christus inter honores à turba sibi delatos, ut significaret, gaudia huius mūdi omnia mixta esse multis doloribus & innumeris amaritudinibus,

Promer.

eaq; breui in luctū commutāda, secūdum illud sapientis, Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

6. Fleuit deinde Christus sub hoc tempus ad docendū homines, quādo flendum sit; nēpe inter honores & applausus huius seculi, qui potius flendi quā gaudēdi materiā subministrant. Nam ut experientia quotidiana docet, quid aliud est honor mūdanus, nisi spūma, fumus, & somnū. Spūma est, quia inflat, fumus, quia excaecat; somnū, quia subitō euanescit. Quare optimum consiliū est gaudia mundana aliqua graui cogitatione ut mortis, vel iudicij, vel aduersitatum, qua vel acciderunt vel accidere possunt, temperare, cōgruenter consilio Sapientis. In die bonorum non immemor sis malorum.

Ecol. iii.

7. Defleuit Dominus, non tam ruina materiale Hierosolymorum quam peccata eorum, qua causam ruine dederāt; ut nos quoque discamus deflere non temporalia damna, sed peccata nostra: ad aliud enim nō seruiunt lachrymæ, quam ad eluendas animi maculas, & peccata expianda. Nam et si defleamus mortē parentum, vel amicorum, aut iacturā fortunarium, nunquam tamen poterimus aliquid illorum recuperare; si autem Deum offenderimus, poterimus illum reconciliare

ciliare lachrymis & deletis per illas peccatis amissa restitui gratia.

8. Prædixit Dominus excidium Hierosolymorum, eo quod ciuitas illa tempus sue uisitationis non cognouisset: ut uidelicet, omnes intelligerent, nunc dum uiuimus tempus esse nostra uisitationis, quo Dominus omni benignitate nos uisitat, uocat cum clementia, & expectat cum patientia. Verum postea, aliud ueniet tempus, cum Dominus nos uisitabit tãquam Iudex ad exercendam iustitiam, quo tempore strictissimam exiget rationem etiam de uerbis otiosis: si ergo tunc uelimus esse *Matth. 12.* securi, ut amur nunc bene opportunitate huius tẽporis à Domino cõcessi, secundum consilium Sapientis. Quodcunq; facere *Ecc 9.* potest manus tua, instantèr operare, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

8. Si cognouisses & tu, inquit Christus ad Hierusalẽ. Quibus ex uerbis intelligere possumus, omnia mala nostra oriri ex defectu cognitionis: nã dãmõ nõ secus quã carnifex, obuelat oculos peccatoris, ne grauitatẽ peccati cognoscat, qua grauius est gladius ille acutus qua prasi, indit illi ceruices. & occidit. Ut quando aperiẽdi sunt oculi, inueniat se in inferno, ubi nullũ amplius remedium salutis superest.



DE FICV A  
CHRISTO MALE-  
DICTA,

ET ALTERA EIE-  
CTIONE VENDENTIVM  
E TEMPLO.

*MEDITATIO XXI.*

*EVANGELIVM.*

*Luc. 19*

*Mat. 27.*

*Mar. 11.*

*Ioann. 11.*

**C**VM intrasset Iesus Hierosoly-  
nam, commota est vniuersa  
ciuitas, dicens. Quis est hic?  
Populi autem dicebant. Hic est IESVS  
propheta à Nazareth Galilææ.  
Pharisæi ergo dixerunt ad semetip-  
sos: videtis quia nihil proficimus, ec-  
ce mundus totus post eum abiit. Et  
intrauit IESVS in templum Dei, &  
accesserunt ad eum cæci & claudi,  
& sanauit eos. Et cùm vespera esset  
hora, circumspexit omnibus IESVS

SVS relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, cum duodecim, ibiq; mansit. Et alia die mane reuertens in ciuitatem, cum exirent à Bethania, esuriit. cumq; uidisset à longè fici arborem, habentem folia venit ad eã, si quid fortè inueniret in ea: nihil autem inueniēs in ea, nisi folia, non enim erat tempus ficorum, dixit ei. Iam non amplius in æternum ex te fructus nascatur, & arefacta est continuo ficulnea. Et uenerūt Hierosolymam. & cū introisset in templum, cœpit eiicere oēs vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit, & docebat dicens illis. Nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis est? vos autem fecistis illã speluncam latronum: Et cœpit illis loqui in parabolis. erat autem quotidie docēs in templo. Principes autem Sacerdotū & Scribæ quærebāt quomodo eum perderent; timebāt enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.

376 MEDITAT. DE VITA  
Et cū vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate.

PROPHETIÆ.

- Mich. 7.* 1. **N**on est horreus ad comedendum, praequas ficus desiderauit anima mea, perijt sanctus de terra. & rectus in hominibus non est.
- Ier. 12.* 2. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecerit scelera multa?
- Ier. 7.* 3. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista? in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?
- Soph 7.* 4. Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur, super limen in die illa, qui compleuit domum Domini Dei sui iniquitate & dolo.
- Psal. 77.* 5. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones in initio.

CONSIDERATIONES.

**I**NGRESSV Saluatoris tam festo & solenni in urbem Hierosolymitanam commota est tota ciuitas, sed non vno modo: nam alij, vt turbæ populares CHRISTO valde addictæ, commoti sunt in bonum, & lætis vocibus acclamârunt. Hic est IESVS Propheeta à Nazareth: alij verò, vt inuidi Pharisæi, commoti sunt in malum, & indigna-



gnatione odioque inflammati dixerūt. Videtis, quia nihil proficimus. Ex quo liquet, quemadmodum Sol natura sua habet inditam vim liquefaciendi ceram, & indurandi lutum; Sic CHRISTVM verum iustitiæ solem, post commissos in hanc urbem lucis suæ radios, aliorum corda, vt simplicis populi, quæ instar ceræ facilè emolliri poterant, mouisse ad deuotionem & teuerentiam sui: aliorum verò, vt arrogantium Pharisæorum, instar sordidi luti potius indurasse, ita, vt inuidia quasi consumerentur, dum viderent tantum honorem CHRISTO à tam multis deferri.

Nunc verò audi, quid scelerati isti dicant. *Videtis, inquit, quia nihil proficimus: ecce totus mundus post eum vadit.* Miseri homines, quia tristantur vnde letari merito deberent: excœcantur, vbi illuminandi erant. Vbi vide, licet minimè velint, magnam tamen ab illis prodi veritatem. nam vt Spiritus sancti impulsu impius Pontifex Caiphas prophetavit, quando, licet dissimili intentione, dixit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat:* Sic nunc Spiritus sanctus fecit prophetare Pharisæos, nempe, totum mundum secuturum

IOAN. III.

CHRISTVM

IOAN. 12.

CHRISTVM, conuenienter ipsius  
 CHRISTI dicto. *Si exaltatus fuero à  
 terra, omnia traham ad meipsum.* Vbi  
 considera profunda diuinæ sapientiæ  
 iudicia: nam quicquid Iudæi machinati  
 sunt contra CHRISTVM, & consi-  
 lia omnia quæ cœperunt ad extinguen-  
 dum sanctum eius nomen, & excin-  
 dendam doctrinam, atque miracula:  
 deinde, quod odiosum populo reddi-  
 derint, ne quis eum sequeretur, vel in  
 illum crederet, id totum in eorum reci-  
 dit caput: Etenim quod perticinaciter, le-  
 gem Euangelicam repudiârint, & Chri-  
 stum eiusque sectatores persecutisint,  
 causam dedit Euangelij translationi ad  
 gentes: à quibus cum promptissimè  
 illud reciperetur, factum est, quod  
 illi tantoperè reformidabant, vt om-  
 nes totius mundi nationes se subiece-  
 rint CHRISTO, cuiusque sanctam  
 fidem & Euangelium cupidè sint com-  
 plexæ. O cœci Iudæi, ô ingrata Hiero-  
 solyma; bene dixit Apostolus Ioannes  
*Lux in tenebris lucet, & tenebra eam  
 non comprehenderūt.* Iam tempus illud  
 adest, quo hic clarissimus Sol suæ do-  
 ctrinæ miraculorumque luce in hac cœ-  
 ca ciuitate radios suos emittere debe-  
 at ad vos, quasi nunquam illum vidis-  
 setis:

IOAN. 1.

setis, dicitis. *Quis est hic?* Petite à vestris pueris & infantibus, & à rudi populo, & respondebunt, illum esse IESVM Prophetam à Nazareth. Quærite etiam à creaturis sensus expertibus, & omnes vna voce clamabunt. *Ipse est DEVS, ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Vos autem qui clauem scientiæ accepistis, & sedetis quasi Doctores & Magistri legis, in cathedra Moyfis, non agnoscitis CHRISTVM. Heu satis agnouistis eum, sed ad irridendum eum, flagellandum & è vita tollendum, quando dixistis. *Hic est haeres, venite occidamus eum.* Verū nāc cum videtis eum tanto honore affici à turbis, dicitis. *Quis est iste?* & hunc nescimus vnde sit. Non sic anima mea, sed potius cum pia hac turba eum confiteri & agnosce verum Dominum, dicendo. Hic est IESVS magnus Propheeta à Nazareth. Hic est verus Saluator mundi, fons æternæ salutis, magister Prophetarum & omnium prophetiarum finis & complementum. Hic est ille verus Nazareus, flos campi, & liliū conuallium, cuius odor suauissimus non solum totam terram, sed etiam cælum implet, ad cuius fragrantiam accurrunt omnes angeli & animæ sanctæ. O dulcissime IESV currat que-

Psalus. 99.

Mar. 22.

Ioan. 9.

Cant. 2.

*Cant. I.*

quoque anima mea in odorem pretiosorum unguentorum tuorum, & ita in te absorbeat, ut vi amoris tui, omnium aliarum rerum huius mundi obliuiscatur.

2. **CONSIDERA** Dominum post ingressum illum celebrem in Hierosolymitanam urbem institutum, licet eius legitimus esset rex & Saluator, non tamen adijisse palatium regium, nec in throno regio consedisse, sed nec tribunal iudicium conscendisse, ad iudicium ferendum, vindictam ue sumendam de suis sacrilegis homicidis, qui iam animo decreuerat eum e medio tollere: sed prima eius cura & studium fuit adire sacrum templum ad adorandum Patrem suum, cuius gloriam humilis Iesus in omni actione sua, tanquam obsequentissimus filius querebat. Ibat quoque ad templum velut Dominus templi ipsius, ad sanctificandum & illustrandum illud sua presentia: ibat denique ad templum, quo pauper Iesus semper ire consueuerat, quia in amplissima illa urbe aliam domum non habebat, praeter domum sacram aeterni sui Patris. Quod ut fuit ingressus, non iam se illi mox adiungebant tumidi Pharisei, qui existimabant se alijs omnibus sapientiores, sed homines plebaei, caeci, claudi, & alij infirmi, qui-

quibus omnibus, teste Euangelio, restituit sanitatem. Quo in facto vide, quā verè completum sit Zachariæ vaticinium, dum ait: *Exulta satis filia Sion, inibi la filia Hierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator.* Christus enim se declaravit Regem, quando autoritate regia, hunc solennem ingressum in urbem Hierosolymorum celebravit, & à toto populo, rex Israel proclamatus est, & summo honore receptus. Secundo se demonstravit iustum, quando uti summus verusque Sacerdos adiit tēplum, ad reddendam gloriam Patri, & restituendam ipsi tēplo sanctitatem, quæ à sceleratis illis iniquis negotiationibus erat prophanatum. Tertio demonstravit misericordiam & potestatem Salvatoris, quando omnibus cæcis, claudis, aliisque ægris ad illum accurrentibus, (ad portandum enim infirmitates nostras in mundum venerat) benignè sanitatem restituit. Voluit autem Saluator mundi hac via & ratione ingressum suū instituere, & ab omnib. infimæ conditionis atque infirmis speciatim agnoscere & recipi: contra verò à Scribis & Phariseis aliisque populi principibus respui, & contumelijs affici, ad adumbrandum divinum suum consilium de reprobatione-

Zach 9.

382 **MEDITAT. DE VITA**  
tione populi Iudaici, & vocatione ac  
conuersione populi gentilis, qui instar  
huius simplicis plebis, horumque cœ-  
corum & claudorum tenebris ignoran-  
tiæ erat immerfus, & multis infirmita-  
tibus spiritualibus oppressus, quorum  
vitio neque videre neque operari suam  
salutem poterat. De quo populo lo-  
quens ipse Dominus alio in loco dicit.

*Joan. 19.*

*Rom. 11.*

*In iudicium ego in hunc mundum veni:  
ut qui non vident, videant, & qui vidēt  
cæci fiant. Unde & Apostolus ad Roma-  
nos: Cæcitas ex parte contigit in Israhel,  
donec plenitudo gentium intraret. Quare  
appositè in Euangelio dicitur, quod  
Christo templū ingrediēti adiūxerint  
se cæci & claudi, fuerintq; ab eo sanati.*

3. **VERVM** dulcissimè **IESV** non  
possum non mirari maximam patien-  
tiam tuam, & intimo corde compati  
extremæ necessitati tuæ: nam cum ma-  
ne tanto honore à populo hoc receptus  
esses, & totum diem consumpsisses,  
instruendis turbis, sanandis infirmis &  
redarguendis Scribarum & Phariseorū  
calamnijs: tandem inclinante in vesp-  
eram die, ut est in Euangelio, *circumsp-  
ectis omnibus, cum iam vespera esset hora  
relictis illis* existi in Bethaniā cum duo-  
decim: hoc est, cum à tanto circumstan-  
tium

tium numero neminem inuenires, qui tui defatigati misereretur. Mirum, ne vnum quidem ibi fuisse, qui motus misericordia, vel calicem aquæ frigidæ obtulerit; ac ideo coactus sis derelicta vrbe ieiunus cum discipulis redire in Bethaniam. O admirabilis filij Dei egestas, non inuenire in tanta necessitate, hominem, qui CHRISTO provide-  
ret de cibo, qui secundū legē ne bestiis quidem defatigatis negari debet. Merito certe de eo scripsit Ioannes Apostol. quod *in propria venit, & sui eum non receperunt.* Vnde cū natus est, ne in dixerforio quidem locum habere potuit: in patria deinde Nazareth, à proprijs ciuibus indignè eiectus est, & nunc morti vicinus, ab omnibus desertus & contemptus. Verum Domine mi horum omnium nō alia causa fuit, quàm tua caritas: voluisti enim fieri pauper & omnibus alijs ærumnis subijci, vt nos diuites efficeremur. Id quoque quidam propheta prædixit, cū describēs tuum in Hierusalem ingressum, non solum declarat te regem, & iustum, & Saluatorem, sed etiam mox subiungit, & ipse pauper, vt indicaret, quātum per omnem vitam in medio gloriæ & maiestatis cursu hanc virtutē colueris; sicut

Ioan. 1.

Zach. 9.

per

*Psalm. 82.*

per alium quendam Prophetam ipse expressisti, dicens. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea.* O mi dulcis IESV, cur illo tempore non fui Hierosolymis? Utinam vel parvulam domunculam ibi habuissem, in qua te te exciperem; forte, ut benignissimus es, non fuisses dedignatus divertere ad publicanum & peccatorem, meoque cognito desiderio dicturus fuisses, *Quia hodie in domo tua oportet me manere,* tuaque

*Luc. 18.*

ptæsentia domui meæ salutem, ut iam antè feceras Zachæo, intulisses Sed heu me miserum, cum quotidie videā te in sacro altari existentem, & quidem eundem ipsum, qui in domo Marthæ & Mariæ fuit receptus, non tamen te inuito, non te precor, non te, cum possim quotidie, recipio in domum meam; eoque amplius, quod ex parte tua nihil impediatur, imò tu ipse te inuitas, & omni tempore paratus es venire. Cæterum dubito dulcis IESV, num, si te inuitare voluero tuque videris domum meam tam fordidam & immundam, sis eam ingressurus. Quare & obsecro misericordissime Domine, quoniam tu, ut scriptum est, ille es, *qui potest facere mundum de immundo conceptu semine,* Velis quoque ani-

*Iob. 34.*



animæ meæ maculas clementer abluerit, vt pro salute sua dignè te exciperere possit.

4. CONSIDERA, quomodo benedictus IESVS cognoscens vitæ suæ impendere terminum, licet aliàs semper valde sollicitus fuerit de salute nostra, tamen id extremis his diebus opere ipso luculentius demonstrârit. Vnde videtur speciatim huic ultimæ hebdomadæ, optimè accommodari posse illud vaticinium Danielis: *Consum-* Dan. 9.  
*manit pactum multis hebdomada vna.* Quod enim aliud pactum fecit DEVS dum assumpsit naturam nostram, nisi, vt totam vitam suam & mortem consumeret in liberatione nostra impetranda à morte æterna. Vnde & hæc fuere Domini exercitia hac hebdomade, & in hoc partiebatur omne tempus suum, vt mane veniret ex monte Oliueti ad urbem, & ingressus templum, totum diem daret auxilio animarum, prædicans populo & multos scripturæ locos exponens, qui manifestè de eo loquebantur: tam disputans cum Scribis, & Pharisæis, multaque quæstiones malitiôsè ab eis propositas admiranda sapientia explanans: & quanquam certò illi constaret  
 per.

peruersus eorum animus, quodq; iam decretum factum esset de se capiendō & occidendo, nullum tamen animi irati signum dabat, imò ne videretur carere eorum perfidiam, semper in parabolis multa cum mansuetudine loquebatur, vt maiori suauitate eos reuinceret, & iuaret. Toto verò die hoc modo in templo expenso, sub vesperam quotidiè redibat Bethaniam, cibi sumendi causa, quem semel in die, vt pi-um est credere, in ædibus Marthæ & Mariæ capiebat. Vbi simul considerare potes, eum vicissim discipulas illas dulcibus & pijs colloquijs pauisse. Inde verò à sumpto cibo, (nam ibi non pernoctabat) cum discipulis conscendebat montem Oliueti, in quo, partim, vt bonus Magister, suos discipulos instruebat, nam interdum non poterat nisi Iudæis instituendis vacare, partim post quietem in nuda humo, (quàm verisimile est pauperi **ESV** loco ordinarij lecti fuisse) dormientibus discipulis reliquum noctis in precibus consumebat, orans Patrem, ac, vt probabile est, non sine multis lachrymis pro ingrati illius populi salute. Deinde reuertens sequenti diluculo versus Hierosolymam cœpit esurire, vt habet Euangelium; vnde

de manifestum capimus argumentum cum præcedenti die, quo solennem illum in ciuitatem ingressum habuit nullo omnino cibo, ne vesperi quidem, refectum fuisse, sed in angulo aliquo domus pane tantū lachrymarū, mestifque gemitibus pro cæcitare & obstinatione illius populi animam suam sustentasse. Quare cum totam noctē cōtinuis vigilijs, orationibusq; cōsumpsisset, mirum non est, mane esurisse.

Compatere ô anima mea famelicō Iesu, & vide Dominum illum, qui in cælo vberimis pascuis pascit & satiat beatos omnes spiritus, & in terra pro- *Psal. 144.*  
uidet cibum in tempore omni animæ viuenti, nūc excruciarī fame. Vbi vide quantam CHRISTVS in vita sua omniū rerum inopiā sit perpeffus: nam præterquam, quod locum nō haberet, in quem diuerteret, quod in tam populoſa & magna ciuitate ne vnum quidē hominē inueniret, à quo inuitaretur, aut necessaria acciperet; nuuc fame compulsus perſugium extremum habet ad arborem ficus, vicē propinquam, qua conſpecta, accessit ad eam propius, vt videret si forte fructus aliquos ad sedandam famem in ea reperiret, sed nō reperit nisi folia: itaque & hæc creatura

suo creatori, cuius nutu ipsa existerat & florebat, cibum negavit. Quare merito ingrata hæc arbor fuit à Domino maledicta & subito arefacta. O anima mea, quoties tu quoque inflar arboris huius onusta folijs bonorum desideriorum promissionum & propositorum parum firmiter, inuitasti Dominum salutis tue cupidum, sed postquam venit, non inuenit in te ullos internarum, solidarumque virtutum fructus. Verum mirum non est, CHRISTVM non inuenire in te fructus, qui velut arbor illa, adhuc manes propinqua viae publicæ, id est, vitæ laxæ & mundanæ, & non inducis tandem in animum te à negotijs & fraudibus huius maligni mundi abstrahere, ac terram tam sterilem & infœcundam relinquere.

3. VERVM dic mihi benedictæ IESV quæ culpa erat ficus, ut ob non repletos in ea fructus, à te malediceretur: nec enim erat tempus ficuum. Certè non ferebatur ira tua in illam innoxiam arborem, sed in Synagogam per ficum significatam. Nō erat tempus fructuum illi ficui, sed benè tempus erat Synagogæ, ut Domino redderet fructus iustitiæ, sanctitatis & pacis. Et hæc erat fames quæ excruciat viscera IESV, hæc erant

erant ficus quibus animam pascere optabat, sicut indicauit illis Prophetæ ver-  
 bis. *Præcoquas ficus desiderauit anima* Mich 7.  
*mea, & mox subiunxit, quales essent hi*  
*fructus. Perijt, inquit, sanctus de terra, et* Leu. 18.  
*rectus in hominibus non est. Omnes in san-*  
*guine insidiantur, vir fratrem suum ad*  
*mortem venatur.* Synagoga erat pul- Luc. 13.  
 cherrima arbor illa, cuius fructum Do-  
 mibus in lege veteri mandauit offerri in  
 sacrificium. Erat quoque ficus illa à ma-  
 gno Patrefamilias plantata in vinea, in  
 qua tribus continuis annis quæsiuit fru-  
 ctum, & non inuenit. Nam eodem mo-  
 do Deus plantauit arborem sui electi  
 populi, sed nullum fructum, licet in  
 triennium expectans, inuenit in illo: Pri-  
 mò enim fructum quæsiuit in statu na-  
 turæ; tum in statu legis scriptæ: sed vter-  
 que exiguum, vel nullum fructum red-  
 didit Domino suo. Tertiò quæsiuit & in  
 hoc statu gratiæ, cum iam in carne as-  
 sumpta summa siti & fame nostræ salu-  
 tis laboraret, & nihil in hac arbore sua  
 inuenit, nisi frondes cærimoniarum,  
 & obseruationum externarum, sine  
 fructibus internarum virtutum bono-  
 rumque operum. Imò huius populi in-  
 gratitudo longè superauit ficus sterilita-  
 tem, etsi enim Saluator non inuenerit

in illa fructus bonos, nihil tamen inuenit deterius illis. At populus Hebræus, bonorum & suauium fructuum loco, produxit uvas fellis, & spinas amaritudinis, quibus exacerbauit amabilissimū os, & diuinum Redemptoris caput offendit. Vnde merito Dominus, quo modo ficum maledixit, eo etiam ultimam ruinam & excidium ingrati populi prædixit. Voluit quoque Dominus hoc factum, (nam paucis post diebus tradendus erat in manus inimici) declarare discipulis, se sponte adire ad mortem, nec se destitutum potestate puniendi suos persecutores, quandoquidem vno verbo ficum illam arefecisset. Sed ego non miror bone Iesu, te vindictam, quã poteras de inimicis tuis sumere, transtulisse in arborem: id verò maximè miror, te poenam quam nos nostris peccatis merebamur, transtulisse in personam tuam prorsus innoxiam. nos enim ingrati filij tui sumus, qui uiam iniquitatum acerbam comedimus, sed tuum os benedictum degustauit amaritudinem poenæ. *Disciplina pacis nostra super eum*, dicebat ille Propheta; ut nos haberemus pacem cum Deo, tu tam crudele tibi ab hominibus bellum inferri permisisti.

6.      **REVERSVS** Iesus Hierosolymã,  
 se-

secundum consuetudinem suam adiit templum, ad solita sua exercitia peragenda. Vadit ad templum agnus mansuetus, cum sciat se ab inimicis quæri ad victimam: ut intelligerent ipsum non refugere, sed sponte offerre se morti, atque ideo quotidie comparebat in loco publico ut facilius inueniri posset, imò ut cognoscerent non esse in potestate sua, quoties vellent eum addicere morti, sed in voluntate sua & promissione, quod indicauit ipse Dominus extrema nocte, qua captus est, illis verbis. *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me; quotidie eram vobiscum docens in templo, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra: ac si diceret. Tunc me non comprehendistis, non quia defuit oportunitas, sed quia non permisistis. Ac completum est, quod alias dixerat, Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Itaque ingressus templum Dominus, vidensque plenum negotiatoribus, ementibus & vendentibus, accensus sancto paterni honoris zelo, cum magna indignatione coepit mensas eorum & cathedras, ne parcendo quidem, ut altera vice, colubis, euertere: neque monens eos, ut isthæc auferret, nec vocans negotiatores; sed ipse omnia

Matth. 26.

IOAN. 8.

in terram deturbat, & appellat latrones, obijciens q̄ ex domo Patris sui fecissent spelun. am latronum. Pridie benedictus Iesus fleuerat supra ciuitatem, & vastationem eius prædixerat, in pœnam peccatorum euenturam. Deinde ingressus modò templum tã asperè reprehendit & exturbat hos sacrilegos oēs. Quare nō aliud significare voluit, quàm peruersã vitam sacerdotum, aliorũque ministro- rum templi fuisse causam & primam originem ruinæ populi: illi enim suo luxu & auaritia sanctum locum proph- nãrant, & prauo exemplo suo induxe- rant alios ad negligendum cultum diui- num, vitamque dissolutam & laxam agendã. Vnde postea seuerissima illa vin- dicta Dei in illos desæuij, q̄ Christus il- lis prædixit, & Propheta his verbis de- scripsit. *Principes eius in munerib. iudica- bant, & sacerdotes eius in mercede doce- bant, & propheta eius in pecunia diuina- bant: propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi acer- nus lapidum erit, & mons templi in excel- sa sylvarum.* Vide, Dominum, licet natu- ra esset velut agnus mansuetissimus, tamẽ tã: o diuini honoris zelo ardere, vbi de illo ageretur, vt in terribilẽ leonẽ vide- atur mutatus. Qui si in tẽplo illo, ad q̄

*Mich. 3.*



venerat, vt hominib. peccata condonaret, & animæ salutem cōferret, tā acrem & durum se ostendit in coarguendis & castigandis peccatoribus, quid faciet tēpore vindictæ & iræ? Et cū venit vt iudicaretur, se ad tuendum honorem paternum tam terribilem declarauit erga materialis templi, pphanatores, qualē se demonstrabit pphanatorib. templi spiritualis ipsius Dei, quæ sunt animæ ipsorum? O dulcis Iesu quid sibi vult, cū tantas iniurias & contumelias sinas inferri personæ tuæ, non tamen sinas vel minima iniuria lædi æternum tuum Patrem: quia tāto zelo & indignatione inuadis domus tuæ prophanatores, ac si tuæ benignitatis & mansuetudinis omnino oblitus esses certē nullo alio, Domine mi, efficaciori exemplo docere nos poteras. q̄ lōge maiorem diuini honoris, q̄ proprii rationem habere debeamus: imò quod malle debeamus nos dedecore aliquo vel contumelia affici, quàm vel minimam iniuriam in diuinam eius Maiestatem redundare. Vtinam dulcis IESU dignareris in corde nostro ardētem illum ignem, & zelum sanctum tuendi honoris gloriæ quæ tuæ accēdere, q̄, sicut tu dicebas te à zelo domus patris tui totum cōedi & cōsumi, *Psal. 68.*

in visceribus nostris viuum desiderium  
excitaret, quærendi & procurandi sem-  
per maiorem tui gloriam, non solum  
in nobis ipsis, sed etiam in alijs, etiamsi  
sanguis & vita profundenda esset.

7. **COMPATERE** anima mea tuo  
dulci IESV, & vide, quot causas doloris  
vno eodemque tempore habuerit. Nā  
primò, dum solēnem suum ingressum  
ante tot sæcula à prophetis promissum  
in urbem Hierosolymorum instituit,  
maligna illa ciuitas ex vna parte quidē  
videtur eum velut legitimum regem cū  
honore suscipere, sed ex alia struit illi  
insidias ad inferendam necem, ac si es-  
set capitalissimus eorum inimicus. De-  
inde, eo in urbem ingresso, cum tanto  
applausu, totoque die deinceps in tem-  
plo varijs populo conferendis beneficijs  
consumpto, sub vesperā nemo tandem  
ex tāto hominū numero inuenitur, qui  
eum inuitet, vel in domum suā perno-  
ctandi causa excipiat. Reuertit denuo  
summo mane ad eādem urbem, & in i-  
tinere fame oppressus se applicat ad ar-  
borem ficum, sperans creaturas sensus  
expertes minus auaras & tenaces futu-  
ras, quam homines, sed præter frondes  
in ea inuenit nihil. Deinde vadit ad ci-  
uitatem: ac ingressus templum nouam

offendit & magis acerbam materiam doloris, dum conspicit æterni Parris sui domum, cui summa sanctitas debebatur, in speluncam latronum cōuersam. Postremò, toto die in laboribus prædicationis, & institutionis popularis impenso, adhuc ieiunus neminem inuenit, qui suæ necessitati succurreret. Ingrata Hierosolyma, quæ quo die Rex tuus tanta cum mansuetudine venit ad te, vt te iucunditate expleat, saluteque donet æterna, tu contra velut tyrannus illi bellum moues, & prodicionem moliris ad tollendam ei vitam. *Vae genti peccatrici, populo graui iniquitate filijs sceleratis.* Quod enim scelus maius esse potuit, quam manus iniicere suo DEO & redemptori? *Haccine reddis Domino populo stulte & insipiens? Nunquid & ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit & creauit te? Filius, inquit apud alium prophetam ipse Deus, honorat patrem, & seruis Dominum suum: Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si ego Dominus sum, ubi est timor meus?* O Deus meus, quoties te offendimus per omnem vitam nostram, & adhuc offendere pergitimus? verum omnis scelerum nostrorum amaritudo vt aliàs nunquam, ita neque nunc potest turbare vel minima

Esai. 1.

Deut. 32.

Mal. 1.

re imminuere tuam dulcedinem & benignitatem erga nos, qua stultitias nostras & iniurias tibi illatas omnino dissimulas, si fortè cor nostrū tanta bonitate superatum & suū errorē agnoscere & se ad te conuertere velit. O anima mea, quæ hæctenus fuisti arbor sterilis & infructuosa, nec in alia re vsui fuisti, q̄ frustra terram occupando, & cōtinerer benignissimū redemptorē tuū contristando, si nunc quoq; te totam deprehendis aridam, floribus virtutū destitutam, nulloq; bonorum operum quando aliud non suppetit, vel rerum fructu gravidam, conare minimum, præteritarum negligentiarum dolorem, & efficacem emendationis propositum, cor tuū offerre Christo Domino, sicut obtulit poenitens Magdalena, & sicut obtulit Zachæus & humilis ille publicanus, cōfisa Domino, qui cor contritum & humiliatum non despicit, etiamsi alios fructus in te nō inueniat, illum exigua tua oblatione contentum fore, oēm q; tuū defectum sua infinita caritate & misericordia suppleturum.

**COLLO QVIVM.**

**O**RABIS CHRISTVM, Dominiuum, quoniam dignatus est te plantare in horto suæ sanctæ Ecclesiæ

vt in eo, velut bona & fructuosa arbor, produceres sanctorum piorum que operum fructus; vt velit tibi simul largiri gratiam qua proficiens ex continuo charitatum donorumque celestium, que Deus comunicat, influxu, non solum bonis affluas desiderijs & propositis, sed etiam bonos producas fructus, vt cum tempus messis aduenerit, in hora mortis non inueniaris tam plenus folijs, & ita à Deo ceu lignum infrugiferum mittaris in ignem, quam potius onustus fructibus. suæ diuinæ Maiestati gratis, dignisque qui mensuræ Domini apponantur.

## DOCUMENTA.

1. **S**criba & Pharisei inuidia torquebatur conspectis admirandis Christi operibus, & honore illi à populo delato. Proprium hominis arrogantis et ambitiosi est contristari de laude vel honore alterius: Vnde discere potes, ex hac mala radice nasci, quoties non letaris, sed contristaris potius de prospero successu proximi. Quare non indignemur contra alios, sed potius contra nostram superbiam & ambitionem.

2. Mos erat Christi, quoties ingredere-  
tur urbem Hierosolymorum adire primo loco templum, vt formam nobis religionis imitandam prescriberet; nempe, vt quocumque nos

contulerimus, primò inuisamus sacrum Templum & domum Dei, ibiq; per orationem nos diuina maiestati commendemus, tum verò ad negotia nostra expedienda pergamus.

3. Populus Hierosolymitanus manere cepit Iesum magno honore & gratulatione, uesperti autem, ne eum hospitio exciperet, sinxit se eum non agnoscere: unde decemur spes nostras non desigere in hominibus, qui à mane in uesperam mutantur: hodie declarant se beneuolos, cras autem dum opera eorum egebis, terga uertunt: negantq; se tui meminisse.

4. Christus toto die in predicando & docendo consumpto: sub uesperam Hierosolymis discedit primò, ut doceret nos, non querere quietem in mundo, quia proditiones machinatur. Secundo, ut doceret seruos suos, eousq; conuersandum esse cum secularibus, quantum opus est ad eorum institutionem & auxilium, repetendo cum Christo Bethaniam, id est, domum obedientia. Tertio, ut intelligerent, pro laboribus in proximi salutem imper sis non esse exigendum vel expectandum pramium ab hominibus, dantes gratie, quod gratis acceperunt.

5. Ficum arborem, quantumuis uiridem, & multis recentibus folijs florëtem

Chri-

Christus, quia in ea non inuenit fructus  
 arefecit. Non pascitur Dominus folijs: nō  
 sufficit habere bona proposita & bona de-  
 sideria, si coniuncti non sint honorū san-  
 ctorumq; operum fructus: nam meretur  
 gratiam Dei amittere, qui sinit illam esse  
 otiosā, & illi nō cooperatur, exercēdo vir-  
 tutis actus.

Omnis enim arbor, inquit i- Matth. 7.  
 pse Dominus, quæ nō facit fructum bo-  
 num excidetur, & in ignem mittetur.

6. In vrbe Hierosolymitana multa alia  
 erant loca in quibus offendebatur Deus,  
 sed CHRISTVS tantum habuit ra-  
 tionem templi, ut intelligeremus præci-  
 puum studium ponendum esse in rebus ad  
 cultum diuinum spectantibus: nam ex  
 eo quod debita officia deferimus Deo, pē-  
 det reformatio omnium aliarum rerum  
 quas agimus.

7. Christus seuerè castigauit tēpli pro-  
 phanatores Nos omnes, teste Apostolo, su 2. Cor. 3.  
 mus Templū sanctū Dei, in quo habitat  
 Spiritus sanctus. Itaq; vide quanto stu-  
 dio procurādū tibi sit, ut templum illud  
 sit mūdū ab omnibus rebus, quibus oculi  
 huius sancti hospitis, qui est sanctitas &  
 puritas ipsa, offendi possent. In eos enim  
 qui peccatis suis prophanārint templum  
 istud proferetur terribilis illa eiusdem A-  
 postoli sententia: Si quis templum Dei Ibid.

violauerit. disperdet illum Deus.

8. *Dominus dixit Iudais.* Domus mea, domus orationis vocatur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. *Vnde magnā hauris occasionē confusionis: dum in mentem reuocas, quā exigua tibi cura fuerit cōfugiendi in tuis necessitatibus ad hanc domum orationis. quantaq; tepiditate orationes tuas hactenus habueris, & quod peius est, quod ex parte tua domum Dei crebro conuerteris in speluncam latronum, oculis tuis paruum castis insidias struendo nunc huius nunc illius persona honestati.*

9. *Si domus Domini domus orationis est, vide quāta puritate anima tua, quātaq; deuotione & attentione in tēplo Dei versari debeas. Si enim cum mundi Principibus homines tam reuerenter agunt, ijsq; in locis, ubi illi praesentes adsunt, summa obseruatur modestia & silentium, quid factū opus erit in praesentia illius infinita Maiestatis, summiq; Regis cali & terrae?*

10. *Christus misericordiam temperauit cum seueritate: nam ex una parte eiecit è templo ementes & vendentes; ex altera, cacos & claudos sanauit, ut disceremus & nos ita seueri esse in castigandis peccatis proximi, ut simul eorum in*  
*necef*



*sitatibus misereamur.*

11. *Christus reformaturus abusus ciuitatis Hierosolymitanae, capit à tēplo, corrigendo eius ministros. Sacerdotes in Ecclesia Dei sunt quasi stomachus in corpore humano, nā uti stomachus cibum acceptum concoquit & digerit, & deinde per totum corpus distribuit: sic sacerdotes acceptā à Deo per Scripturas diuini verbi scientiam, per meditationem prius cōcoquunt in se. deinde verò communicant toti populo. Quare etiam debent dare operam, ut tum sermone, tum opere ita se cōponant, ut omnibus bonū exemplū praebeant. Nā sicut quando in corpore humano mēbrū aliquod infirmū est, ut pes vel manus, nō ideo patitur stomachus, sed cū stomachus ager est, omnia alia mēbra patiuntur; ita in Ecclesia Dei, si unus aliquis homo peccet, non idcirco peccant Sacerdotes; sed si Sacerdotes in peccatis sint, totus populus in peccatum ruit. Vnde s̄ Christianus quilibet rationem Deo reddet de solo suo peccato, Sacerdotes reddēt non solū de suis, sed omnium aliorum peccatis.*



# DE MORTE.

## MEDITATIO XXI.

### EVANGELIUM.

LUC. 16.

**H**omo quidā erat diues, & induebatur purpura & bysso; & epulābatur quotidie splendē. Et erat quidā mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiēs saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

DE

CHRISTI. PARS II. 609  
DE MORTE, ET  
SPECIATIM HOMI-  
NUM MUNDANO-  
RVM.

PARS PRIOR.  
PROPHETIÆ.

2. **M**ors peccatorum pessima. *Psal. 39.*  
2. Qui confidit in virtute sua, et *Psal. 48.*  
in multitudine divitiarum suarum gloriantur, relinquet alienis divitias suas; & sepulchra eorum domus eorum in aeternum.  
3. Erunt decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum. & erunt gemetes & memoria illorum periet. *Sap. 40.*  
7. Tenent tympanum & cytharam, & *Iob. 21.*  
gaudent ad sonum organi. Ducunt in bonis dies suos; & in puncto ad inferna descendunt.  
2a. Omors quam amara est memoria tua *Eccl. 48.*  
homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius via directa sunt in omnibus.

CONSIDERATIONES.

**H**omonatus de muliere, breui viues *Punct. 1.*  
Tempore, repletur multis miseris. Qui *Iob. 24.*  
quasi flos egreditur & coteritur, & fugit  
velut umbra, & nunquam in eodem statu  
per-

*permanet.* Hæc sunt verba sanctissimi IOB tanti Dei amici, quæ proposuit mundo non solum ad inuictæ patientiæ exemplum, verum etiam tanquam imaginem miseriæ & instabilitatis rerum humanarum: vt ea inspecta homines discerent non defigere spem suam in his bonis caducis & momentaneis, quæ tam facile nobis eripiuntur. Vbi primo considera, omnia bona & prosperitates huius vitæ esse mixtas multis malis, ac tandem peiore fine terminari, vt scriptum est in Prouerbijs. *Risus dolore miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Ac primo quidem homo in se est admodum fragilis, vtpote natus ex muliere, & natura constans imbecilli. Anni quoque vitæ humanæ sunt pauci, ærumnæ multæ, quicquid enim in hac vita est, nihil est nisi pœna & miseria: necessitas enim res possidendi ad sustentandum & conseruandum hoc nostrum corpus est continua quædam seruitus & miseria. Adhæc sanitas, quam tanto studio tuemur, facile perditur, perdita autem magno labore recuperatur; ea autem recuperata rursus in metu sumus eam perdendi, Parentes, cognati, amici, alijque nobis cari, quo plus amantur à nobis, hoc

maie-

maior cura in ijs conseruandis affligimur, & si illis priuemur, maior dolore excruciamur: & aliquando ab illis grauiora damna, quam ab ipsis inimicis, sustinemus. Adolescentia & pulchritudo hominis est velut flos fœni, qui mane apparet, & ad minimū venti flatum euanescit, sicut dicit Propheta *Homo sicut fœnū dies eius, & sicut flos agri sic florebit.* Diuitiæ inde & bona temporalia quæ homo possidet in hac vita, magno labore & sudore acquiruntur, magno timore & sollicitudine conseruantur, & cum tempore consumuntur & minuuntur, ac demum magno cum dolore deferuntur. Similiter honores, dignitatesq; quæ tanto studio quæruntur & procurantur, postea maxima aliorū inuidia, obtrectatione, & discrimine possidentur, & denique non aliud sunt, quam modicum fumi, & vmbra illico euanescentis. Ad exemum homo nunquam in eodem statu permanet, ex vno malo in aliud labitur, ex vna miseria in aliam: nam dum transit ab infantia ad pueritiam, à pueritia ad adolescentiam, ab adolescentia ad inuentutem, à iuuentute ad senectutem, à senectute ad mortem, quo longius progreditur in vita, hoc semper magis deficit & dete-

Psal. 128.

deterior redditur: nam aliud non est vita nostra, nisi continuus discessus è vita, cum quot horis & momentis vivimus, tot gradibus viciniorez morti simus, Denique post omnes miseras succedit vltima, omniumque maxima, **MORS** ipsa, in qua terminatur vita nostra. O mors quàm amara est memoria tua; quàm celer aduentus tuus, quàm dubia & incerta hora. Magni homines huius mundi effugere te nequeunt, non evadere sapientes, fortes & robusti per te omnibus viribus destituntur. Nullæ apud te valent opes, non iuvat generis nobilitas; quicquid homo multo labore multis annis coacervavit, vna eripis hora; tu omnes spes humanas & cõsilia abscindis, homines omnibus bonis spoliast. & omnium malorum fons, & author es Denique talis es vt **DEVS** ipse testatus sit, se te non creasse, sed invidia, & fraude diaboli te introisse, in orbem terrarum. Si ergo vita nostra aliud non est, quàm continens quædam profectio ad mortem, & hora mortis simul est hora nostri iudicii, qua pronunciatursententia, vt in æternitatem omnem vel beati vel miseri simus; quæ maior incuria & temeritas nostra esse potest, quam semper

Sap. 12.

Rom. 5.

in itinere esse ad audiendam illam sententiam, & simul persistere in peccatis; hoc est, ad maiorem semper indignationem prouocare ipsum iudicantem? Aperi ergo oculos homo miser, & considera quod iter conficias, quo tendas, & pudeas in teipso, considerando quanta mala sis incurfurus, si tandem à malè agendo non desistas.

2. CONSIDERA, quomodo ex vna parte mors sit certa & infallibilis, *Statutum enim est vt dicit Apostolus, Hebr. 9. hominibus semel mori*, nec modo certa est, sed etià admodum facilis, cum infinitis & leuissimis de causis sepe contingat. Ex alia parte quamuis tam certa sit & facilis, tamen quo ad tempus & horã, est incertissima, persequetur enim te, cum maxime videbere securus, & minimè de eius aduentu cogitabis. *Dies 1. Thes. 5. Domini, ait Apostolus, sicut fur in nocte ita veniet, cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Atq; experientia quotidiana declarat, dum homines minimè de discessu è vita cogitant, quando maximè negotijs huius mundi tractandis dediti sunt, opibus accumulandis, dignitatibus procurandis, illecebris huius vitæ sectandis, eruditione comparanda, molien-

liendisq̄ue magnis rebus, ac si multos annos adhuc victuri essent in hoc sæculo, ecce subito irruit mors & filo vitæ rescisso, omnes eorum spes & machinationes irritas reddidit & sicut sine cognitione sui, & exitus sui vixerunt, ita ex improviso sine vlla cogitatione de se & sua salute moriuntur, quemadmodum Dominus ipse nos commonefecit exemplo diuitis, qui cum multa bona collegisset, nec locum haberet vbi fruges omnes reponeret, cogitauit intra se. *Destruam horrea mea, & alia ædificabo maiora & capaciora, & dicā. Animam eam habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comedere, bibe, epulare* Cū autē hæc mēte cogitaret, mox ei dictū fuit à Deo. *Stulte hæc nocte animam tuā repetent à te, que autem parasti cuius erūt?* Deinde considera, non solum tempus & horam mortis esse incertam, sed etiam modum quo sumus morituri, num in terra, an in aquis, gladio, an in lecto, domi an foris, num deuorandi à feris, an igne consumendi, ve etiam ex alto præcipitandi, & denique num illo momento sint nobis affutura præsidia ad bene moriendum, nec ne? & quod omnium maximum est, incerti erimus qua

an-



animi preparatione sumus mortem excepturi, num in gratia, an offensione Dei, in statu salutis, an damnationis, quod magnum debet nobis incutere terrorem nam, vt scriptum est, *si ceciderit lignū ad austrū, aut ad aquilonem, in quocūq; loco ceciderit, ibi erit* *Eccl. 11.* Per austrū designatur caritas & gratia Spiritus sancti. Per aquilonem vero iniquitas & offensa Dei.

4. CONSIDERA omnes pœnas, quæ tanquam nuncij mortem præcurrunt. Prima est timor ipsius mortis de quo Propheta loquēs dicebat. *Formido mortis cecidit super me, timor & tremor venerunt super me.* *Psal 54.* Et quia mors est, vt quidā Philosophus dixit, *omniū terribilium terribilissima*, sicut homo naturaliter appetit suū esse & viuere, ita naturaliter reformidat mortē, eiusq; memoriam refugit. Ac quanquā, vt omniū ærumnarū terminus est, videatur optabilis, tamen in se spectata, pœna valde acerbata est, & priuatio ipsius esse & vitæ humanæ, naturaliter est formidabilis & horrenda: sic profus, vt ipse Christus dominus noster imminēte morte (ex naturali quodā horrore si oīte pmissio) cæperit pauere & cōtristari. Primus ergo iustus quo nos solet mors ferire, est timor mor.

610 **MEDITAT. DE VITA**

mortis, qui magnam afflictionem & angorem affert homini hanc vitam amanti. Nunc cogitet is, qui omnes suas consolationes in diuturnione vita positas habet, & ad moriendum omnino est imparatus, quomodo affectum se sentiet, quàm acerbis & inexpectatus nuncius ei futurus sit, cum valetudine corporis desperata, monebitur vt præparet animam suam; tunc enim mox oculis obijciat se perpetuum exilium ex hoc mundo, cernetque adesse horã, qua auellendus sit ab omnibus rebus carissimis, patre, matre, cognatis, amicis, gratia & fauore Principum, dignitatibus, palatijs, agris, vineis, hortis cum omnibus commodis & delitijs huius vitæ: sic vt res quas plus amauit, quibusque maximè oblectabatur in hoc mundo, sint illo temporis puncto instar gladij cor transuerberantis futuræ, tantoque grauiore dolore deferentur, quanto ampliore amore & voluptate possessæ sunt, Altera pœna, que non solum imaginatione; sed sensu quoque ipso percipietur, est amarissima corporis & animæ separatio, ac tam antiquæ societatis dissolutio, anima paulatim egrediēte, imò vi à corpore, quod tantopere amabat, auulsa, quam pœnam, &  
angu-

angustiam nemo verbis exprimere potest; nullus enim experientia illam probavit, nisi qui extremum spiritum reddidit.

4. **CONSIDERA**, quomodo illo puncto angor animi augeat, & maxime in homine peccatore, ex summo metu sistendi se tribunali tremendi & iustissimi iudicis Dei, cuius dum vixit, tam exiguam rationem habuit, quemque tantis criminibus & iniurijs offendit: atque imprimis ex metu æternæ maledictionis & condemnationis. Tunc acerbitas pænæ patefaciet oculos, qui ad illud usque tempus voluptate peccandi fuerunt occlusi; tunc conscientiae vermis, obiecta multitudine & seditate peccatorum, pravarum cogitationum & desideriorum, omniumque malorum operum, tota vita contra Deum & proximum peccatorum, mirè eius pectus excruciat: sicut & anni malè impensi in servitute hominum, mundi & carnis, opes fraudulenter acquisitæ, & peius consumptæ, ac speciatim quod toties Spiritui sancto, divinisque inspirationibus, & occasionibus emendandæ vitæ, pænitiæque agendæ restiterit, ac denique tot beneficijs & donis à Deo receptis abusus fuerit. Vnde videns hinc

vitam turpiter transactam, illinc gladiū vindictæ diuinæ capiti suo impendentem, miser vndique circumseptus erit grauissimo timore, instar incarcerati, qui sciens se reum mortis; cernit iudicem, iam iam sententiā capitalē fulminantem, à qua nullo modo amplius appellari possit. Qui terror maiorem in modum accrescet, ex horribili cogitatione æternitatis: quæcunq; enim fors illi contigerit, in ea perstandum erit in sæculū sæculi. Tunc qui tot annos frustra consumpsit in irridendis illis qui Christo seruierunt, eumq; ad virtutis studiū sunt cohortati, incipiet postulare vel dimidiam horulam sibi dari ad deploranda peccata, & non concedetur, vt refert S. GREGORIUS in Dialogis de iuvene, qui totam ætatem suā triuerat accumulandis opibus, ambiendis honoribus, & perfruendis voluptatibus carnis; is enim impendente morte, vt vidit se innumera malignorum spirituū turba obsessum, cœpit contremiscere, & magnis clamoribus pauillum temporis postulare his verbis, *Inducias vel vsq; mane, Inducias vel vsq; mane.* & inter hos clamores miserabiliter anima ex corpore excessit; atque ita, qui tot annos ad agendam pœnitentiam habuerat, sed, agere noluerat,

tum in hora mortis etiam atque etiam minimum tempus pœnitentiæ agendæ exposceret, iusto iudicio Dei non est exauditus, conuenienter illi dicto sapientis, *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis:*

*Prov. 28.*

5. CONSIDERA quanto horrore obruendus sit peccator ex præsentia & conspectu malignorū spirituum, qui, *sciētes quia modicū tempus habēt, sub horā mortis, tum multitudine, tū horrida specie sua conabuntur miseram animā perterrefacere, & in barathrū desperatiōnis præcipitare. Circumdabunt itaq; illam canū rabidorū instar, & hiantibus faucibus conabuntur deglutire, secundū illud Prophetæ, Aperuerunt super te os suū, sibilauerūt & fremuerūt dentibus & dixerūt, deuorabimus. En ista est dies quā expectabamus, inuenimus, videmus.*

*Apo. 12.*

Et quod pluris faciēdum est, nō solūm horribili aspectu & multitudine eos affligent & diuexabunt, sed etā multiplici variarū, grauissimarumq; tentationū insultu; nam callidissimi illi animæ nostræ hostes, scientes morte terminari omnia merita & demerita, eoq; in statu permāsuras anima, quo ex hac vita discedunt, idcirco in mortis agone omnibus viribus eis insiliūt, vt vel impellant

*Tren. 2.*

cas ad desperationem, maximè, si in peccatis vitam transegerint, aut certè negligentè vitæ tempus expenderint; vel ad nimiam securitatem traducant, vt faciunt in hominibus religiosis, & alijs hominibus pijs. Alios etiam ad impatientiam cõmouent, propter multas molestias quas secum affert infirmitas, ac imprimis ob angustiam & dolores mortis, nonnullis quoque immittunt tentationes de fide, alijs de blasphemia, speciatim ijs qui consuetudinem huius maledicti vitij habuerunt. Denique & quorundam mentes obturbat superfluis curis & cogitationibus rerum temporalium, quomodo illas dispensare debeant, ita vt nullum locum relinquunt cogitationibus de salute animæ. Iam si dum rectè valeamus, & liberè orationi vacare possumus, aliorumque adiuuari consilijs, vix possumus nos tueri contra vnus demonis tentationes; quid agemus tunc cum à tot rabidis dæmonibus obsidebimur, & aures habebimus consilijs obturatas, intellectum & voluntatem doloris timorisque vehemètia ita perturbatam, vt parū admodum boni prestare possit. Accedit, quod quo homo in vita sua per incuriam maiorem potestata-

testatem & licentiam Dæmoni in se reliquit, hoc illo momento impotentius illum inuadet, & ipse impetum eius sustinere non valebit.

6. CONSIDERA, quomodo homine iam ad extrema deducto, imminenteque illa tremenda hora, qua longo itineri vitæ huius finem imponere debet; Ecclesia velut misericors mater, in tanto discrimine incipiat filios suos orationibus & sacramētis iuuare. Tunc *Iac. ult.* sacerdos sacro oleo inungit omnia sensuum organa, oculos, os, pedes, cætera membra infirmi, inuocans Deum, vt condonet quicquid illis membris deliquerit. Iam ergo, si abusus fuisti oculis, lingua, alijs uē membris, & occurrerint illo momento peccata, quæ illis commisisti; quantum quæso nummorum exsolueres, vt nunquam oculos è terra sustulisses, non os aperuisses, non pedem mouisses ad offendendam diuinam Maiestatem? Post hæc sequitur extremus conflictus cum vita, agon & angor mortis, quando cereus accenditur, & in aurem inclamatur vt corde saltem, si non poteris ore, spiritum tuū Deo commendes. Quo puncto non modo peccatores, sed etiam sanctissimi quique magno metu & tremore

concuti subinde solent, vti legimus de S. Hilarione, qui vicinus morti cepit totis artib. cōtremiscere, & mortem reformidare, sic vt animādi sui causa dixerit: Egredere ô anima mea, egredere è corpore, quid times? Septuaginta annis seruiisti Christo, & adhuc mortē times? Si ergo timebat ille qui in tanta vitę austeritate & sanctitate in eremo tot annis Christo seruierat; quid faciet peccator, qui forte totidē annos consūpsit in summa dissolutione vitę? quo ille confugiet? cuius auxiliū implorabit? quocunq; .n. se verterit multas & magnas inueniet causas turbationis & timoris: Si enim respiciat sursum, videt gladium iustitię sibi comminātem, si deorsum, videt infernum hiantem, & supplicia eterna sibi in eo decreta; si intra se, sentit cōscientię vermem crudeliter mordentem, cernit turbam demonum ad deuorandum ipsum præstolantem; si se conuertat retro, videt opes, con sanguineos, omniaque reliqua in quibus fiduciam suam collocārat, hic derelinqui, nullumq; sibi posse ferre auxilium, Vellet quidem miser fugere seipsum. sed fieri non poterit; volet terga verte re, sed nō cōcedetur. Deniq; impēden te hora illa terribili separationis animæ



à corpore, vide quomodo totus pallescat, extrema manuum pedumq; frigescent, vultus immutetur, oculi concidant, & ob intolerabilem dolorem sursum deorsum conuoluantur. Tunc expugnata natura totū corpus sudore frigidum madescit, & membra omnia obriescunt, pulsus languescit, pectus se attollit, & constringitur; anhelitus difficulter & crebrius trahitur, ac denique ex imo pectore colligens sese subito deficit, & ecce mox sequitur lethalis oppressio, & aculeus mortis, quo cor intimū penetrante, mortaliq; angore preualente, cogitur anima è corpore secedere.

7. CONSIDERA denique quomodo finito hoc conflictu, anima egrediatur, & supersit corpus omnibus suis bonis exutū: sicut enim nihil pluris fit, & commodius tractatur corpore dum viuit, sic nihil vilius, contemptius, & detestabilius est corpore mortuo. nam quod prius videbatur tam elegans, tam honoratum, tam lautè & delicatè nutritum & ornatum, cuiusque causa tot opes accumulabantur, totusque mundus sua officia deferebat, digressa anima, tam deforme, horribile & miserabile cadauer redditur, vt omnes ab eo intuendo vel attingendo abhor-

teant: atque etiam parentes, fratres, amici laborent, vt primo quoque tempore offeratur, & sepulturæ mandetur. Quod dum fit, vno tantum linteo panno obuolutum instar putridæ carnis in fossam inter alia cadauera vermibus scatentia deijcitur, ab iisdem mox deuorandum: atque ita, cuius nomen toto mundo celebrabatur, alijs in eius opes & honores succedentibus, tridui spatio è memoria hominum elabitur, ac si nunquam existisset. Contemplare nunc quo euadat, & emergat omnis dignitas & existimatio hominis. Hic terminus est omnium sceptrorum, diadematum & coronarū. Hic finis gloriæ & omnis foelicitatis humanæ. Vbi nunc sunt Principes gentium, qui dominabantur bestijs terræ & auibus cœli, qui velut aquilæ se in cælum extollebant, & intra stellas nidum suū collocabant? qui tot auri argentiq̄ue thesauros coaceruabant, *Et non erat finis acquisitionis eorum*; quorum alij gloriabantur de viribus & potentia, alij de generis nobilitate, alij de corporis venustate, alij de sapientia? Vbi nunc sunt amatores huius sæculi, qui tam splendidè vestiebantur, tam lautè & oppiparè comedebant & bibebant? qui

tam.

Bar 3.

tam inſœliciter tempus ſuum in ludis, cachinnis, iocis; ſympoſijs, alijsque huius vitæ illecebris & voluptatibus conſumpſerunt? ecce quomodo omnes interierint, & in vermes, cineres, factorem & horrorem abierint? *Defecerunt in vā* *Pſal. 77.*  
*nitate dies eorum, & anni eorum cū feſtinatione* inquit Propheta. Atque vt in *Luc. 16.*  
 hoc mundo vitam duxere, ſimilem diuitis epulonis, ſic in altero mundo vna cum illo ſepelientur in inferno, vbi ex intolerabili voracium flammæ ardore amariffimis lacrymis orabunt & poſtulabunt ſibi vnā guttulam aquæ frigidæ ſubminiſtrari, & in æternum non concedetur.

8. A G E nunc anima mea, intuerere te in hoc alienæ miſeriæ ſpeculo, & diſce, quam rationem viuendi tenere debeas, vt bene moriaris. Conſidera tuam quoque horam cito ad futuram, teque in aliam regionem omnino ignotam, horrore & vmbra mortis plenam migraturam, vbi continuo tibi occurrent monſtra infernalìa, leones, & lupi rabidi, ad te deuorandum parati: nec erit, qui te tueatur ab eorū incurſu, vel horrendis eorum faucibus eripiat. Tunc tremendo ſummi iudicis tribunali ſiſtēris, vbi nihil eorum quæ tu hic inor-

**Prov. 11.**

dinatè amauisti poterit tibi ad iumento  
 esse, nam vt dicit sapiens, *Non proderunt  
 diuitie in die ultionis: iustitia autè libe-  
 rabit à morte.* Tūc dolebis de tātō tem-  
 pore infructuosè impenso, de præter-  
 missis tot bonis operibus, quæ facere  
 poteras, & de perpetratis tot malis, à  
 quibus facile potueras abstinere. Quare  
 nunc dum tēpus suppetit, elige viā ma-  
 gis securā, dignam age de peccatis com-  
 missis pœnitentiā, & deinceps maiore  
 studio seruias Domino & pietati, vt po-  
 stea in hora mortis, anteaactæ vitæ me-  
 moria, plus afferat solatij quā in ceteris.

**Ecc. 9.**

Obsequere consilio sapientis. *Quodcum-  
 que, inquit, potest facere manus tua, in-  
 stanter operare: quia nec opus, nec ratio,  
 nec sapientia, nec scientia erūt apud in-  
 feros, quo tu properas.* Imò audi consiliū

**Matth. 5.**

ipsius sapientiæ increatæ. *Esto consenti-  
 ens, inquit, aduersario tuo dū es in via cū  
 eo, ne forte tradat te aduersarius iudici,  
 & iudex tradat te ministro, & in carce-  
 rem mittaris. Amē dico tibi non exies in-  
 de donec reddas nouissimū quadrantem.*  
 Hic aduersarius non est alius, quàm  
 conscientia propria, quæ semper nos  
 coarguit, & stimulat ad agendam de  
 nostris peccatis pœnitentiā, ne ad ex-  
 tremum te cogatur accusare coram æ-

terno

terno iudice, à quo in manus ministro-  
rum infernalium tradaris, & in horri-  
bilem illum inferni carcerem, vnde nū-  
quā amplius exitus pateat, cōpingaris.

## DE MORTE IV- STORVM, ET SER- VORVM DEI.

### PARS POSTERIOR.

### PROPHETIÆ.

1. **P**retiosa in conspectu Domini mors Psal 115.  
sanctorum eius.
2. Cum dederit dilectis suis somnū, ea Psal. 126.  
ce hereditas Domini, filij merces fructus  
ventris.
3. Iustus si in morte præoccupatus fue- Sap. 4.  
rit in refrigerio erit.
4. Iustorum anima in manu Dei sunt, & Sap 3.  
non tanget illos tormentum mortis: Visi  
sunt oculis insipientium mori, illi autem  
sunt in pace.

### CONSIDERATIONES.

**V**eni in hortū meū soror mea sponsa. Punct. 1.  
Hæc verba à cœlesti spōso dicuntur Cant. 5.  
ad animam virtutē præditam, quando  
ex hac vita est discessura, tanto enim a-  
more prosequitur animas à quib' ama-

tur & colitur, vt vocet eas non solum amicas, sed etiam sorores, sponfas & filias, atque ideo dum in extremo agone & lucta sunt his dulcissimis verbis à Christo inuitantur, ac imprimis interno quodam alloquio ad cor ipsorum, quo quasi certæ & securæ efficiuntur de sua gratia, eas mirabiliter consolatur. Vnde licet mors in se, vt dictum est, sit horrenda & metuenda, tamen ab hominibus pijs & religiosis suscipitur cū desiderio, quatenus est miseriarū & ærumnarū huius vitæ terminus, & principium futuræ fælicitatis. Meritò ergo ad mortē anhelāt, qui nullam, rē huius mundi amāt, sed omnes eius voluptates & vanitates aspernantur, ac ardētissimo affectu ad cælestes aspirant delicias, dicentes cum sancto illo Propheta.

*Psal 34.* *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea ad te Deus Sitiuit anima mea ad te Deum fontē viniū quādo veniā & apparebo ante faciem Dei?* itaq; hac dulci spe erecti sancti homines expectant & desiderant extremū vitæ exitū: quibus certè mors non est verè mors, sed ianua vitæ, principiū refrigerij, & scala regni cælorum. Neque inde sequitur, iustos non reformidare mortem naturaliter, cū & Chri-

stus,

stus, vt homo, signa formidinis dederit; sed iustus aliter reformidat eam quàm peccator; nam peccator verè causam timendi habet, & sæpe ob diffidentiam de salute desperat: sed homo iustus, emsi ex infirmitate nature turbetur, tamen ob certam fiduciam consecuturæ salutis non deijcit animam; timet mortem, quia vicina est, sed quia scit se post mortem longè scèlicius victurum, gaudet & exultat. Itaque timendo lætatur, & lætando timet. Talis erat gloriosus Apostolus Andreas, qui conspecta eminus cruce sibi parata, nō timuit nec expalluit, sed magna lætitia eam salutauit, & singulari animi fortitudine sustinuit. Talis quoque fuit magnus ille Episcopus Martinus, qui morte iam instante conspecto iuxta lectum humani generis hoste, humili animi fiducia ei dixit. Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies: sinus Abrahæ me recipiet. O quantum robur & alleuamentum illo moinemento animæ affert illa pura conscientia; dum recordatur se adiuuante diuina gratia, fructuosè tempus suum expendisse, ac proinde cum certa salutis spe ex hac vita discedere.

2. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filij merces, frus-*

*Etus ventris.* Hoc discrimē est inter mortem peccatorum & iustorum quod peccatorum sit verè mors, quippe qua non solum corpus, sed etiam anima quadatenus corrumpitur; spoliatur enim diuina gratia, quæ est vera eius vita, & incurrit mortem æternam. Vnde licet corpora impiorum in die iudicij cum alijs sint resuscitanda, tamen illa vita erit illis ipsa morte grauior & acerbior, quia vnà cum animabus longe horribiliori morte, nempe æterna excruciantur. Mors verò iustorum non potest vocari mors, sed somnus, quia moriuntur, vt semper viuant, sicut Dominus ipse alicubi dixit: *Qui credit, inquit, in me, etiã si mortuus fuerit uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.* Quare rectè mors iustorum appellatur somnus: anima. n. manet uiua, & corpus post breue tempus excitabitur, vt cum anima beatissimam foelicissimamque vitam agat. Et idcirco sicut peccatores causam habent timendi mortem: ita iusti potius causam habent gaudendi: vnde & nuncius de morte impendente allatus, & Ecclesiæ sanctæ subsidia; non merorem aut dolorem, sed ineffabilem consolationem illis conciliant, veluti certa signa libertatis secuturæ, & peri-

*Ioan. 11,*



eulosæ peregrinationis breui absoluen-  
dæ: non secus quàm exultant gaudio  
nautæ, dum post superatas multas tem-  
pestates maris, salui & incolumes in  
portum inuehuntur, Atque hoc erat  
desiderium illius sancti Prophetæ, qui  
deplorans moram animæ suæ in hac vita  
æquo diuturniorem, ita precabatur Do-  
minum. *Hei mihi, quia incolatus meus  
prolongatus est, habitavi cum habitanti-  
bus Cedar, multum incola fuit anima  
mea. Educ de custodia animam meam  
ad confitendum nomini tuo, me expe-  
ctant iusti, donec retribuas mihi.*

Psal. 119.

Psal. 147.

3. CONSIDERA, sicut anima homi-  
nis iusti nullo dolore afficitur, dum se-  
paratur à corpore, quia scit, vt loquitur  
Apostolus, dissoluta terrestri domo hu-  
ius nostræ habitationis, habere se aliam  
non manu factam, æternam in cœlis.  
Sic multo minus dolet se diuelli ab om-  
nibus alijs rebus creatis: illis enim nul-  
lo modo erat affixa, imò potius erant il-  
li graues & molestæ, vt quæ eam impe-  
dirent quo minus perfectè suo Creatori  
coniungi posset. Vnde gaudet se bene-  
ficio mortis ab illis liberatam, vt frui  
CHRISTO in quo omnem suum  
amorem collocârat, & spem omnem  
defixerat, commodius posset. Adhuc

2. Cor. 4.

homini iusto dolores & angores ægritudinis & mortis apparent iucundi & dulces, ob ingens desiderium patiendi aliquid pro Christo, & peccata sua expiandi. Similiter exiguus erit metus & terror ei à dæmonibus hostibus suis, quia dū vixit sæpius eos expugnauit: & alia ex parte multi angelorum chori se visendos præbebunt, ad eum animandum, defendendum & cōsolandum. Immo, vt legitur, sæpe ipse angelorum Dominus illo temporis momento dignatus est solari seruos suos, sicut promisit Apostolis illis verbis. *Si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & recipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Præterea homo iustus ob bonæ cōscientiæ testimoniū, & fiduciā in diuina bonitate & misericordia positam, tunc sentiet tantam pacem tantoque gaudio explebitur, & amore sui redemptoris, vt omni metu depulso, de sua electione & salute securus, inter ipsas mortis amaritudines initium quoddam gaudiorum & voluptatum patriæ cœlestis degustaturus. Quod legimus pio cuidam ordinis Cisterciensis Religioso accidisse, nomine Arnulpho. Is enim multis opibus huius sæculi, alijsque commodis desertis, cū in hora mortis, inter gra-

IOANN. 4.

uissimos dolores maxima præberet gaudij signa, circumstantes ab eo percontati sunt, quæ causa esset gaudij? Respondit se iam illorum uerborum Domini, de reddendo centuplo in hac uita, & in altera, uita æterna, ijs qui propter Christum parentes facultates, & alia bona huius mundi reliquissent, uim & efficaciam apertè experiri, sibi que uideri, quod iam suum centuplum in hac uita recepisset: eo quod in illa dolorum acerbitate tanta cōsolatione ex certa diuina misericordiæ spe perfunderetur, ut malit centies plus bonorum huius seculi deseruisse, quàm destitui illa cōsolatione.

4. *Fœlix ergo anima illa, quæ miseri huius exilij finem consecuta, hoc terreno carcere soluta; omni metu mortis & hostium libera, euolat ad cœlum, in beatum æternæ pacis & quietis sinum, ubi semper habebit & coram uidebit; & amplectetur Dominum cui semper seruiuit, quem toto corde amauit, ad quem tandem tota læta & gloriosa peruenit, ubi sine impedimento ullo in cœlestium spirituum cœtu, sempiterno iubilo suum creatorem benedicet & laudabit, qui eam totam possidebit & uicissim possidebitur ab eâ. Eia anima mea, quandoquidem tot ærumnas &*  
tri-

tribulationes procreat hæc vita, & tanta  
bona apportat mors, quid hic diutius  
hæremus? O quando semel finis erit hu-  
ius asperæ hyemis? quâdo tristis ista nox  
trâsibit, & disparebit umbra huius mor-  
talitatis? contra verò primum & floridū  
ver apparebit, fœlix ille dies æternitatis  
& vitæ immortalis? Beata illa anima, q̄  
terminum dolorum affecuta audit vo-  
cem sponsi dicentis. *Ecce venio cito: & il-*

*Apo. ult.*

la mox respondet, *Veni Domine Iesu. Fœ-*  
lix hora tantopere desiderata, quando i-  
pse cœlestis sponsus totus lætus & ala-  
cer occurrit animæ serui de corpore ex-  
euntis: O quanto cum gaudio illa tunc  
è carcere illo egreditur, imò quomo-  
do maturat & currit audita voce vo-  
cantis & dulciter inuitantis his verbis,

*Cant. 2.*

*Surge, propera amica mea: iam enim hy-*  
*ems transijt, imber abiit & recessit flores*  
*apparuerunt in terra nostra: vineæ floren-*  
*tes dederunt odorem suum: vox turturis*  
*audita est in terra nostra.* quasi diceret,  
Egredere secura & veni filia mea carissi-  
ma, ne timeas, nec contremiskas, migras  
enim ab exilio ad patriam, à miserijs ad  
fœlicitatem, à periculis huius laboriosi  
sæculi ad pacificum æternæ salutis por-  
tum Veni, quia iam asperitas hyemis  
transijt, dolor omnis & gemitus recessit:

non.

non amplius hoc corpore corruptibili  
 grauaberis, nec mortalitati carnis subie-  
 cta eris: nunc enim incipiunt apparere  
 vitæ immortalis flores, & odorem perfe-  
 ctæ caritatis, iustitiæ & sanctitatis redde-  
 re. Incipies quoque instar castæ turturis  
 tuum creatorem laudare & benedicere.  
 Intra ergo in gaudium Domini tui, in-  
 gredere æternas meas nuptias, vbi im-  
 mortalitate donata sine fine gaudebis,  
 & exultando vnà cū angelis, alijsq; cele-  
 stibus ciuibus perpetuum Alleluia can-  
 tabis.

COLLOQVIVM.

**O** Dulcissime & clementissime Do-  
 mine IESV CHRISTE, in cuius  
 manu est vita & mens nostra, cuius-  
 que beneficio omnia sunt & viuunt.  
 Obsecro te, per ardentem caritatem,  
 qua vera vita existens mori voluisti, vt  
 nos vnà tecum in æternum viueremus,  
 ita velis accendere cor meum in amore-  
 tuo, vt nihil in hac vita æquè optem, ac  
 mihi ipsi spiritualiter mori, omniq;e  
 studio enitar, omnia inordinata deside-  
 ria, & animi perturbationes domare &  
 comprimere, ac continenter oculis  
 mentis obiectam habeam harum rerū  
 creatarum vanitatem & inconstantiam,  
 nec

nec non perpetuam incertitudinis mortis memoriam: conetque ita vitam instituere, ac si eo die mihi moriendum esset, ut in extremovitę agone anima mea omni metu mortis & inimicorum suorum vacua, securè ex hac vita migrare possit, & à sanctis Angelis diuino conspectui tuo præsentari, ac tecum feliciter viuere in æternum.

### DOCUMENTA.

1. **C**hristus referēs prauam vitam & infœlicem exitum diuitis epulonis & contra, beatum finem mendici Lazari reticuit nomen diuitis, & pauperis expressit, ad docendum nos, ut quando referimus res cum dedecore & ignominia coniunctas, non prodamus earum autorem, si autem referamus aliquid laude & imitatione dignum, etiam nomen auctoris præfaciamus.

2. Deinde, ideo non nominatur hic homo diues in Euangelio, ut intelligamus, peccatores etsi aliquando magnum nomen habeant in terra, nullum tamen nomen habere apud Deum, nec ullam eorum rationem haberi, secundum illud Prophetæ: recedentes à te, in terra scribentur. quicquid enim in terra scribitur,

statim deletur, quia & memoria talium inter homines facile perditur.

3. In omnibus Euangelij locis, Dominus quoties de diuitijs loquitur, eas condemnat ut perniciosas, vel reprehendit & minatur hominib diuitibus, vel etiã eorum salutem facit impossibilem. Deinde quoties ferè mentionem facit diuitiarum simul quoque mentionem facit eleemosyna: ut intelligamus, etiamsi diuitia sint res quadam adiphora, qua licitè acquiri possint & possideri, tamè admodum difficile est, imò ut Dominus dicit, diuina

Matt. 19.

virtutis subsidio opus est, ut quis possit salua conscientia, saluteq; anime sua opes accumulare. Qui enim, inquit Apostolus

volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Nulla autem via & modus est, quo diues ad salutem peruenire possit, nisi per eleemosynas: sic enim Dominus ipsis diuitibus consuluit:

1. Timot. 6.

Veruntamè, inquit, date eleemosynam, Luc. 12.

& ecce omnia munda erunt vobis.

4. Hic pauper Lazari iacebat ad ianuã diuitis, cupiens exsaturari tantũ micis ex mensa eius cadentibus, & nemo illi dabat. Vnde cognoscere possumus, nimiũ amorem rerum huius vitæ efficere, ut homo iacturam faciat caritatis erga proximum, & naturalis commiserationis, quã

ho-

homo erga hominē habere solet. Vnde ferē fit, egētiore, et minus reb temporalib abū dantes maiori caritate & misericordia moueri erga alios, quā diuites.

5. Pauper hic mendicus totum diem cō sumebat in petenda eleemosyna ad ianuam diuitis, & nemo illi dabat Vnde conijcimus, quantum possit eorum exemplū, qui sunt aliorū capita & superiores quia experientia discimus, dum caput familia caritatem & misericordiam exercet erga pauperes simul omnes eius domesticos & famulos ad caritatem esse propensos. Contra, quando nullam ex auaritia misericordiam demonstrat pauperibus, tota quoq; familia erga eosdem pauperes se im misericordem & crudelem declarat Vnde & illud consequitur, sicut eiusmodi familia capita suo malo exemplo occasionem dant domesticis suis, ut peruersi sint & mores Domini sui imitentur, ita suo tempore rationem ab ijs reddendam, & cruciatus inferni sustinēdos, nō solum pro suis, sed etiam subditorum peccatis.

6. Pauper Lazarus, ut micis optabat, ita contentus erat tantum micis e mensa diuitis cadentibus: ubi vides quā exigua re diuites possint lucrari cœlum, si nimirum superuacanea tantum, & quæ e mensa ipsorum excidunt, communicent



pauperibus: sic enim possent peccata sua redimere, & parare amicos, à quibus reciperentur in aeterna tabernacula.

7. Mortuus est Lazarus mendicus, & ab angelis deportatus est in sinum Abraha: mortuus est & diues, & sepultus est in inferno. Vbi ex utriusq; sine potes aestimare, ex vna parte quis exitus sit erumnarum & tribulationum huius vitae, patienter & humiliter toleratarum, quia per illas patet aditus ad caelum, & sessionem gloriosorum principum semper in conspectu Dei viuentium. Ex altera parte potes videre, quis finis sit voluptatum, dignitatum, & commoditatum huius vitae: nam pretiosa hominis peccatoris & superbi vestimenta conuertuntur in flammam ignis undiq; eum consumentes, laeta epulae in aeternam amaritudinem, omnis gloria & abundantia in summam ignominiam & calamitatem. Itaq; si pauper es, vel infirmus, tolera patienter, ob spem aeternorum bonorum, qua possidebis in caelo: si verò diues sis, vide quomodo vitam instituas, & caue ne opes faciant à te diuelli à Deo vero anima tua thesauro.

8. Aequè moritur diues ac pauper: mors est terminus rerum omnium, quia, ut ceteri  
ille-

illecebra & commoditates opulentorum, ita omnes angores & afflictiones inopum concluduntur & finiuntur. Vnde discere potes, neminem merito posse, vel extolli ob magnas opes, quia breui tempore deserenda sunt, vel animum dispendere ob inopiam, & afflictiones huius vita, quia breui finem habebunt.

9. Lazarus mendicis, ulceribus plenus & ab hominibus contemptus à Deo tanti aestimatus est, ut animam eius ab angelis curauerit deferri in locum requietis. Vnde discere nunquam vllum hominem quantumuis vilem, pauperem, & infirmitatibus plenum contemnere, quia eiusmodi si patienter ferant tribulationes à Deo immissas, gratiores sunt diuina eius misericordie, & in caelo gloriosiores omnibus quos mundus in summo habet precio & estimatione.

10. Ex angoribus quibus homo affligitur in hora mortis, & seuerio iudicio quod Deus facit anima è corpore egressa, pro commendatione vita tua discere tria semper menti obiecta habere, & nunquam è memoria deponere. Primum est, quantam crucem & dolorem illo puncto temporis ob Deum toties offensum sis sensurus: itaque procura, dum viuus, pœnitentiam agere de peccatis præteritis, & de cœtero Deum

non offendere. Alterum est, quanto opere optaturus sis te quamplurima opera bona ad gloriam Dei per omnem vitam fecisse, ut Deum illa hora inuenias propitium, quare fac, ut nunc, dum potes incipias bonis operibus diligenter vacare. Tertium est, quantam pœnitentiam tunc pro peccatis desiderabis facere si vel minimum temporis tibi concederetur. age ergo, ut nunc ita viuas, & pœnitentiam agas, ut illo puncto te egisse optares.

11. Cum mors tam sit certa, & hora mortis tam incerta, ut nec unum diem vita nobis possimus promittere, valde vigilare debemus. & quolibet die, mane nobis quoad fieri potest persuadere illum extremum esse diem vite nostre, atq; ita animam nostram negotiaq; nostra curare & disponere, atq; si post illum diem viuiri non essemus: neq; contrarium nobis persuadere debemus, si enim id fecerimus, fieri non potest ut fallamur, si enim quotidie potest mors in nos insilire, merito eam quotidie, nullo habito dierum discrimine prestolari debemus.

12. Valde utile & necessarium documentum est, quod Sapiens nobis reliquit his verbis. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Ex recordatione enim mortis, Primò nascitur Timor

Eccl. 7.

Psal. 110.

Eccl. 1.

616 **MEDITAT. DE VITA**

Dei, qui est principium sapientiae, & om-  
 nis boni, Secundo, facit, ut homo si sibi  
 praesens, & aduertat ubi figendus sit pes,  
 ne labatur, Deumq; offendat, atq; ita fa-  
 cile abstinet à peccatis. Teriò, aperit ho-  
 mini oculos, ut agnoscat propriam mise-  
 riam: qua cognitione superbia corrumpit, &  
 exurgit humilitas omnium virtutum cu-  
 stos. Quarto, efficit, ut homo cognoscat o-  
 mnium rerum praesentium vanitatem, ut  
 quod à nullo verè inuari possit, nullum  
 quoq; hinc sit secum delaturus. Vnde fit,  
 ut facile ab eis contemnantur, nec spem  
 suam in ijs collocet: sed in solo Deo, bonisq;  
 caelestib. Deniq; persistendo in mortis me-  
 moria, timor tandem conuertitur in amo-  
 rem, & mors ipsa qua prius videbatur  
 terribilis, incipit fieri optabilis, ut qua  
 finem impetitura sit tantis pericu-  
 lis & miserijs, principium ve-  
 re factura vitam,  
 mortalis.

DE



# DE IVDICIO VNIVERSALI.

## MEDITATIO XXIII.

### EVANGELIVM.

**D**ixit Iesus discipulis suis. *E- Math. 24.*  
 runt in diebus illis signa in *25.*  
 sole, & luna, & stellis, & in *Mar. 13.*  
 terris pressura gentium præ confu- *LUC. 21.*  
 sione sonitus maris & fluctuum, a-  
 rescentibus hominibus præ timo-  
 re & expectatione quæ superueni-  
 ent vniuerso orbi. Nam Sol obscu-  
 rabitur, & luna non dabit splendo-  
 rem suum, & stellæ cadent de cœ-  
 lo, & virtutes cœlorum mouebun-  
 tur. Et tunc apparebit signum filij ho-  
 minis in cœlo; & tunc plangent oēs  
 tribus terræ, & videbunt filium  
 hominis venientem in nubibus cœ-  
 li cum virtute magna & maiestate,

Et tunc mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, & à summo terræ vsq; ad summum cæli. Et ille tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidē à dextris suis, hœdos autē à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me: nudus & operuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere eram & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem & pauperem? sitiētem & dedimus tibi potum? quādo autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus

ad

ad te? Et respondens rex dicet illis. Amen dico vobis. Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare: sitiui & nō dedistis mihi potū: hospes eram & non collegistis me: nudus & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt & ipsi dicentes. Domine, quando te vidimus esuriētem, aut sitiētem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis dicens. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.

## P R O P H E T I Æ.

*x* **D** *Eus deorum locutus est, et vocavit terram. Psalm. 49.*

*A Solis ortu usq; ad occasū, ex Sion species decoris eius.*

Deus manifestè veniet Deus noster, &  
non silebit.

Aduocauit cælum de sursum, & terram  
discernere populum suum.

Congregate illi sanctos eius, qui ordinant  
testamentum eius super sacrificia.

**Psal. 98** Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia  
& iudicium correctio sedis eius.

**Isa 13.** Ignis ante ipsum precedet, & inflamma-  
bit in circuitu inimicos eius.

2. Ecce dies Domini veniet crudelis, et  
indignationis plenus & ira furorisq̄, ad  
ponendam terram in solitudinem, & pec-  
catores eius conterendos de ea: quoniam  
stella cæli & splendor earum non expan-  
dēt lumen suū, obnebratus est sol in ortu  
suo, & luna non splendebit in lumine suo.

**Dan. 12.** 3. In tēpore illo consurgēt Michael prin-  
ceps magnus, qui stat pro filijs populi tui,  
& veniet tempus, quale non fuit ab eo,  
ex quo gentes esse cœperunt usq̄ ad tēpus  
illud, & in tempore illo saluabitur popu-  
lus tuus omnis, qui inuentus fuerit scrip-  
tus in libro: & multi de his qui dormiunt  
in terræ puluere euigilabunt, alij in vitā  
aternam, alij in opprobrium, ut videant  
semper.

**Psal. 2.** 4. Canite tuba in Sion, inbilate in mon-  
te sancto meo: conturbentur omnes habi-  
tatores terra, quia veniet dies Domini,  
quis



quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.

Antefaciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma,

A facie eius contremuit terra, moti sunt caeli, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stelle retraxerunt splendorem suum, Dominus dedit vocem suam antefaciem exercitus sui.

Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, quis enim sustinebit eum?

In diebus illis congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi. Ioel. 3.

3. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis, vox diei Domini amara, dies ira, dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriae, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulae & turbinis, dies tubae & clangoris. Seph. 2.

6. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus & erunt omnes Superbi, & oēs facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non relinquet ei radicem & germen Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae & sanitas in pennis eius: & egrediemini & salietis sicut vituli de armento, & calcabitis impios, cū fuerint cinis sub planta pedum vestrorum. Mal. 4.

## CONSIDERATIONES

Punct. 1.

ETSİ unicuique animæ mox post excessum ex hac vita fiat iudicium particulare, & vltima pronuncietur sententia secundum merita, mortis vel vitæ æternæ, tamen diuina sapientia certum voluit decernere diem, in quo fiat iudicium vniuersale omnium animarum corpori coniunctarum, idque quatuor præcipuè de causis. Primò, ad honorem & gloriam CHRISTI nostri redemptoris, qui veniens in hunc mundum tanquam in domum suam à se cõditam, non solum non agnitus est à suis vel receptus, sed etiam velut blasphemus, à dæmone obsessus & legis transgressor varijs modis fuit exagitatus, & diuexatus, ac denique facinorosi hominis instar in crucem actus. Similiter mysterium crucis CHRISTI, Euangelijque prædicatio, non solum ab ipsis ludæis velut res plena scandali & erroris repudiata & irrita, sed etiam toto mûdo varias perpessa est persecutiones & aduersitates, nec alio quam stultitiæ loco habita est cœlestis doctrina. Quare congruentissimum fuit, imò pernecessarium, vt in conspectu totius mundi

1. Cor. 1.

di hæc veritas patefieret, & tam Iudæi,  
 quàm omnes aliæ nationes cognosce-  
 rent veritati consentaneum esse quic-  
 quid CHRISTVS dixisset, vel de ipso  
 scriptum vel prædicatum esset, illumq;  
 esse, cui Deus omnem potestatem in  
 cœlo & in terra contulisset, eundem *Mat. ult.*  
 que constitutum iudicem viuorum &  
 mortuorum. Secundo hoc vniuersale  
 iudicium institutum est ex parte ipsius  
 Dei: cum enim ipse sit iustus, & iustitiæ  
 proprium sit reddere vnicuique secun-  
 dum merita, necessarium erat vt die ali-  
 quo iustitia illa à Deo demonstraretur,  
 & toti mundo manifestaretur, virtu-  
 tem ab eo præmiari, vitia castigari: qd  
 iustis de causis in hac vita ordinariè  
 non præstiterat. Vbi videmus multos  
 homines pios & iustos varijs calamita-  
 tibus iniuste opprimi, contra verò im-  
 pijs omnia prosperè cedere: quam rem  
 admiratus ille sanctus Propheta, dice-  
 bat. *Zelavi super iniquos, pacem peccato- rum videns,* Et alius quasi conquerens  
 apud Deum. *Quare, inquit, via impio- rum prosperatur,* *Psal 72.*  
*bene est omnibus qui prauaricantur, & iniquè agunt: planta- sts eos, & radicem miserunt: proficiunt & faciunt fructum: prope est tu ori eorum, & longè à renibus eorum* *Ier. 12.* Similiter & alius

*Hab. 2.*

Propheta clamat. *Quare, inquit, respicis contemptores? Et taces conculcantes impio iustiorum se?* Deus igitur iustus, vt nomen causamque suam in presentia omnium tueretur, voluit præter iudicium particulare quod exerceretur pro cuiusque anima, etiam publicum & generale haberi iudicium, vt omnib. agnoscantibus, quàm Deus fuerit in diuinis iudicijs suis æquus & iustus, & quantum bonum ille haurire potuerit ex malis in mundo permissis, cogantur fateri & dicere cum Propheta: *Quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & uniuersa opera tua vera, & via tua recta, et omnia iudicia tua vera.* Tertia causa huius iudicij est ex parte ipsorum hominũ quod nimirum fiat ad maiorem gloriam bonorum, & confusionem impiorum: virtus enim non præmio solum, sed & honore digna est. Contra vitium non modo meretur pœnam, sed etiam confusionem & ignominiam. Quare conueniebat bonos non solum præmio ornari in morte, verum etiam in presentia totius mundi honorari, & collaudari: sicut è contrario congruebat vt impij publicè pudefierent, non secus quàm solent facere iudices, qui sententiam priuatim contra reum latam,

*Dan. 3.**Eob 3.*

tam, curant postea dum educitur ad  
 supplicium, coram toto populo publi- *1. Cor. 4.*  
 cari, secundum illud Apostoli. *Nolite an-  
 te tempus iudicare, quoad usq; veniat Do-  
 minus, qui & illuminabit absconbita te-  
 nebrarum, & manifestabit consilia cor-  
 dium, & tunc laus erit unicuiq; à Deo.*

Quarta ratio est, quia cum homo con-  
 stet anima & corpore, sicut anima, quia  
 inuisibilis est, iudicata est inuisibiliter &  
 occultè in discessu ex hac vita: sic quãdo  
 omnes à morte resuscitabuntur, & ani-  
 mæ suis corporibus restituentur, necesse  
 erit totum hominem palam iudicari: vt  
 sicut corpus societatem meriti habuit  
 cum anima, vel demeriti, ita vna cum  
 illa particeps fiat gloriæ vel ignominie,  
 præmij vel pœne. Et quia natura nostra  
 corporea est & visibilis, cõueniens quoq;  
 est vt illud iudicium visibiliter & corpo-  
 raliter instituat.

2. CONSIDERA terribilia & for-  
 midanda signa, quæ antecedent iudi-  
 cium: nam sicut quando Rex terrenus  
 se comparat ad magnum certamen, to-  
 tum eius regnum commouetur, & tur-  
 batur, atque vbique exaudiuntur, tuba-  
 rum, tympanorum, & hominum arma-  
 torum strepitus, sic, quando rex cœli &  
 terræ veniet vindictam de suis hostibus

sumpturus, totus mundus conturbabitur, cœleste quæ exercitus cum omnibus creaturis se armabunt aduersus genus humanum conuenienter dicto sapientis. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Ac primò quidem turbabuntur cœli: Sol enim & Luna obscurabuntur, stellæ verò ob extraordinarios motus videbuntur de cœlo cadere, ac denique omnia corpora cœlestia, virtute quæ signa dabunt magnæ perturbationis, vti prædixit Ioel dicēs. *Conturbentur oēs habitatores terra, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, similis ei non fuit à principio & post eum non erit. Ante faciem eius ignis vorans, et post eum exurens flamma. A facie eius cruciabantur populi, contremuit terra, moti sunt cœli, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Hunc diem Propheta vocat diem Domini. Primò, quia illi soli notus est, vt dixit ille Propheta, *dicens. Et erit dies una, qua nota est Domino.* Sic, vt nec Angeli scire possint, quando ille dies sit futurus. Secundò, quia illo die solus DEVS dominabitur & regnabit, non homines, nec huius mundi Principes. Tertiò, quia

Do-

Eos. 3.

Ioel. 2.

Zach. 14.

Dominus illo die aget & iudicabit causam suam, iuxta illud per Prophetam ab ipso dictum. *Cum accepero rēpus ego* *Psa. 74.*

*iustitias iudicabo.* Quartò, quia omnes reliqui dies fuerunt hominum, in ijs enim licuit cuique facere, quod voluit, tacente Deo, & patienter dissimulante: at hoc die Deus finem imponet suo silentio, & pro suo honore loquetur, & omnes eius obsequentur voluntati.

DEINDE quoque turbabuntur elementa; terra enim contremiscet, & ob-

continentes horrendosque terræ motus dehiscet: montes loco dimouebuntur; mare magnitudine & sonitu fluctuum exundantium, atque si totam

terram essent contecturi, magno terrore afficiet mortales. Aer quoque turbationis indicia dabit, obscura & perpetua caligine, & horribilibus tonitruis fulgetris & tempestatibus. ignis etiam

ante conspectum iudicis emittet flammam, & suo incendio exsiccabit mare, & totum mundum destruet, ut scribit

sanctus Petrus. *Elementa, inquit, calore* *2. Pet. 3.*

*soluētur, et terra, & omnia quæ in ea sunt exurentur.* Denique & in creaturis intelligentia præditis apparebit ingens turbatio: nam Angelicæ potestates timore reuerentiæ & admirationis, quo-

dam modo commouebuntur & tremant, dum terribile & seuerum hoc iudicium, & exactissimam iustitiam Dei in peccatores intuebuntur. iam si virtutes caelestes, quae tam securae sunt de sua salute, & stabiles, commouebuntur, quantum motum & turbationem putamus fore hominum creaturarum tam fragiliu & imbecillium? Si caeli columnae, & cedri montis Libani trepidabunt, quid futurum est infirmis arundinibus terrae? O quantus terror, quanta confusio erit hominum, cum aspicient hanc conturbationem omnium creaturarum? stultorum instar huc illucque diffugient, toti attoniti & obstupefacti, in singula momenta expectantes mortem. Tunc omnes eorum negotiationes cessabunt, & commercia; tantus enim terror corda eorum obruet, ut omnium rerum, etiam ad victum necessariorum sint oblituri, in eo tantum omnes eorum curae & cogitationes erunt, quemadmodum opportuna loca inueniant, quibus a motu terrae, aeris tempestate, & aquarum inundatione se tueantur. Tunc homines conabuntur se abdere in caernis ferarum, ipsaeque ferae per fugium quaerent in domibus hominum. Quod si tanta erit afflictio & calamitas eorum futura propter ma-

la.



la præsentia, quanta erit ob mala futura? utpote, qui nesciant, quis tam tristem principiorū futurus sit exitus. Beati illi, qui amore suo, omniq̄ue sp̄e collocata non in his rebus caducis, sed in solo Creatore Deo inter tempestates illas & pericula, instar immobilium rupium securi permanebunt & stabiles. Quare amatorib. imprimis mundi, hæc terribilia signa ingentem metū & incertorem incutient, quia cernent finem esse suarum consolationum: at hominibus iustis & Dei amicis potius summa afferent consolationem, quia intelligēt iam finem instare suæ miseræ captiuitatis. Vnde meritò ipse Saluator Apostolis suis dixit, *His fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Luo. 22.

3. CONSIDERA, quomodo post futuri iudicij signa, aliud in cælo apparebit magis extimescendum quodq̄ue omnibus impijs maximum afferet pudorem & verecundiam, nempe signum sanctæ Crucis cum omnibus passionis mysterijs, ut testimonium reddat mundo, de remedio & antidoto à Deo amandato, sed à paucis recepto & approbato. Adhęc gloriosum hoc signum  
appa-

apparabit vice regij vexilli: nam sicut in mundo, quando Rex ingreditur aliquam urbem suam, vexillum cum insignibus regijs ei ab exercitu præfertur: sic veniente Domino ad iudicium, cælestes acies præferent triūphale signum crucis ad annunciandum toti mundo cælestis Regis aduentum. Conspecto autem glorioso hoc vexillo, mox exaudietur terribilis ille tubarum cælestiū sonitus & clangor, momentoque vno patefactis cælis prodibunt vtrinque cælestes Domini exercitus, & in medio eorum procedens filius Dei, specie humana incredibili Maiestate fulgens, ex cuius facie, vt loquitur Propheta, *fluvius igneus rapidusque egrediebatur*, qui vniuersum diffusus totum mundum exuret & in cineres rediget; & ilico audietur magnus clamor dicentium, *surgite mortui, & venite ad iudicium*. Vox verè magna, quippe quæ non solum exaudietur ab omnibus mundi partibus, verum etiam in profundo abyssi. Huic voci omnia elementa obedient, quia omnes quos apud se habebant mortuos reddent. Ad clangorem huius tubæ patefiet infernus, & vincula mortis disrumpentur, vnoque oculi nictu animæ omnibus suis corporibus coniungentur.

Tunc

Tunc mortui omnes resuscitabuntur, & oculi omnium Filium Dei conspiciant. omnes quidem videbunt in eò formam hominis, sed formam Dei nullus videbit nisi mundus corde, sicut scriptum est. *Beati mundo corde, quoniam* *Matth.*  
*ipsi Deum videbunt.* Præterea resurrectio iustorum, aliud non erit, quam à somno suavissimo excitatio, qua peracta, simulatque oculos aperuerint, Dominum suum contuebuntur, qui vicissim eos, non tanquam iudex, sed vt Pater benignis & clementibus oculis respiciet: qui respectus in cordibus eorum magnam gignet securitatem, & pacem inæstimabilem. Tunc beata illa corpora, post coniunctam rursus animam, tota splendescunt, lucernarum crystallinarum instar, quibus lumen impostum est. itaque videbuntur è terra egredi totidem fulgentium stellarum more, & velut ardentes scintillæ per aëra ferentur, & sicut dum vixerunt, cor suum non habuerunt defixum in terra, sed in cœlo, ita mox atque resuscitati fuerint, non morabuntur in terra, sed ab angelis rapiuntur, teste Apostolo, in *2. Thes. 4.*  
 cœlum, & obuiam, velut nouellæ sponsæ, aduolabunt per aëra dilecto suo spōso, vt societatem ineant cum sole iustitiæ.

tiæ è medijs nubibus emicante. Contra resurrectionem reprobatorum non erit à morte ad vitam, sed ab vna morte ad aliam longe acerbiorē & horribiliorē: quorum corpora erunt obscura, grauiā, & multo scœdiora & abominabiliora, quā dum adhuc in monumētis à vermibus depasta iacerēt: atque vt omnem amorem suum defixum habuerūt in terra, ita quasi terræ affixi miserabiliter humi procumbent; & quoniam ipsi non ignorabunt se tam scœdos esse, & contemptos, atq; etiam terribiles minarūque plenos iudicis summi oculos in se cōiectos, præ nimio metu & pudore in cauernas & specus se abdere conabuntur: optabuntq; potius præcipites agi in tartara, quam diutius vultum illū turbatum & iratum contra ipsos intueri.

4. CONSIDERA deinde quanta auctoritate & potentia summus & tremendus hic iudex aduēturus sit: nam vt primus eius aduentus fuit in extrema paupertate & miseria, sic secundus erit in summa maiestate & gloria. *Ecce venit,* inquit Propheta, *et quis poterit cogitare diē aduētus eius, et quis stabit ad vidēdū eum?* si enim iudei, cū ipse Deus in montem descendens eis præcepta legis præscriberet, perterrefacti, & timore pleni  
 diffu-

*Apoc. 6.*

*Mal. 4.*

diffugerūt, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur Dominus, ne forte moriamur. *Exod. 20.* Quis ſuſtinebit furorē & minas eiꝰ ſc̄i Dei, quando deſcēdet ad exigendā rationē de eadē lege toties ab hominibꝰ contēpta & violata? Et ſi dominus ad declarādā infinitā ſuā potentia, in creatione vniuerſi, fecit res tāto ſtupore & admiratione dignas: atq; itē, ad demonſtrandā ſapientia tā varias cōdidit creaturas, ſingulasq; varijs dotibꝰ & proprietatibus ornauit, ac qꝰ eo amplius eſt, ſi ad oſtēdendas diuitias ſuæ miſericordię, voluit facere & perferre quæ omnem intelligētiā, nō ſolū humanā, ſed etiā angelicā ſuperāt: Quid cēſemus eum facturū, cū iuſtitia ſuæ magnitudinē declarabit, & iræ ſuæ impetū effundet in peccatores? *Horrēdū eſt, inquit Apoſtolꝰ, incidere in manus Dei viuētis. Heb. 10.* Homines in hac vita exiſtētes, dū peccant, incidūt quidem in manus Dei, ſed Dei crucifixi, Dei amore ipſorum mortui, Dei qui non videtur ſentire, vel commoueri ad iram cōtra ipſos, ſed tacet, & tolerat omnia: ſed ſi homines contempta bonitate eiꝰ in peccatis perſiſtent, & gratia eiꝰ deſtituti è vita diſcedent, iā nō amplius incident in manus Dei mortui, ſed Dei viuā

viui, De irati, qui sentiet eorum nequitiam, & horrendis supplicijs vindicabit, sicut per Moy en Prophetā cōminatus est. *Ignis, inquit, succensus est in furore meo, et ardebit usq; ad inferni nouissima, deuorabit quæ terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* In quo animo homines impij intueri poterunt iratum eius vultum, & conspectum terribilem? quanto terrore mens eorum illo temporis puncto concutietur? quam attoniti stabunt, cum cernent Dominum, quem tantoperè contempserant tanta maiestate resplendentem? quot luctuosæ voces, quam acerbi planctus, quot singultus, suspiria, gemitus illa hora audientur? Sed heu nihil proderit lacrymari, nihil iuuabit dolere, non iniurias condonare, non pœnitentiam de peccatis agere, quia non erit tempus amplius misericordiæ, sed tantum iustitiæ. Tunc, vt in Apocalypsi scriptum est, *plangent se super eum omnes tribus terra.* Plangent iudei, quia complebitur in illis Prophetia illa. *Videbunt in quem transfixerunt.* Videbunt viuentem & regnantem, quem putabant mortuum: illum de quo Pilato dixerāt, *Noli scribere, rex Iudeorum, sed quia ipse dixit Rex sum Iudeorū.* tūc videbunt.

Dent. 32.

Apoc. 1.

Zach 12.

Ioan. 19.

Ibid.

debunt, sed suo damno, esse Regem, & non solum regem Iudæorum ad iudicandum & castigandum ipsos, sed etiã totius orbis terrarum. Plangent quoque gentiles, qui stulta & vana Philosophorum sapientia decepti, arbitrati sunt stultitiam esse, Dei loco colere hominem crucifixum: sed multo maior erit planctus & confusio impiorum, & amatorum mundi, quando CHRISTVS ipse eis ingratitude[m] exprobrabit his verbis. Ingrati homines, quid feci, vt me repudiato vos adiungeretis meis inimicis? descendi de cœlo factus homo ad vos liberandos & in cælum deducendos; pro vobis ieiunavi, itinera cõfeci, vigilavi, laboravi, & sudaui guttas sanguinis: pro vobis volui ligari, illudi, flagellari, in crucem agi, vbi est gratitudo vestra, vbi tanti laboris pro vobis tolerati fructus? Ecce vulnera, quæ propter vos vestramq; salutẽ accipi: Ecce sanguinis mei pretiũ, quem pro redimendis animabus vestris profudi, vbi nunc est seruitus, quã mihi pro tanto pretio debebatis? Ego in mundo, vos, bonumq; vestrum mee gloriæ & vitæ prætulì, nam existens Deus, assumpsi formam serui, factus homo, & existens is, qui erat offensus  
 mori

mori volui, vt vos, qui offenderatis, nō moremini Et tamē vos me tam parui fecistis, amorem harum rerum vilium & terrenarum amori meo, iustitiæ meæ, & fidei meæ anteposuistis. O generatio prava & adultera, quæ potius voluisti seruire inimico tuo, cum labore & afflictione, quam Creatori tuo cum pace & gaudio: abiecisti me fontem aquæ viuæ, & confugisti ad cisternas dissipatas, & aquas putrefactas huius mundi Toties te vocaui, & mihi non respondisti: pulsaui ad ostium cordis tui, & non aperuisti, tota die expandi manus meas in cruce, & non respexisti, imò consilia mea respuisti, promissionum nullam rationē habuisti, nec vllō comminationum mearum metu concussa fuisti. Vos ergo Angeli, & vos amici mei, iudicāte inter me, & hunc meum ingratum populum, quid amplius potui facere pro eo, & non feci?

5. **CONSIDERA**, quomodo postea Dominus missurus sit Angelos suos, qui peragant æternam illam separationem hominum malorum à bonis. Tunc magnus ille Paterfamilias mandabit messoribus suis, vt primum colligant omnia zizania è medio triti-

*Mat. 8.**Esa 5.*



ei, eaque in fasciculos colligata abijciat *Matth. 13.*  
 in ignem exurenda. Tunc caelestes piscatores, attracto in terram reti, pisces bonos seligent à malis, & bonos quidem reponent in vasa, Domino praesentandos, malos autem foris relinquent in praedam & escam bestiarum infernalium. O fors infœlix, ô acerba separatio. Tunc deniq; ille bonus Pastor, qui suas oves cognoscit, ab eisque cognoscitur, delectu facto, oves quidem ad dextram, hædos verò constituet ad sinistram suam. Rectè autem electi comparantur ouibus, ob mansuetudinem & patientiam? ut enim oves neminem offendunt, & sinunt se nullo clamore edito ad lanienam deduci: sic homines iusti, nullum iniuria afficiunt, sibi autem illatam, patienter tolerant, etiã mortem, sine vlla repugnandi aut se vindicandi significatione; imitantes in hoc exemplum Domini de se dicentis: *Discite à me, qui mitis sum & humilis corde.* *Math. 11.* Scriptum quoque de eo est, quod sicut agn<sup>9</sup> ad occasionem ductus sit, nec aperuerit os suum. & contrario peccatores comparantur hædis: nam ut hoc animal lascivum est, iracundum, & invidum, & saltat per loca aspera, & sublimia, ita peccatores ferè his vitijs, ut libidinis, iræ, arrogantiae, ahij-

alijsq; animi perturbationibus dediti sunt, & præcipites per peccata ruunt in barathrum. Recte quoque electi per oves præfigurati, collocantur ad dextram, & reprobis designati per hædos, ad sinistram; nam Dominus vtraque manu benedicit, suaq; dona effundit in creaturas, licet non vna ratione & modo: dextra enim confert beneficia spiritualia & æterna; sinistra verò dona terrena & caduca, iuxta illud sapientis.

*Prover. 3.* *Longitudo dierum in dextera illius, in sinistra illius diuisa est gloria.* Itaque quia reprobis in hac vita desiderantur benedictiones sinistræ, & electi dextræ, idcirco conuenienter in hoc vltimo vniuersalis iudicij examine, electi collocabuntur ad dextram, & peccatores ad sinistram. Hic cogita quam confusi & pudefacti in terra remansuri sint hi miseri, licet nihil æquè eos cruciabit, summoque rubore & pudore afficiet, quam cum secreta conscientiarum eorum palam pandentur, & detegentur consilia cordium: tunc enim iustissimo Dei iudicio vniuscuiusque peccata siue opere, siue mente & voluntate tantum commissa omnibus manifestabuntur. O quanto pudore & verecundia illa hora afficientur peccatores, quando omnes  
 eorum

*2. Cor. 5.*

eorum nequitiae, & foeditates, in abditissimis etiam domus angulis, vel conscientiae arcano commissae in lucem proferentur, & in magno illo campo, in praesentia tot angelorum, hominum & daemonum publicabuntur. Et si nunc multi, malunt in statu damnationis perseverare, quam vni homini etiam sub sigillo secreti confessionis occulta sua peccata patefacere: quanto pudore & verecundia obruentur, cum illa peccata cum omnibus circumstantiis ac modis quibus patrata sunt in praesentia totius mundi divulgabuntur, eisque cum summa eorum ignominia ibi exprobrabuntur? Tunc certe ob intolerabilem confusionem acclamabunt moribus & dicent. Cadite super nos, & abijcite in voragines terrae, ne amplius in terra compareamus; nec tamen miseri hi abscondere se poterunt. Beati illi, quorum peccata illo die deprehendentur condonata, & misericordia diuina contacta. O quam securi & laeti resurgent, qui in hac vita beneficio poenitentiae à peccato ad virtutem, à culpa ad gratiam surrexerunt: tunc enim pudefieri causam nullam habebunt, sed magna potius fiducia & securitate caelesti iudici se sustent, non vt iudicentur tan-

*Esa. 2.**Apo. 6.*

quã rei, sed vt ex sententia lata amplio-  
rem laudem & honorem consequantur.

6. CONSIDERA, quam strictam  
seueramq; rationem sis redditurus illo  
die, quo DEVS ipse, sapientia illa æter-  
na disputationem inibit cum homini-  
bus, & examen tam exactum de omni-  
bus eorum actionibus instituet. Ac pri-  
mo quidem, quia constamus anima &  
corpore reddenda tibi ratio est, qua ra-  
tione vsus fueris anima, eiusq; poten-  
tiji, ad finem suum, ob quem creata &  
copulata corpori fuit: qui erat, vt per  
corporeos sensus, notitiãq; rerum vi-  
sibilium agnosceres creatorem, agnitũ  
amares, amatũ reuereris obsequendo  
& seruiendo illi in omnibus. Secundo,  
quoad corpus, eiusq; sensus, ratio ti-  
bi reddenda est, quemadmodum eos  
custodieris & coercueris conuenienter  
rationi, & legis diuinæ mandatis; dein-  
de reliqua membra corporis, vt cor,  
linguam, manus, pedes, quibus rebus  
occuparis: hæc enim omnia Deus no-  
bis impertiuuit, vt ea vsurparemus, non,  
vt loquitur Apostolus, tanquam arma  
iniquitatis ad seruiendum concupiscen-  
tiji & peccato, sed velut arma iustitiæ  
ad seruiendum Domino in exercitatio-  
ne virtutũ, sanctarumq; operationum.

Deni-

Denique nō modo de prauis operibus, sed etiā de omissionibus, omnibusque bonis quæ facere neglexisti, cum facere tenereris, exactissimam rationem reddere cogeris. O quàm accuratum & strictum erit illud examē & quàm rigidus iudex: *In tempore illo* (ait per Prophetā *Sop. 1. scrutabor Hierusalē in lucernis.* quoniā nec erit vlla cogitatio vana, aut verbum otiosum, aut minimum tempus malè impensum, quod non in libra illius seueri iudicij expendetur, cum Dominus per Prophetam dixerit. *Va qui cogitatis Mich. 6. inutile & ipse alibi dixit. Dico autem vobis, quoniā omne verbū otiosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicij.* Imò de ipsis bonis operibus exigetur à te ratio, qua intētionē ea feceris; & in summa, de omni vitæ tuæ momento, quomodo illud impenderis, secundum illa verba Iob, *Tu Iob. 14. quidem gressus meos dinumerasti.* Deinde in hac causa non deerunt nec accusatores nec testes; nam vt dicit Sanctus IOB *Reuelabunt cali iniquitatem eius, Iob 20. & terra consurget aduersus eum.* Et primus ipse CHRISTVS quem offendisti, dabit testimonium contra te, vt dixit per quendam Prophetam, *Ego sum index & testis.* Secundo accusa-

bunt te angeli, & sigillatim tuus custos, quoniam non recepisti, sed repudiasti salutaria eius consilia. Tertio dæmones, qui iam te tentant, & inuitant ad peccandum, erunt terribiles tui accusatores, exprobrabuntq; professionem à te in baptismo factam, qua promisisti te renunciare dæmoni, & omnibus eius pompis; ac etiam omnia peccata tua, simulque locum & tempus, enumerabunt. Quarto propria conscientia plus omnibus alijs te accusabit, obijciens oculis omnia tua peccata, speciatim illa, quæ in confessione aperire noluisti, vel de quibus pœnitentiam non egisti: quæ omnia magna voce contra te clamabunt. Tu illa fecisti, nos tua opera sumus, non te detremus, sed semper tecum remanebimus. Atque hic est liber, de quo scriptum est in Apocalypsi, mortuos iudicandos secundum ea quæ conscripta sunt in libris. Quinto accusaberis ab omnibus creaturis, quibus abusus fueris, hoc est, non ad eum finem, ad quem **DEVS** eas condiderat. Denique te accusabunt omnes illi, quibus tuo prauo exemplo vel consilio occasionem peccandi dederis, vel causam aliquam dederis, vt damnarentur. O quot peccata occulta, de quibus tu,  
qui

qui largæ eras conscientiæ, nunquã cogitãras, nec suspicionem habueras, illo puncto in apertum erumpent & contra te insurgent. Beati, qui illo die deprehendent se laudabiliter vitæ suæ tempus cõsumpsisse in diuino seruitio; aut si peccatores aliquando fuerint, solliciti fuerunt vt in gratiam redirent cum aduersario, acculando seipsos, pœnitentiæque & caritatis operibus debi- *Matth. 5.*  
 tum omne quod apud Deum contraxerant, exsoluendo: à talibus enim tunc alia ratio non exigetur; nec accusatoribus eorum locus dabitur, quia in solidum Deo fecerunt satis, eiusque gratiæ sunt restituti. Vnde *si Deus fue-* *Rom. 8.*  
*rit pro illis, quis contra illos?* nec ergo aliud supererit, quam vt ab ipso iudice tanquam serui boni, & dispensatores fideles, laudentur & remuneren- *Matth. 25*  
 tur.

7. CONSIDERA, quomodo perspecta & examinata causa, cum aliud non restaret, quam ferri sententiam, Rex cæli, & iudex æternus, vti ad misericordiam magis procliuus est quã ad iustitiam, plus ad remunerandum, quam ad puniendum, ad dextrum latus versus electos conuersus, vultu prorsus amabili & sereno, voceque dul-

cissima illos vocabit, dicens: *venite benedicti*. in quem, non videntes, credidistis, quem tanta pietate quæsiuistis, in quem semper sperastis, quem toto corde amastis. Vos, qui pro fide mea, eiusque confessione in mundo tam dura & acerba tolerastis. Vos qui socij mei in tērationibus & tribulationibus fuistis, venite nunc à labore ad requiem, ab ignominia ad gloriam, à morte ad vitam. Venite benedicti Patris mei, à quo præuenti benedictionibus dulcedi vis, ab æterno fuistis prædestinati, & suis gratiæ participes facti, possidete regnum ab initio mundi vobis paratum. O vox immensæ lætitiæ, & iucunditatis æternæ, non dicit, accipite, sed, *possidete regnum*, velut illud, quod ratione hæreditatis filijs debetur. Nec dicit, quod modo vobis est præparatum, sed quod ab origine mundi. O admiranda liberalitas & bonitas Domini nostri erga suos electos: nam, vt Apostolus dicit, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, atque huc vsque paratum habet præmium, ad quod nos elegit & prædestinauit. Deinde subiunxit Dominus opera, ob quæ remuneratus est suos electos, dicens. *Esuriui, & dedistis mihi manducare &cæt.*

Vbi



Vbi considera, quàm benignus sit Dominus & quam paucis sit contentus: Nam & opera minima propter se facta, vt visitare infirmos, & incarceratos, adnumerat alijs, velut tanto præmio dignis, nempe regno cœlorum. Nam non dicit. Ego fui infirmus, & curastis me sanari, & incarceratum liberari: sed tātum dicit, *visitastis me; venistis ad me.* Ex alia parte iusti admirantes tantam remunerationem & liberalitatem Domini, ei respondebunt; *Domine quando te vidimus esurientem,* &c. O sanctorum humilitas, quæ ne post mortem quidem potest deficere. Vide quomodo electi reputantes se tanta laude indignos, quodammodo eam repellunt, atque si tantum honorem non promeruissent. Verum respōdebitur eis. *Amē dico vobis, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* O fœlicia & illustria caritatis opera, quibus tam grande & copiosum præmium præparatum est. Quis ergo non studeat aut desideret omnibus viribus benefacere fratribus CHRISTI? Heu cur ergo in hoc mundo refugi- mus pauperes? imò cur non potius omni sollicitudine eos quærimus, si tantorum bonorum nobis sunt auctores?

Iam quanto gaudio & lætitia gestient iusti, quando in omnium angelorum præsentia Dominus fatebitur se in sua persona accepisse, quicquid eius amore hominibus fecerint? Et vide mirabilem bonitatem huius Domini, quod qui inter homines sunt minimi, dignetur vocare fratres suos. O dulcissime IESU, dum adhuc versarere in terra humilis & contemptus, mirum non erat homines à te vocari fratres, quia similiter cum illis eras passibilis & mortalis: sed mirum est, te cum tanta Maiestate & potestate venientem, adhuc appellare fratres, qui loco magni honoris ducerent si vel serui tui appellarentur. Heu inter homines ita fit, quando quis ex humili & vili conditione forte ad aliquem dignitatis gradum prouehitur, vt cum pudeat inopiæ parentum, nec velit eorum filius nominari; at tu Deus noster, in maiestate ipsa sedens, gloriaris etiam eos, qui inter homines infimi sunt, appellare fratres tuos. Verum ô bone Domine, si hi sunt fratres tui, cur sunt minimi; cur humiles, pauperes, & abiecti? cur tibi illi imprimis placent, cur pro fratribus selegis eos, qui mundo non sunt cogniti? Tales erant tui Apo-  
stoli,

stoli, ad quos extendens manus dixisti.

*Qui fecerit voluntatem patris mei qui in Matth. 18. calis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* Et tales sunt, quorum mundo conculcato, amorem tuum, & diuinorum præceptorum tuorum obedientiam omnibus alijs rebus præferunt. Quis ergo erit, qui illo tempore non millies benedicat illas lacrymas, illas afflictiones, omnesque labores quos in hac vita sustinuit propter CHRISTVM? quia videbit se beneficio illorum ad tantam felicitatem peruenisse? O quomodo electi, vti fas est credere, videntes se ad tantam gloriam euectos, obstupescant, & dicent. Vnde nobis tantum bonum? non eramus digni, vt eissemus serui, & ecce sumus facti filij Dei hæredes & cohæredes filij eius vnigeniti. O Deus meus, *Hic vix, hic seculum, vt Rom. 8. in æternum parcas.* Veniant in me flammæ, gladij, paupertas, infirmitas, contumeliæ & omnes huius mundi aduersitates: modo ego in illo die merear obtinere veniam, & tam felici cætui annumerari. *August.*

8. POST hæc conuerte oculos mentis tuæ ad obscuram & infelicem turbam reproborum, & cogita quo animi sensu, quanto dolore & cruciatu in-

tuebūtur illū iustorū chorū à Deo tan-  
 toperè honoratum & exaltatum intra-  
 re in domū Domini sui. Legimus de E-  
 sau, qui gulę explēdæ vitio iacturam fe-  
 cit primogenituræ, vendēs eā pro vilif-  
 simi leguminis edulio, cū videret postea  
 fratrē minorē Iacobi iure primogenitu-  
 ræ paternæ benedictionis factū hæredē.  
 intelligeretq; nullā sibi esse reliquam,  
 sero errore cognito, cum magno cla-  
 more & eiulatu suā forem deplorasse.  
 Nō secus reprobī, simulatq; aduerterint  
 iustos cælestiū benedictionū à Deo cō-  
 sortes factos, quæ illis quoq; cōtingere  
 poterāt, simulq; meminerint se pro re-  
 bus tā vilib. in hoc mūdo amatis tanta  
 excidisse fælitate & gloria, incipiēt ipsi  
 quoq;, quādoquidē nullus amplius lo-  
 cū erit penitētię, dolere & plāgere, ple-  
 niq; inuidia, ex subita mutatiōe attoni-  
 ti lachrymabiles illas voces Sapiētiæ e-  
 dere; *Hi sunt quos habuimus aliquādo in  
 derisum, & in similitudinem improprij.  
 Nos insensati vitam illorū aestimabamus  
 insaniā, & finem illorum sine honore; ec-  
 ce quomodo cōputati sunt inter filios Dei,  
 & inter Sanctos fors illorum est. Ergo er-  
 rauimus à via veritatis, & iustitia lumē  
 non luxit nobis, & sol intelligentiæ nō est  
 ortus nobis. Lassati sumus in via iniqui-  
 tatis et perditionis, et ambulauimus vias*

Gen. 35.

Heb. 12.

Gen. 27.

Sap. 5.

difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitia, ū iactantia quid profuit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquā nuntius præcurrens, & tanquā auis qua transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius; sic & nos nati continuo defuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostēdere, in malignitate autē nostrā cōsumpti sumus. Deinde cælestis ille rex & supremus Iudex, post electos suos tam copiosa mercede remuneratos, ac si amplius factorem peccatorum sustinere non posset, truculento vultu in sinistrum latus conuerso terribilem illam fulminabit sententiam. *Discedite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius* O dura discessio, ô maledictio expauescēda, O æternitas tremenda. Non dubium, quin vox illa *Discedite à me*, plus exustura & excruciatu sit damnatos, quā ipse inferni ignis, quia acerbior, & crudelior est, quā emitti posset in vllam creaturā. Hoc enim discessu & separatione significatur sempiterna summi boni priuatio, in quo ceu in fonte omnia bona cōtinentur. *Discedite maledicti*, quia dū rogarem vos, vt reciperetis meam bene-

dictionem, illam repudiastis. Habete ergo loco illius, sed culpa vestra, æternam maledictionem. O sententia amara, & lacrymarum fonte plangenda, à qua nemo poterit appellare. nam *ipse est Rex regum, & Dominus dominantium*: qui nec precibus, nec alia re vlla adduci poterit, ut latam reuocet sententiam: ipse enim **CHRISTVS** dixit. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Vbi considera, eum non dicere reprobis *Discedite maledicti à Patre meo*, sicut dixit electis, *Venite benedicti Patris mei.* Deus enim autor est solius benedictionis; maledictionem autem ipsi homines suis operib. sibi adfiscient: de Deo siquidẽ scriptum est, quod *mortem non fecit, nec latatur in perditione viuorum: impij verò manibus & verbis illam accerserunt.* Verum quo Domine hos miseros & infortunatos abijcies & amandabis? *In ignem æternum.* O supplicium horribile, o cruciatus inexplicabilis: quod enim refrigerium, quam spem vnquam poterunt habere, qui viuis sempiterni ignis flammis continenter exuruntur & assantur? *Quis poterit, inquit Propheta, habitare de vobis cum igne deuorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

2, Tim. 6.

Apo, 17.

Matt. 24.

Sap. 1.

Esa. 33.

nis? Subiungit deinde Dominus. *Qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Primum dixit Christus regnum fuisse præparatum electis ab origine mundi: ignem verò non dicit præparatum hominibus, sed dæmoni, ac si diceret. Ego præparavi pro vobis regnum, sed non ignem. hunc autem paravi diabolo tantum eiusque sequacibus angelis malis: in quem vos ipsos, inita peruersis operibus cum diabolo societate, præcipitastis. O extimescenda & formidabilis sententia: quid enim in foelicius excogitari potest, quàm diuelli & depelli à CHRISTO vnico nostro bono? quæ res calamitosior & intolerabilior, quàm semper ardere & torqueri in tartareis flammis? Quid verò horribilius, quàm perpetuum habere socium & tortorem ipsum Satanam capitalissimū nostrum hostem? Hic cogita, quomodo mox post pronunciam finale sententiæ, terra immenso hiatus patefacta, infernus dilatando os suum vno momento omnes illos miseros & infaustos peccatores sit absorpturus. O sors infornata. O stulti filij hominum, qui pro breui & vili voluptatula, tam diuturna & acerba paratis vobis tormenta. O quā amarus illa hora vobis videbitur omni-

672 **MEDITAT. DE VITA**  
nium illecebrarum mundanarum fru-  
ctus qui nunc videtur suavis, quàm va-  
na erunt omnia huius vitæ gaudia, quæ  
tunc perpetuum adferent luctum & cru-  
cium.

**COLLOQVIVM.**

*Psal. 142.*

*Psal. 129.*

**O** Dulcissime & clementissime Do-  
mine, ne intres, quæso, in iudicium  
cum seruo tuo, quia nō iustificabitur, in  
consp:ctu tuo omnis homo, si enim ini-  
quitates nostras obseruaueris Domine,  
quis sustinebit? Quare precor te, mihi ve  
gratiam largiri velis, quoniam cum tan-  
ta potestate & maiestate mundum es iu-  
dicaturus, vt semper in cordis mei auri-  
bus terribilis illa tuba resonet, atque et-  
iam horrida illa vox. *Surgite mortui, ve-  
nite ad iudicium;* vt sancto timore tuo  
tactus, breui hoc vitæ meæ tempore, ita  
instituiam vitam meam, exercendis bo-  
nis operib. maximè misericordiæ tã spi-  
ritualis quàm corporalis in proximos,  
vt securus apparere possim corā tuo tri-  
bunali: mei que aduersarij, nihil illo die  
habeāt, in quo me accusare possint. Ad-  
hæc dignare, rogo, animam meam con-  
signare caractere tuæ sanctæ crucis,  
quo soles tuos electos, vt, quando velut  
Pastor bonus separationem illam extre-  
mam ouium ab hœdis facies, me in nu-



mero tuarum ouium ad dextram collo  
cādarum habeas , vt cum alijs particeps  
fiam tuæ benedictionis.

## DOCUMENTA.

1 **S**I consideremus, quā arctam & ac-  
curatā vita nostra rationem redditu-  
ri simus in tremendo illo iudicio, magnā  
trepidandi causam habemus, & nos ipsos  
colligendi: nam quantumcumq; iusti vi-  
deamur, tamen iustissimo iudici non dee-  
rit quod iudicet & reprehendat in nobis;  
cuius oculi, vt dicebat ille S. Iob, non sunt  
carnei, vt videat tantum qua homines  
vident, sed intuitu suo penetrāt etiam in  
tima humanorum cordium. Certè si San-  
ctissimus Apostolus, qui raptus fuit in ter-  
tium cœlum, scripsit, licet nullius sibi con-  
sciūssus esset, in hoc tamen non sibi videri ius-  
tificatum & securum, eo quod à Domino  
iudicandus esset; qua ratione pote-  
rimus securi esse nos, qui sumus pleni  
peccatis?

2. **CHRISTVS** in iudicio tantum facit  
mentionem operum misericordie, non  
quod iusti alijs operibus pijs vita aeterna  
meritorijs nō vacassent; sed quia Deo hac  
virtus tā grata est, vt voluerit eā hoc mo-  
do honorare, ac si pro illa sola premiura

*Vita aeterna daretur* Quamquam rarum est, hominem aliquem verè esse misericordem, & non esse alijs quoq; virtutibus praditum: si verò peccator sit, nõ patietur eum Deus diu in peccatorum sordibus habere, sed gratiam suam illi dabit, ut desertis peccatis salutem tandem consequatur, secundum illud Christi: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur.

3. *Christus sub operibus misericordiae corporalibus, pro quibus remunerabitur bonos, voluit quoq; comprehendere spiritualia, ut quibus copia non est faciendi elemosynam corporalem, faciant saltem spiritualem, ut eodem premio potiãtur.* Is autem spiritualiter prabet cibum & potum Christo esurienti & sitienti, qui sua doctrina, piaq; institutione erudit rudes & ignorantes, eisq; viam veritatis & iustitiae ostendit. Secundò, is vestit & cooperit nudum Christum, qui sua exhortatione peccatorem diuina gratia nudatum cõuertit, & iuuat ut virtutibus Christianis induatur, de quibus Apostolus, Induite vos, inquit, sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, &c. Tertio ille colligit & hospitio excipit peregrinum Christũ, qui per pœnitentiam, ceterasq; virtutes

Mat. 5.

Col. 3.

parat animam suam ad recipiendum in ea Christum, ante per peccatum aliquod ab ea abalienatum. Ille denique, visitat Dominum infirmum vel in carceratum, qui suis commotionibus, vel reprehensionibus, conatur consolari, vel adiuuare eos, qui ob tribulationem vel tentationem aliquam sunt infirmi Spiritu, aut propter peccatum adhuc sunt in demonis seruitute. Quae opera spiritalia caritatis hoc sunt perfectiora, & maiori premio apud Dominum digniora, quanto anima est praestantior corpore.

4. Christus extremo illo die inferenda sententia nullam rationem habebit, aut nobilitatis generis, aut dignitatis persona aut diuitiarum, aut alicuius alterius rei huius mundi, sed tantum virtuti & sanctitati praeuium attribuet. Vnde discimus, nullum illo die praesidium fore, aut indignitate status, aut fauore & beneuolentia Principum virorum, ne quis ad ista respiciat, sed tantum in pietatis cultu & bonorum operum exercitatione: hac enim sola & fauorem apud Deum conciliant, & mercedem promerentur. Similiter qui hoc in mundo contemnuntur & affliguntur ab impijs, magnam habent causam exultandi, quia si patienter tolerauerint contumelias & ludibria, ceteris omnibus in illo die anteponentur.

5. Chri-

5. *Christus cum reprobos vocasset maledictos, rationem subiecit. Esuriui enim, & nō dedistis mihi manducare. Vnde intelligimus, in extremo iudicio homines nō solū cōdēnandos ob patrata mala opera, sed etiam ob pratermissa bona, quæ poterant & debebant facere, secundum illud dictum ipsius Christi, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Quare nemo sibi imponat nec solo nomine Christiani se securum existimet, vel satis esse arbitretur, non furari non occidere hominem, vel alia peccata omittere: si enim non vacauerit quoq; bonis operibus, atq; imprimis caritatis in proximum, eandem sententiam habet expectare cum illis, quibus dictum est. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*

Matth. 3.

6. *Ex alia parte ex terribili pœna, quæ Christus animaduertit in reprobos, quod bona opera nō fecerint, colligimus, quàm grauius castigandi sint, qui non solum bona opera pratermiserunt sed multa quoq; mala perpetrarunt: si enim detrudendus in ignem est, qui de pane suo nihil communicauit pauperibus, quid fiet illi, qui sustulit alienum? Et si tanta pœna reus est, qui nudum non vestiuit, quam merebitur, qui alios spoliauit? Rursum, si demon-*

vum societate dignus est, qui hospitem in  
damnum suam non excepit, quid illo fu-  
turum est, qui eundem domo sua ex-  
pellit? deniq; si carceri inferni addicetur,  
qui non visitat incarceratos & infirmos  
quo loco dignus erit, qui levi ex causa ali-  
os in vincula compegerit, crudelisq; & in-  
humanus in proximum fuerit?



# DE POENIS DAMNATO- RVM.

## MEDITATIO XXIV. EVANGELIVM.

**I**BVNT hi in supplicium æter- *Mat. 23.*  
num.

### PROPHETIÆ.

**Q**uis novit potestatem ira tua, & pra *Psal. 89.*  
timore tuo iram tuam dinumerare?

Tu Deus deduces eos in puteum inter- *Psal. 54.*  
itus.

Sicut oves in inferno positi sunt, mors *Psal. 48.*  
depaſcet eos.

Pluet super peccatores laqueos: ignis et *Psal. 10.*  
sulphur, & spiritus procellarum pars cali-  
cis eorum.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum in *Psal. 5.*  
malitia eorum disperdet eos. 2. Con-

*Isa. 33.*

2. *Concipientes ardorem parturietis stipulam: spiritus vester, ut ignis vorabit vos, & erunt populi quasi de incendio cinis, spina congregata igni comburente.*

*Ibid.*

*Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardore sempiterni?*

*Isa. 66.*

*Videbunt cadauera viuorum, qui prauaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad sacietatem visionis omni carni.*

*Job. 10.*

*Dimitte me, ut plagam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam, & operatam mortis caligine, terram miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

*Job. 4.*

*Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium & usque ad inferos peccatum illius.*

*Eccl. 7.*

*Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.*

*Eccl. 22.*

*Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebra, & poena.*

Do-

*Dominus omnipotens iudicabit iniquos, in die iudicij visitabit eos, dabit ignem & vermes in carnem ipsorum, ut urantur, & sentiant usq; in sempiternum.* Iudib. 26.

## CONSIDERATIONES.

**P**roprium infinitæ sapientiæ & iustitiæ Dei est, cuique rei congruentem & accommodatum locum tribuere. Sicut ergo angelis cæterisque electis attribuit locum totius mundi altissimum, nobilissimum & splendidissimum, nempe cælum Empyreum, sic contra peccatoribus & reprobis, uti ob peccati sceditatem sunt omnibus alijs creaturis viliores & abominabiliores, relictus est locus profundissimus, tenebrosissimus, & immundissimus: qui non est, quàm terræ centrum, locus ob amplitudinem & profunditatem horribilissimus, de quo Propheta his verbis locutus est, *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; ullo termino.* In hoc infœlici loco, aliud non inuenitur, nisi tenebræ palpabiles, fœtor intolerabilis, ardor incomparabilis, dolores & pœnæ incredibiles. Hunc describens sanctissimus Iob, appellat terram tenebrosam & opertam mortis caligine, quam sempiternus horror inhabitat. De eodem si-

Punct. 2.  
Esa 5.  
Iob. 10.  
mi-

militer loquens Propheta Esaias, ait torreates eius conuertēdos in picem, & humum in sulphur, & terram in picem ardentem noctu diuq̄, & fumum eius ascensurum in sempiternum. Valde autē conueniens fuit, locum illum, qui debebat esse domicilium Principis tenebrarum, & sentina, in quam sordes omnium scelerum, totius mundi foetores & putes confluere, totus esset caliginosus, sordidus & odoris teterrimi. Hic ergo in hoc puteo profundissimo, in hac ciuitate horroris plenissima, quæ voracibus ardet flammis, in qua non aliud resonat, quàm eiulatus, gemitus, suspiria, & clamores horreni, tum eorum qui torquentur damnatorum, tum dæmonum torquentium, agent illi infœlices & miseri peccatores, vt dixit Propheta, *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* In faustæ oues, macello inferni destinatæ, dentibus mortis obiectæ, æternæ & immortali agoni obnoxia, vt nunquam mori possint. sicut enim mors ipsa nunquam mori potest nunquam satiabitur his pascuis, nunquam in hoc officio de lassabitur, sed semper habebit, quod depascatur, vt semper erunt, qui excrucientur. Vos ergo qui vitam traducitis in tantis delitijs, qui amatis splendida palatia, amœnos hor-



vos, opiperas mensas, pretiosa vestimenta, in mollissimis nobilissimisque lectis cubatis: vos qui nullam, ne minimam quidem æquo animo ferre potestis molestiam, nullum, licet exiguum fumum vel insuauem odorem, in domo vestra toleratis, quid facietis, si contingat vos infœlici sorte conijci in illam ardentissimam fornacem, pice & sulphure bullientem, vbi à tetrīs vermibus, & immanibus serpentibus perpetuo arrodemini, & consumemini, idque nullo fine & termino?

3. **CONSIDERA**, licet pœnæ inferni ferè sint innumerabiles, ad duo tamen præcipua capita omnes reuocari: Pœnam scilicet damni & sensus. Pœna damni aliud non est, quàm perpetua beatæ visionis Dei, & fœlicis consortij Sanctorum priuatio Pœna autem sensus est, quæ excruciat corpus & sensus damnatorum, vti est pœna ignis, & aliæ externæ. Hæc duo genera pœnarum, respondent duplici inordinationi quæ est in peccato. Prior est, contemptus Dei, homo enim commisso peccato mortali, primo auertit se à Deo: cui inordinationi respondet pœna damni. nam cōgruens erat, vt quoniam homo prius Deū deseruerat à Deo

à Deo quoque semper defereretur. Posterior inordinatio est, amor creaturæ, homo enim peccando ideo se auertit à Deo, quia nimium addictus est creaturæ: & huic respondet pœna sensus: vt sicut sensus contra Dei voluntatem oblectauit se in creaturis, sic etiam ab ipsis creaturis affligatur, & prauæ voluntatis culpam exsoluat. Considera ergo primò, quàm grauis sit pœna damni, quia longissimè cæteras pœnas excedit, vt si, teste S. Chrysostomo, mille inferni iungerentur, non tantum cruciatum animæ sint illaturi, ac sola ista æterna separatio à Deo creatore; & si extrinsecus neque igne, neque alio vllò genere supplicij afficeretur, hæc sola omnium tormentorum locum suppleret. Terribilia verè sunt inferni supplicia, sed omnem terrorem & supplicij grauitatem superat, esse exturbatum illa gloria, in æternum beata Dei visionis esse destitutum, ac omnibus bonis, quæ diligentibus se præparauerat esse exclusum. O quantum cruciatum sentit anima, dum animaduertit omnipotentem DEVM sibi factum inimicum, dumque videt se à misericordissimo Redemptore repulsam passam, atque ex eiusdem ore cogitur audire amarissimum illud verbum

bum. Vade, non noui te, ac mox in faciem ei occluditur ianua. Adhæc expende quantus dolor & furor sit futurus reproborum, cùm in generalis iudicij die primo loco viderint euocari electos ad regnum cœlorum, eosque cum tanta gloria euehi ad æternorum gaudiorum tabernacula, quibus ipsi, quia nullam eorum rationem habuerunt, in omnem æternitatem spoliabuntur.

Nec mirum est, tantopere animam damnatorum hac æternorum bonorum priuatione excruciarì, quia vt summa hominis foelicitas sita est in contemplantando & perfruendo Deo, summo & infinito bono, sic priuari diuina illa fruitione est summum damnum, & summa miseria. Præterea sicut maxima, & formidabilissima huius mundi pœna est mors, ob diuulsionem, quæ in illa fit, animæ à corpore, cui illa & vitam & alia bona impertiebat: sic cùm Deus quodammodo sit anima nostræ animæ, cui ipse largitur veram & æternam vitam, & in quo consistit omne eius bonum & solatium, quando seiuncta à corpore aliqua sua culpa à conjunctione Dei sui ultimi finis vetæque vitæ impeditur, etiam ad tempus breue, lethali & intolerabili quasi cruciatu

affligitur. Jam verò cogita, quanta pœna, quantum tormentum ei futurum sit, in æternum fœlici illa vniõne priuari, neq; enim aliud id erit, quàm continenter in acerbissima lucta mortis imò æternæ mortis versari, & tamen nunquam facere finē moriendi. Atque hæc pœna licet communis sit omnibus damnatis, tamen grauior illis erit, qui facilius aditum habere potuerunt ad obtinendam vitam æternam, vt Christianis, alijsq; quibus Euangelium prædicatum est, vel aliquam Christi notitiam habuerunt, & sigillatim hominibus cultui diuino dedicatis, qui vt plus alijs hoc tantum bonum quasi in manibus habuerunt, sic durius ob illud amissum affligentur.

3. **POST** damni pœnam, considera magnitudinem & atrocitatem reliquarum inferni pœnarum: nam sicut **DEVS** in hac vita tanta clementia & misericordia vtitur in peccatores, & tot diebus, mensibus, annis, infinita quadam patientia præstolatur eorum emendationem, eorumque lapsus dissimulat: sic post hanc vitam incredibili seueritate & asperitate effundet iram suam in impios & in-

gratos, qui tantam eius clementiam respuerunt, & vt loquitur Apostolus, filium Dei conculcauerunt, ac sanguinem Christi pollutum duxerunt, nec non spiritum gratiæ suis peccatis contumelia affecerunt, rursus suis manibus filiū altissimi crucifigentes. Tunc ergo Deus post diuturnum silentium instar mulieris parturientis vociferabitur, eosque grauissimis atrocissimisque pœnis castigabit. Quarum prima erit, Inferni ignis, ignis terribilis & pertimescendus, cuius, vt scribunt Doctores, tantus tamque efficax ardor est, vt ignis noster, quantūlibet maximus, respectu illius sit quasi pictus. Adhæc tam penetrabilis est & vorax, vt non corpora tantū, sed etiam animas natura spirituales, & simul ipsos dæmones, qui sunt spiritus, affligat & excruciet. Ignis verè horrendus & mortalissimus ignis, qui non lucet ad conciliandam consolationem ijs qui eo torquentur, sed ad augendam potius eorum pœnam, vt nempe dānati carnifices suos videant, & quicquid potest illis maiorem cruciatum adferre. In hoc igne nunc peccatorum animæ torquentur, donec in generali hominum resurrectione deuo suis sœcidis & miseris corporibus,

vnà cum illis excrucianďæ, coniungantur: vt, sicut fuerunt socij in culpa, sic detrusi in huic ignem, fiant etiam socij in pœna: quæ hoc erit horribilior, quod ignis ille ita in æternum eos excruciaturus sit, vt tamen nunquam absumantur: ita exusturus, vt nunquam moriantur. Hic cogita, quis lectus mortalis ille sit futurus. quæ angustia, qui dolores & tormenta ibi subeunda sint. Vbi imaginari potes, si quis ad horam tantum manum immitteret in fornacem liquefacti æris bullientis, quam intolerabilem ille cruciatum sit persensurus, maxime si illa manus nunquam consumeretur, sed integra remaneret in tam terribili igne. Deinde, si quis totum brachium eidem fornaci immitteret, multo acerbior pœna existeret: & incomparabiliter maior, si vtrumque brachium. Iam verò, si idem toto corpore nudus immergeretur in illud metallum colliquefactum, & posset viuus vno die sustinere tam immane supplicium, non dubium quin si omnes aliæ pœnæ totius mundi simul ad vnum corpus excrucandum adhiberentur, hæc tamen illas omnes sit excessura. Expende ergo quanta pœna sit futura infœlicium damnatorum  
qui

qui ab illa beata patria extorres, non iam vnum diem, non annum, non centum, nec mille annos, sed per multa annorum millia, imò in omnem æternitatem, non modò in vna corporis parte, sed in omnibus partibus corporis & animi, in illis ardentissimis flammis, in illis teterrimis tenebris sine vlla spe intuendi lucem vel minimũ refrigerium impetrandi, torquebuntur, vbi crudelissimi illi tortores finem nullum torquendi facient, nec qui torquebuntur finem facient viuendi, vel moriendi. Vnde miseri illi ob grauitatem acerbissimamq; pœnarum optabunt & quærent quidem mortem & interitum, sed non inuenient. Deniq; sicut scriptum est *q̄ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus dil: gentibus se*, sic contra verè dici potest, nec oculum vidisse, nec aures audisse, nec in cor hominis ascendisse, qualia & quanta supplicia à Deo parata sint offendentibus se.

4. CONSIDERA deinde varietatem tormentorum pœnarumq; inferni: nam præter eas, quæ sunt communes omnibus, vt est pœna damni, quilibet damnatorum habebit suam

propriam & peculiarem pœnam, secundum diuersitatem peccatorum & vitiorum: imò sicut in quoque peccato mortali sunt variæ, & multæ deformitates & inordinationes culpam aggrauantes, sic pro vno eodemque peccato multæ & variæ pœnæ sunt sustinendæ: atque ita ignis ille infernalis vnumquemque plus minusue discruciat, quo plus minusue promeruerit, conuenienter illi dicto Apocalypseos, *Quantum glorificauit se, & in delictis fuit*, tantum date illi tormentum & luctum: Præter incendium ignis, erit illi quoque pœna omnino illi contraria, nempe, acutissimi durissimi que frigoris; quo in miseris illis miserandus quidam tremor & stridor dentium excitabitur. Sic, vt alternantibus subinde tormentis, nunc ardentibus flammis, nunc gelidissima glacie torqueantur. Ad hæc reproborum corpora affligentur à serpentibus ignitis, & à vermibus foedissimis, qui virulentis aculeis arrodent miseros illos vsque ad intima cordis penetralia, secundum illud scripturæ, *Dominus omnipotens dabit vermes in carnes eorum.*

*Judith. 16.*

Præterea in damnatis quilibet sensus, peculiari quadam pœna affligetur. Et



primò quidem odoratus, sentiet intolerabilem loci illius foetorem, tum quia ignis inferni erit sulphureus, tum quia tot putrida damnatorum corpora grauius foetebunt, quàm quæuis carnes putrefactæ. Deinde & oculi mirè torquebuntur aspectu monstrorum infernalium, quæ horrida sua specie continenter eos perterrefacient: nec minus affligentur aspectu aliorum damnatorum, cum cernent corpora eorum tam esse foeda, tota exusta, & continuo incendio quasi ignita. Sed & fumo ac tenebris palpabilibus vexabuntur, ipseque ad eò ignis infernalis suo aspectu adferet nouam & intolerabilem poenam dånatis. Exagitabuntur quoque intentissima furiosissimaque fame & siti, ex vehementissimo ardore qui intus & foris continenter eos consumet & exsiccabit. Vnde legimus linguã diuis epulonis in igne illo ardentissima siti tam vehementer fuisse excruciatam, vt etiam atque etiam vnã tantum aquæ guttulam expeteret, nec obtinere posset. Gustus etiam eorum lethali quadam amaritudine, abominabiliq; & deterriimo sapore erit infectus, vnde Dominus dixit per Prophetã. *Ecce ego* Luc. 16.  
*cibabo eos absynthio, & potabo eos felle.* Ier. 23.

Adhæc cogita, nec miserabiles aures à peculiari suo tormento immunes futuras: nihil enim aliud vnquam audient: nisi planctus, vlulatus, stridores, gemitus, & blasphemias. Dehinc, sicut peccator toto corpore, tota anima, omnibus membris & potentijs offendit Deum, sic exigente ita diuina iustitia, in illis omnibus, & maximè in ijs quibus grauius deliquerit, punietur. Omnibus his sensuum tormentis adiuuctum est aliud non inferius illis, nempe, societas pestilentissima draconum illorum infernalium iugiter mordentium & deuorantium: malignorum istorum & diabolicorum spirituum, qui instar ferocium carnificum perpetuo eos dilacerent, ac denique tot aliorum damnatorum execrandorum & horribilium, qui societate sua, se magisvt carbo carboni iunctus, accendunt & excruciant, ac ob lethale odium & inuidiam quo se mutuo infectantur, maledictis & contumelijs infinitis rabidorum canū instar, se inuicem mordent & dilaniant. O infœlix sodalitas, in qua quilibet gaudet de alterius supplicio & malo, illudque potius augere quàm minuere conatur. Omitto iam infinitos alios modos, quibus tartarei  
illi

illi tortores, sint exagitaturi damnatos de quibus ipse potes cogitare. nec enim illis ingenium deest ad novos modos torquendi continuo excogitandos, aut vires, vt illos re ipsa exequantur. qui tanto erunt atrociores, & immitiores, quanto infestioris odio in genus humanum feruntur, atque etiam in ipsum Deum, contra quē cum nihil possint, conabuntur oēm rabiē in imaginem ipsius Dei, nempe homines peccatores exerere.

5. **CONSIDERA**, quomodo supra modum accrescet afflictio & pœna damnatorum, quando intelligent, nullū vnquam tormentorum illorum fore terminum, nullā alleuiationem vel imminutionem. nam quicumque annorum terminus, quantumuis remotissimus, si tamen ad eum aliquādo perueniri posset, nonnullum illis afferret solatium: sed heu *in inferno nulla est redemptio*: postquam enim per innumeras annorum myriades in inferno arserint, perinde illis erit, ac si iam inciperent. Nec immerito, quia diuinæ iustitiæ cōgruens erat, nullum facere finem puniendis ijs, qui dum viuerent, nullum fecerunt finem peccandi; & vt in inferno nunquam sine supplicio essent illi, qui in mundo nunquam voluerūt esse sine

peccato; imò si fieri potuisset, voluerunt in æternum viuere, vt sine fine possent peccare. Vnde **DEVS** qui non solum respicit in opera externa, sed examinat quoque voluntates & corda hominum], voluit infinito tempore cruciari illos, qui in infinitum, si licuisset, voluerunt se oblectare. Accedit, quod peccatum mortale, quia est offensa infinitæ Maiestatis & bonitatis **DEI**, merito possit vocari infinitum, & dignum infinita pœna, non iam quoad acerbitatem, quia creatura, cùm sit finita, non est illius capax, sed quoad temporis durationem. Hoc ergo summum tormentum est, quod grauissimè excruciat infœlices repro bos, nempe scire, pœnam suam pari passu currere cum ipso Deo. Itaque quamdiu **DEVS** viuet, tam diu isti morituri sunt: atque ita malum eorum nullum habebit solatium, quia pœna eorum nullum habebit exitum. In laboribus & ærumnis huius vitæ licet grauissimis, semper reliqua est occasio aliqua sperandi; saltem finem & exitum, quia morte omnia finiuntur. Sed in hoc vno malo, ita occlusæ sunt omnes consolationis viæ, vt miseri nullam, neque de cœlo, neque à terra, nec

ex vlla mundi parte, spem remedij auer-  
tenda vel etiam minuendæ suæ ærum-  
næ habeant, sed in totum ianua oēs  
venia, misericordiæ, omniūque alio-  
rum bonorum sunt illis obturatæ. Heu  
si considerasti aliquando infirmum  
magno aliquo dolore morbi obrutū,  
vidisti, scilicet, quemadmodum ex in-  
tolerabili cruciatu clamet, lamentetur,  
& nunc in hanc, nunc in illam lecti  
partem impatiens se voluet, quantæ  
eius sint angustia, quàm longæ illi  
sint oēs horæ, quanto desiderio præ-  
stoletur remedium. Certè si tam exi-  
guus morbus tanti fit, & habetur gra-  
uis & intolerabilis, quanto intolerabi-  
lius erit, obrui illo immenso incendio,  
in flammis illis deuorantibus, & ardo-  
r bus sempiternis torreris, totoque cor-  
pore, & animo, intus, & foris, in nume-  
ris & inexplicabilibus doloribus, sine  
vlla spe allevationis vel refrigerij, di-  
uexari. Quare illis idem eueniet,  
quod alto mari submersis, qui flu-  
ctibus obruti frustra nunc huc, nunc  
illuc manus iactant, quia nihil in-  
ueniunt in quo illas figere possint;  
nam quocunque illas extendant, nihil  
inueniunt præter vndas maris. Haud  
secus infortunati illi, quando delapsi

erunt in illud omnium miseriarum pelagus, cum morte luctaturi, quocumque se conuerterint ad auxilium aliquod vel refrigerium obtinendum, nihil inuenient nisi infinitum suppliciorum mare, sine spe ulla attingendi fundum, & multo minus perueniendi ad littus. O mors immortalis, ô mortifera immortalitas. Heu, si nullus homo inuenitur, qui pro delitijs, opibus & regnis omnibus mundi consequendis, velit uno die nudus ignem fornacis ardentis sustinere; qua fronte tam multi audent peccare & Deum grauius offendere, cum sciant se ob quodcumque peccatum mortale addicendos, inferni tormētis, non dico, diem vnum, sed in sæcula sæculorum, anima & corpore, idque in illa fornace ardentissima? O quanta est nostri cordis cœcitas, quantæ mentis tenebræ, pro breui gaudio temporali perdere æterna gaudia, & pro modica sensuum oblectatione ardere in ignibus sempiternis?

9. O insensati filij hominum, qui in hac caduca vita annos vestros consumitis in voluptatibus, gaudijs, & commodis huius corporis mortalis sectandis, quid illa hora vobis proderunt tantæ opes accumulatae, tot honores  
 con-

conquisiti, tot recreationes, quibus ad breue tempus, vti estis? Ecce hæc omnia vno momento abibunt in fumum, ac si nunquam fuissent, & deprehendetis vos in voraginem inferni præcipites actos, vt ibi sempiterno eiulatu & cruciatu ista omnia compensetis. O quam breuis prosperitas, quam exigua gaudia, post quæ sequitur dolor & infelicitas nunquam terminanda. O infelices & luctuosæ delitiæ, & illecebræ mundi huius, O infortunata vicissitudo Quomodo quisque vestrum, & merito, amare tunc lacrymabitur & lamentabitur, dicens, Væ mihi, quod vnquam natus sim. ecce quomodo improuiso sum præuentus à morte deceptrice, & ab vna morte ad aliam longe acerbio-rem transij. O me infortunatum, qui, cum tantam opportunitatem & occasionem haberem æternis bonis potius di, totum me orio & nugis dedidi; & quæ id temporis vno calice aquæ frigidæ, exiguæque & breui labore poteram acquirere, iam æternis lacrymis, & durissimis poenis non possum recupera-re. O quomodo perijt tempus illud, nunquam rediturum, O me cæcum & miserum, qui me ipse ita decepi. Male-dictus sit, qui mihi autor horum fuit,

696 **MEDITAT. DE VITA**

Job. 3.
 qui mihi adblāditus est, & cum me corrigere debuisset, prauā meam vitā dissimulauit. Maledictū lac, quo nutritus sum, & panis quem comedi, & vita quā vixi. Pereat dies, qua natus sum, & nox qua sum conceptus, dies ille conuertatur in tenebras. Nullam illius rationē Deus habeat, nec radijs solis illustretur. Obscurēt eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Heu quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero matris non statim perij? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus, cur non potius passi sunt me interire? Hæc erunt lamenta, & perpetuæ cantilenæ illorum infortunatorum, qui tandem videntes non superesse remedium in pœnis, cū crudeli quadam desperatione ad horā malorum auctores conuersi, alius in alium rabie sua grassabuntur. Filij maledicēt Patribus, quod ipsos non punierint, vel absterruerint à viijs cum possent: & patres contra maledicent filijs, quia ab studium congerendarum pro ipsis opum, aliorum q̄; commodorum, cultum diuinum neglexerint. Frater maledicet fratri, & amicus amico, quod socij & comites fuerint in malis perpetrandis, & alter alterum non de-



terruerit. Mater maledicet filiæ, quod maiorem habens curam ornandi corporis eius quàm animæ ad vanitatem & superbiam, non ad timorem Dei & deuotionem eam instruxerit. Contra filia maledicet matri, quod sibi exemplum vanitatis & impudiciæ dederit. Conuertent quoque nunc linguas suas maledictas in Deum, quod constituerit vt homines pro peccatis suis ita ex-cruciarentur, & horrendis ac inauditis blasphemijs & contumelijs eum lacessent & eirabunt. Denique ira ac furore in in seipfos conuersa vnguibus dentibusque rabiosè carnes suas discerpēt, & linguas eorum mordebunt. Atque hæc est perpetua & infructuosa pœnitentia quam in inferno agent, qui dum in viuis essent, agere illam noluerunt, hic est ille acerbus fructus, quem peccatores ex breui & modica huius mundi voluptatula sunt collecturi. Ergo anima mea huius tanti periculi conscia, audi & suscipe, nunc dum tempus est, dū labores tui coniuncti sunt cū lucro, dum lacrymæ tuæ sunt acceptæ, dū opera satisfactori, dū bonis operib, obtineri à Deo potest misericordia, illud salutare cōsiliū à Deo per Prophetā datam his verbis. *Date Domino Deo vestro* *lere 26.*  
*glo.*

*gloriã, antequam contenebrescat; & antequã offendant pedes vestri ad mōtes caliginosos: expectabit is lucẽ, & ponet eã in umbram mortis, & in caliginem* Conemur ergo nunc præteritos errores nostros corrigere, & vitam Christiano homine dignam instituire: & si tibi videtur graue esse pauperem; grauius longè erit in æternum gutta aquæ indigere, & non recipere. Si verecundaris in humili statu versari, & hominibus te submittere: multo magis cogita verecundaturos & pudefaciendos reprobos, quando coram toto mundo sempiterno exponentur opprobrio & ludibrio. Si arduum est continentem castamque vitam agere, multo difficilius & grauius erit ignibus torteri sempiternis? Si deniq; tibi durum videtur nunc aliquid pati, & exiguã pro peccatis pœnitentiam agere, multo durius & intolerabilius erit, sine fructu æternis & infinitis cruciari tormentis iufèrni.

### COLLOQVIVM.

**O** Dulcissime & clementissime Domine, quot modis sum tuæ diuinæ maiestati obstrictus? quantas debeo gratias? quod, cum ego peccatis meis  
 sæpe-

sæpenumero æternam meruerim da-  
 mnationē, tu tamen bonus meus Deus  
 nunquam permiseris me in illas extre-  
 mas labi miseras, sed per tuam immen-  
 sam pietatem & misericordiam ha-  
 ctenus toleraueris, & adhuc me expe-  
 ctas, & præbes tempus, vt possim me e-  
 mendare & poenitentiam agere pro cul-  
 pis in tuam Maiestatem commissis. Pre-  
 cor te mi Domine, quia de te scriptum *Tob. 3.*  
 est, quod non delecteris perditione vi- *Ezec 33.*  
 uorum, nec velis mortem peccatoris,  
 sed vt conuertatur & viuat, confige san-  
 cto timore tuo carnes meas, vt si quan-  
 do contingat diuinum amorem tuum,  
 ob nimiam duritiem & frigus cordis  
 mei non esse sufficientem ad abstrahē-  
 dum me à malis, vt minimum æterna-  
 rum poenarum timor & horror me re-  
 trahat, meque exstimulet ad instituen-  
 dam vitæ emendationem, & ad man-  
 datorum diuinorum viam maiori stu-  
 dio & feruore emetiendam, vt in mor-  
 te anima mea non veniat in manus ini-  
 micorum, sed tuæ gratiæ ope ab An-  
 gelis ad cælestem patriam deportetur,  
 quo, sicut semper in te credidit & spe-  
 rauit, ita non æternas poenas, sed sem-  
 piterna gaudia consequatur & possi-  
 deat.

700 MEDITAT. DE VITA  
DOCUMENTA.

1. **A**it Euangeliū. Ibunt hi in ignem æternum, nimirum, quibus dixit Christus. Esurivi, & nō dedistis mihi māducare, &c. Sicut contra iussi sunt ire in vitam æternam, quibus prius dictū erat, Esurivi, et dedistis mihi manducare. Unde colligere possumus, si optamus quodāmodo certi reddi in hac vita, qua fors nobis sit in altera vita obuentura, num scilicet simus socij eorum futurique ibunt in ignem æternum, an eorum qui in vitam æternam, debere nos consulere nos ipsos, conscientiamq; nostram excutere, an tales nos prestemus erga pauperes Christi, ut possit nobis nunc dici. Esurui, & dedistis mihi manducare, &c. qua sequitur, an verò reformidemus, ne contrarium potius de nobis dici queat. Ex hoc examine ergo quilibet poterit de se statuere, qua sententia dignus sit extremo illo die futurus.

2. Multas utilitates afferre potest consideratio panarū inferni. Speciatim quatuor. Prima est, quia cōsideratio gravitatis earū quas in altera vita patimur pro peccatis hic cōmissis facit ut prōptius laborē & asperitatē pœnitētia, & pariter omnes tribulationes, quas Dominus ob peccata nobis immittit, amplectamur.

Quæ

Qua pœnitentia tanta leuior apparebit, quanto hæc omnes corporales & temporales afflictiones, comparatione panarũ quas promeruimus, re vera sunt leuiores & breuiiores multisq; cõsolationib; referia, quas Dominus solet cõmunicare omnib; qui in simili genere operũ bonorum se exercent.

3. Altera utilitas est, quia hæc cõsideratio plurimum iuuat ad vincendas omnes tentationes, dũ mox atq; se offert scẽda aliqua cogitatio, aut prauum desiderium, memoria & horrore illius ignis perpetuo ardentis apud inferos, conamur extinguere flammam libidinis, vel aliterius inordinati affectus, antequam ijs cor nostrum accendatur: neq; enim dubium est, si ante consensum in peccatum vel commissionem peccati, paululum ex animo perpenderet homo, quàm duro momentaneũ & exiguum oblectamentũ sui luendum supplicio, nequaquam sineret se ab illa tentatione vinci, nec pro vlla remũdi induci ad Dominum offendendum.

4. Tertia utilitas est, q; hæc cõsideratio inserat cordib; nostris timorẽ Dei, qui est initiũ Sapientie, & ducat hominẽ ad caritatem: atq; ita videmus, quando hic timor ingreditur animã peccatricẽ, totũ ab eo commoueri & paulatim preparari ad deserendũ & peccatũ, & renocãdam  
Dei

Dei gratiam. Illis quoque, qui iam in gratia Dei sunt, timor idem est loco frangi, quod retrahuntur ab omnibus peccandi occasionibus, & multo magis à quouis peccato, eo quod miserabili mercede in altera vita, nempe aeterna morte, compensetur. Et ideo dicit sapiens, beatum esse hominem, qui semper est pauidus.

**Prover. 28.**

7. Quarta utilitas huius considerationis est, quod vehementer cor nostrum igne divini amoris accendat: nam si quisque nostrum perpendat, quot nunc illis pœnis infernalibus excrucientur, qui forte unum tantum peccatum mortale commiserunt; quot item ibi torqueantur, pro lege leuioribus & paucioribus peccatis, quàm fuerint nostris, ac denique quoties ipsi de peccatis, & forte grauioribus, tantam penam promeriti sumus, nec tamè permiserit Dominus nos in misero illo statu, in quo iam alij sunt, versari, sed potius pro summa sua clemètia & misericordia usque in presentem diem nos cõseruauit & tolerarit, magnam profecto habemus causam, dum videmus nos ab eo tantopere amari, & tam benignè tractari, eum vicissim redamandi gratiamque ei referendi, ac verò etiã operam dandi, ut in posterum maiore studio eum colamus, & diligentissimè caueamus, ne peccato aliquo grauiore eum amplius offendamus.



DE GLORIA  
BEATORVM.

MEDITATIO XXV.

EVANGELIVM.

IUSTI autem ibunt in vitam æ- *Matt. 25.*  
ternam.

PROPHETIÆ.

GLORIOSA dicta sunt de te ciuitas *Psal. 88.*  
Dei.

Gloria & diuitiæ in domo eius. *Psal. 119.*

Quam dilecta tabernacula tua Domi *Psal. 83.*  
ne virtutum, concupiscit & deficit ani-  
ma mea in atrijs domini.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti, *Psa. 64.*  
inhabitabit in atrijs tuis.

Beati qui habitant in domo tua Do- *Psal. 83.*  
mine, in saculo seculorum laudabunt te. *Psal. 149.*

Exultabunt sancti in gloria, latibun-  
tur in cubilibus suis. Exultationes Dei in  
gutturibus eorum.

Inebriabuntur ab ubertate domus tua, *Psa. 35.*  
& torrente voluptatis tue potabis eos.

Quo-

Quoniam apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen.

Psal. 64.

Replebimur in bonis domus tua, sanctū est templum tuum, mirabile in aequitate.

Isa. 33.

2. Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, &c. iste in excelsis habitabit, enunimēta saxorū sublimitatio eius, panis ei datus, est, aqua eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cerent terram de longe.

Ibid.

Videbunt Hierusalem habitationem opulentā, habitaculum, quod nunquam transferri poterit, nec auferentur tlaui eius in sempiternū, et omnes funiculi eius non rumpentur, quia solummodo ibi magnificans est Dominus noster.

Isa. 34.

Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super alitudinē terra, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.

Isa. 35.

Et redempti à Domino conuertentur, & venient in Syon cum laude & lætitia sempiterna. super capita eorum gaudium, & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.

Isa. 63.

Ecce enim creo calos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum, in his qua ego creo: quia ecce ego creo Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium.



9. Qui docti fuerunt fulgebunt quasi *Dan. 12.*  
 splendor firmamenti, & qui ad iustitiam  
 erudiunt multos, quasi stellæ in perpetua  
 as æternitates

4. Iusti in perpetuum uiuent, & apud *Sap. 5.*  
 Dominū est merces eorum, & cogitatio  
 eorum apud altissimum. Ideo capient re-  
 gnum decoris & diademā à specie de ma-  
 nu domini, quoniam dextera sua teget  
 eos, & in brachio sancto suo defendet eos.

## CONSIDERATIONES.

**D**EVS beatissimus, infinita illa bo- *Punct. 1.*  
 nitas & caritas, cuius proprium est  
 se communicare, sui que copiam fa-  
 cere alijs, volens se, non solum illa fe-  
 licissima & ineffabili communiatio-  
 ne, qua Pater internè totum se com-  
 municat filio, idem que cum filio com-  
 municat se Spiritui sancto, sed etiam  
 extra communicare creaturis, vtramque  
 naturam, ab initio condidit, corporalem *Gen. 1.*  
 & spirituales, visibilem & inuisibilem,  
 Angelum & hominem, ac simul pro  
 vtrorumque, cōseruatione loca conueni-  
 entia fecit, cælum videlicet supremum  
 pro Angelis, hunc verò mundum infe-  
 riorem pro hominibus; sicut & pro alijs  
 naturis inferioribus alia loca, vt aerem  
 pro

pro auibus, aquam pro piscibus, terram pro bestijs, atque etiam pro homine, donec vitam ageret animalem, creauit. Cælum enim supremum creauit Deus nõ pro solis angelis, sed etiam pro hominibus beatis, qui in gloria erunt similes angelis Dei. Hoc est illud cælum cælorum, de quo scriptum est. *Calũ cæli Domino, terram autem dedit filijs hominũ* Cælum cælorum dicitur; nam vt hi cæli visibiles complectuntur intra se terram, sic inuisibile & fœlix illud cælum, complectitur hos nostros spectabiles cœ'os: itaque non modo supereminet sep. em planetarum in cælis, sed etiam octauo stellato, & nono crySTALLINO, & decimo, quod est primum mobile. sic vt beatitudinis locus, sit vndecimum, à sanctis dictum EmPYREUM, id est, igneum, non quod calorẽ, sed splendorem ignis habeat. Hoc simulatque creatum est, completum est angelis, qui etsi, vt spiritus purissimi, non opus habeant loco corporeo, quo circũscribantur, tamen quia sunt naturæ finitæ, atque ideo non possunt esse vbique, quod proprium est solius Dei, debuerunt loco aliquo ipsorum naturæ congruenti contineri, qui non est alius, quam locus gloriæ, nempe cælum EmPYREUM,

*Psal. 113.*

pyreum, natura suo lucidissimum, subtilissimum & immobile: Lucidum est, quia est locus angelorum lucis, & hominum Sanctorum, de quibus scriptum est, quod *fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. Deinde, si infimum mundi corpus, Terra, est totum opacum & tenebrosum, consequitur summum eiusdem corpus debere esse lucidum & splendidum. Adhæc cælum hoc est subtile quia est domicilium angelorum, qui sunt incorporei, & hominum beatorum, quorum corpora dote subtilitatis erunt ornata. Denique est immobile, quia est sedes beatorum; beatitudini autem debetur requies, cum sit omnium laborum & motuum terminus. Considera deinde huius cæli excellentiam, si enim spectemus situm, non potest esse nobilior: videmus enim quod corpus aliud alio est sublimius, hoc etiam esse nobilius, atque ideo aqua nobilior est terra, quia translucet, & aer aqua quia subtilis est, & ignis aere, quia lucidior, & cæli mobiles igne, quia incorruptibiles, ac denique supremum cælum, quod omnibus supereminet, nobilius & pulchrius est omnibus reliquis. Multo autem præstantior & excellentior eius nobilitas redditur, ex eo,

*Ier. 23.**3. Reg. 8.*

quod sit sedes Dei: nam licet ille ob suam immensitatem loco aliquo comprehendi non possit, quia de eo scriptum est *Caelum & terram ego impleo, & calidiorum te capere non possunt*, tamen principaliter dicitur esse in caelo, & habitare in illo, quia Deus qui in se est incomprehensibilis, ibi clarius se manifestat, & cognoscendum praebet, atque etiam excellentius divina sua opera exercet, nam in caelis perfectius relucet potentiae, sapientiae & bonitatis diuinæ magnitudo. Potentiae quidem, in amplitudine & firmitate caelorum. Sapientiae in ordine & conuenientia motuum; bonitatis in gubernatione & conseruatione creaturarum: Nam licet **D E V S** ex omnibus locis sua beneficia impertiat, tamen è caelis longe clarius & vberiore copia illa subministrat. Denique praestantia & pulchritudo huius caeli inde liquet, quia Deus voluit in eo esse Sanctorum omnium domicilium. Etenim si Dominus, tam bellam & elegantem voluit esse hanc partem mundi infimam, hanc lachrymarum vallem, ornans eam tanta creaturarum varietate, idque duntaxat pro habitatione bestiarum & hominum, tam amicorum, quam inimicorum, qui hic velut peregrini, & in misero degunt exilio.

ilio, quanto pulchriores & præstantiores cogitare debemus esse sedes regias palatij illius cælestis, quod Deus angelis, carissimisque suis amicis præparauit, quibus in illo luco specialius suam gloriam & pulchritudinē patefacit. Si talis est sedes exilij, qualis erit illa patriæ? Si eiusmodi delitiæ, tantaque venustas inuenitur in terra morientium, cuiusmodi erunt terræ viuentium? O terra fœlix, ô beata patria. Hæc illa est patria, illa sancta ciuitas, quam angelus *Apo. 21.* ostendit Euangelistæ Ioanni descendentem de cælo, luce clarissima splendentem, cuius muri & fundamenta ex gemmis pretiosissimis erant fabricata, plateæ auro puro cõstratæ, quæ nec Sole, nec Luna opus habebat, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est ægnus. O quàm admirabiles, quàm speciosæ, quàm desiderabiles Domine virtutum, sunt huius ciuitatis tuæ habitationes. Quam desiderat anima mea peccatrix habitare in ea. Domine, inquit Propheta, *Psal. 83.* dilexi decorem domus tue, & locū habitationis gloria tua. Beati, qui digni erant semper eam inhabitare: ibi enim perfectè, & videbunt & degustabunt quam suavis sit Dominus, quã magna multitudo dulcedinis,

quam immensa magnitudo eius gloriæ: ibi videbunt regem gloriæ in propria specie, & perfectissima caritate amabunt, & in æternum collaudabunt. Quam fœlix esses tu quoq; anima mea, si tibi licuisset pretiosos muros huius cœlestis ciuitatis conspicere, portas eius lucidas ingredi, ambulare in plateis aureis, eiusque Maiestatem, gloriam, beatitudinem & pulchritudinem diuinam contemplari.

2. **CONSIDERA**, nobilem illum & gloriosum triumphum, quando Rex cœlorum, post vindictam peractam de omnibus aduersarijs, de illis impijs, qui dixerāt, *Nolumus hūc regnare super nos*, post subactum imperio suo totū orbem terrarum, cum victore exercitu in cœleste regnum suum contendet. Vbi primò obserua huius triumphi ordinē, in quo primum locum tenebunt fulgentes & gloriosi angelicorū spirituū chori, ingenti iubilo & pompa decantantes lætum canticum, *Gloria in excelsis Deo nostro*, & pax, non iam amplius, in terra, sed in cœlo, hominibus bonę voluntatis. Hos proximè sequentur honoratæ illæ acies veterum Patrum SS. Patriarcharum & Prophetarū, lætis vocibus & ipsæ accinentes, instar clangentium  
tuba:

LUC. 19.

LUC 2,

tubarum, quas Ioannes in suis reuelationib. audiit resonantes in hæc verba.

*Halleluia laus & gloria, & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta sūt iudicia eius.* *Apo. 19.*

Proximus his erit nobilissimus ille Domini nostri præcursor Ioānes baptista, qui ineffabili quodā gaudio exultās omnibus demonstrabit ipsum Dominum, sibi vicinū, dicēs, *Ecce agnus Dei,*

*Ioan. 1.*

ecce qui tollit peccata mūdi. Post illum immediatè succedet Rex gloriæ, magnus ille triumphator mundi, mortis, & diaboli, in cuius latere & vestimentis scriptum erit *Rex regū, & Dominus*

*Apo. 19.*

*dominātium* cuius dexteram tenebit cęlorum regina in veste ex auro mundis-

*Psal. 44.*

simo textā, & varijs virtutū cęlestium floribus variegata. Latus huius cęlestis

Regis stipabit gloriosus S. Apostolorū chorus: stolis sacerdotalibus ornatus.

Vtrinque visere erit, varias acies, alias fortissimorum Martyrum, alias prudē-

tium Virginum, alias sanctorum confessorum. Omnes autē erunt ornati pretiosis sertis, & bellis coronis, nunc pur-

pureis, nunc candidis, alijs que varij coloris florib. contextis: omnes quoq; gestabunt victrices palmas in manibus, &

elata voce clamabūt: *Dignus est agnus,*

*Apo. 5.*

*qui occisus est, accipere virtutē & diuini-*

712. **MEDITAT. DE VITA**  
*tatē, & sapientiā & fortitudinem, & ho-*  
*norem, & gloriā & benedictionē. Ad ex-*  
*tremum sequetur multitudo ingens,*  
*cuius numerus iniri non poterit, ex o-*  
*mnī genere hominū, nationū, popu-*  
*lorum, & linguarū, candidissimis stolis*  
*amicta. & palmæ in manibus eius: &*  
*clamabant voce magna dicentes. Salus*  
*Deo nostro, qui sedet super thronū & a-*  
*gno. Et alij respōdentes dicēt, Amē bene-*  
*dictio & claritas, & sapiētia, & gratiarū*  
*actio, honor, virtus, & fortitudo Deo no-*  
*stro in secula seculorum, Amen. Itaq; si-*  
*cut Reges & Imperatores in suis trium-*  
*phis solent ad maiorem suam gloriam*  
*ante currū triumphalē, magnam turbā*  
*hominum bello captorū deducere: ita*  
*Christus verus Imperator, & triumphator*  
*mūdi huius adducet secum glorio-*  
*sam Sanctorum multitudinem, quos*  
*facto bello captos à misera tyrannide*  
*dæmonis, potestate mortis & seruitute*  
*peccati liberavit. O fortunati captiui,*  
*qui dum vestra culpa essetis serui, hu-*  
*ius magni Domini beneficio estis fa-*  
*cti liberi, & eius filij. Beati qui digni*  
*fuerint interesse huic cęlesti triumpho.*  
*O anima mea, vtinam aliquando Do-*  
*minus pro sua bonitate & misericor-*  
*dia tibi largiatur gratiā, vt tu licet indi-*



gna, nō dico cōparere possis in nobilissimo illo Sanctorum hominū cętu, sed tantum sub sacris illorū pedibus non nihil attollere caput, & vno solo momento dulcia illa cantica exaudire, & cęlestes melodias, ac pulcherrimum illud iucundissimumque spectaculum contueri; quam felix esses, quam libenter tu quoque totam te laudibus diuinis concinendis occupares?

3. CONSIDERA ex alia parte, quam læto sinu illa cęlestis Hierusalem recipiet illos, qui ex tam periculoso conflictu redibunt victores & tropheis onusti. Vide, quanta, in ipso beatę exoptatęque patrię ingressu, humanitate, quibus amplexibus suscipiantur, qua harmonia, diuinaque melodia inter cęlestium spirituum choros, honorentur, alijs spargentibus super eos cęlestes flores, alijs rosas, alijs lilia & odoriferas corollas. O quanta erit iubilatio, quantum gaudium Angelorum, dum videbunt suas ruinas instauratas: & pariter hominum beatorum, cum cernent se similes & socios factos angelorum. Iam verò, vt magnus ille triumphator vna cum glorioso exercitu ad thronum paternę glorię peruenerit, ibi tanquā caput nostrum, & primogenitus in

multis fratribus, offeret & commendabit æterno Patri illam nobilem suorum electorum turbam, iisdem verbis, quibus vsus est existens adhuc in terris. Ecce pater illos quos dedisti mihi, custodiri, & nemo ex ijs perijt. Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi vt sint vnū, sicut & nos, & sicut tu pater in me, & ego in te, ita & ipsi in nolis vnū sint. Ecce Pater mi illos quos ab æterno elegisti & prædestinati vt essent conformes imagini meæ, quos in tuos filios adoptasti, & meos in regno cælesti cohæredes. Hic est fructus sublimis meæ crucis, quem tot sudoribus & laboribus è terra collegi, & ad salutem perduxi vsq; ad cœlum. Hos Pater mi, quos dedisti mihi, cupio mecum remanere, vbicunq; ego fuero, vt videant & fruantur claritate quam dedisti mihi; optoque vt caritas qua tu me amasti sit quoque in omnibus illis, & ego pariter in ipsis. Ex alia parte considera, quomodo Pater æternus excipiendo & amplexando infinita caritate suum filium cõstituturus sit eum ad suam dexteram, eiq; traditurus, vtî Propheta vidit in admiranda illa visione, potestatem, honorem, & regnum, vt omnes populi, tribus & linguæ illi seruiant.

Ioan. 17.

Rom. 8.

Esa. 4.

Dan. 7.

Cuius potestas erit æterna, & regnum eius non habebit finem: Tunc resonabunt voces, quas S. Iohannes audiuit, quasi tubæ magnæ, & quasi voces aquarum multarum, & maxime voces tonitruorum dicentium. Halleluia, *Quoniam recognovit Dominus Deus noster omnipotēs. Gaudeamus & exaltemus, et demus gloriā ei, quia venerūt nuptia agni, & uxor eius præparauit se.* Deinde considera Patrem misericordiarum, & omnis cōsolationis, quam paterno beneuolōq; affectu cōplētens omnes suos electos, suisque diuinis manibus abstergens lacrymas ab oculis eorum, dulcissimo ore suo omnibus præbeat oculus summæ & æternæ pacis, *que exuperat omnē sensum,* humanum & angelicum. *Ap. 19. Ap. 7. Philip. 4.*

4. CONSIDERA illam æternam & prælautam cœnam, quam Deus electis suis parauit in cœlo, de qua scriptum est: *Ap. 19.* Beati qui ad cœnam nuptiarū agni uocati sunt, Ad hanc cœnam, & ad has felices nuptias æternus Pater per suam infinitam misericordiam uocabit & inuitabit omnes. Unigenitus uero eius filius cælestis sponsus pro sua immensa caritate, abundanter hanc cœnam instruet *Luc. 15. Psa. 22.* ferculis, vituli saginati, panis uitæ, & uino illo, quod amore animas inebriat.

In hac cæna deniq; Spiritus sanctus suæ  
 suauitatis & dulcedinis vbertate præ-  
 parabit & cõdiet cibos omnes. Rectissi-  
 mè autem appellatur cæna, non pran-  
 dium, quia est vltima electorum refe-  
 ctio, post quàm nulla alia superest, Spe-  
 ciatim autem dicitur cæna agni, id est,  
 CHRISTI Domini nostri; de quo dixit  
 S. Iohãnes, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit  
 peccata mundi*; quia ille per passionem  
 suã & mortẽ meruit nobis resurrectio-  
 nis gloriam, & fælici cæna dignos red-  
 didit. Ac rectè dicitur cæna nuptiarum  
 agni, nam tunc in cælesti illo conuiuio,  
 sponsa, quæ est Ecclesia sancta, consum-  
 mata quadam caritate cum vnigenito  
 Dei filio perfectè desponsabitur, eiq;ue  
 insperabili ter copulabitur: O cæna re-  
 gia, vereq; diuina, in qua tam frequens  
 inuenietur numerus conuiuiarum no-  
 bilissimorum, pulcherrimorum, sapiẽ-  
 tissimorum, vnaque voluntate & per-  
 fectissimo amore inter se deuincto-  
 rum, Huic mensæ assidebunt Angeli,  
 archangeli, principatus, potestates, vir-  
 tutes, dominationes, throni, Cherubi-  
 ni, Seraphini; Adhęc omnes Patriarchę  
 & Prophetæ, Apostoli, Martyres, Con-  
 fessores, Virgines cū omnibus alijs san-  
 ctis. In hac cæna Christus Dominus no-  
 ster,

ster, ceu caput & sponsus Ecclesiæ triūphantis, & velut summus Sacerdos, qui Deū pacificauit cum hominib. principem locum tenebit, & inuitabit electos suos his beneuolis verbis. *Comedite amici, & inebriamini carissimi.* Diuidet ipse cibos, & in cōuiuas distribuet, secundū illud q̄ alibi dixit. *Faciet illos discipulere, & trāsies ministrabit illis.* Ipse quoque, & tāquā Deus, & tāquā homo, erit cibus, & lautissimū ferculū, quo oēs reficientur, vnde alicubi dixit. *Si quis per me introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Proxima à Christo sedebit beatissima, dignissimaque eius mater, angelorū, omniūque Sanctorum regina: postquā alij sancti suo ordine, iuxta dignitatem, gradū & magnitudinem meritorū consequentur. In hac felicissima caena beatorum mētes cælesti illo manna copiosissimè reficientur & satiabuntur, quod omne habet delectamentum & suauitatem saporis: deinde & explebuntur multitudine diuinarum deliciarum, quas Dominus reconditas tenuit, & seruauit timentibus se, ac denique omnium illarum voluptatum cælestium torrente inebriabuntur, de quibus scriptum est, *Quod oculus nō vidit, nec auris*

Coloss. 1.

Cant. 1.

Luc. 12.

Ioan. 10.

Sap. 16.

Ps 35.

*audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ  
preparauit Deus ijs qui diligunt illum.*

1. Cor. 2.

5. CONSIDERA deinde in specie opes & exuberantes delitias illius cœlestis mēſæ: in quamcumq; enim partem beati se conuertent, omninò inuenient multas & nouas occasiones infinitæ oblectationis spiritualis & pacis, quia tot erunt dapes in illo diuino conuiuio, quod considerationes fieri poterunt à sanctis, vel de Deo, vel de seipsis, vel omnibus alijs rebus, quæ extra ipsos, vel sub ipsis fuerint. Et primò, quod attinet ad res sub ipsis constitutas, cogita quanta lætitia gestient, cum videbunt se saluos emerſiſſe ex periculosi huius mundi naufragio, quod tam pauci euadunt, & ad tantæ securitatis portum appuliſſe: vbi coniectis oculis in nauigationes præteritæ curſum, in mentem venient, & tempeſtates quas experti ſunt, & ſyrtes ac carybdes, quas præteruecti ſunt, & tot hoſtium, diuerſarumq; tentationũ pericula, à quibus Dõmini ſui beneficio ſunt liberati. Exultabunt quoque ſe iam in ſtatu tam ſecuro verſari, in quo neq; amplius peccare, nec Deum offendere, nec magnum gloriæ bonũ, quod nũc poſſidēt amittere poſſunt. ô quãto  
gau-

gaudio eorum corda implebuntur, quando videbunt tot peccata, omni hora committi in mundo, tot animas dilapsas & indes dilabi in tartara, & se ex tanta hominum perditorum multitudine voluntate diuina in numerum electorum, & eorum quibus tam scelix fors contingeret, relatos. O quantum pro hoc beneficio recepto collaudabunt Dominum, quam lætis vocibus eum benedicent, dicentes cum Propheta: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in* Psalm. 123:  
*captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Quando vero beati oculos mentis attollent ad considerationem rerum supra ipsos existentium, ad contemplandam incomprehensibilem Deitatem, illam diuinam essentiam, perpende quam inexplicabili cum gaudio & voluptate coniunctum erit, clarè videre à facie ad faciem Deum illum tam admirabilem, exemplar illud & fontem omnis pulchritudinis, omnis gloriæ, omnis puritatis & splendoris. Ad hæc in illo speculo infinitæ sapientiæ contemplari ordinem & ornatum mundi, omniūq; rerū creatarū; & simul omnem veritatem, multaq; arcana mysteria, quæ nunquā vel homo audiuit, vel

Humano ingenio comprehendi potuerunt, perspicere, quæ omnia beatis illis animis incredibilem quandam & ineffabilem pacem conciliabunt. Præter ea cogita, quantus simul stupor & gaudium eorum erit contemplari diuinissimum altissimumque mysterium beatissimæ Trinitatis: tunc enim clarissimè intelligent, qua ratione filius, verbum illud æternum à patre sit generatum, & quomodo Spiritus sanctus ab utroque Patre scilicet & filio processerit: ac rursus, quatenus diuinæ personæ istæ sint numero tres in vna eademque simplicissima essentia & substantia quomodo etiam diuinæ & beatissimæ personæ perpetuo se respiciant, & semper piterno amore vicissim se ament, ac infinita suauitate & fœlicitate suo mutuo conspectu gaudeant & perfruantur.

Hic in hoc abyssu diuinarum opum & perfectionum vera inuenietur requies, & explebitur totus intellectus nostri appetitus, quia videbit in conspectu suo esse quicquid poterit intelligere & capere. Hic quiescet quoque nostra voluntas, amando bonum infinitum, in quo consistunt omnia bona, & extra quòd nullum reperitur bonum. Hic denique cessabit omne cor-



dis nostri desiderium, quia nihil restabit quod desiderari vel optari amplius possit. Quare tanta erit voluptas, dulcedo, & pax illarum sanctarum animarum, ut totæ amore sui Creatoris inflammatae ex redundantem caritate sint absorbendæ & quasi transformandæ in ipsum DEVM, quem continenter amplexabuntur, & amabunt, nec unquam deinceps vel ab amore, vel à præsentia illius diuellentur.

6. POST contemplationem diuinæ essentiæ, quæ est, manna illud absconditum, ille cibus internus, quo pascuntur mentes beatorum, considera quantum gaudium & solatium extrinsecus se adiungat ex præsentia, suauisque conspectu humanitatis amabilissimi eorum redemptoris, dum summa lætitia perfundentur ob præclarissima dona gratiæ & gloriæ tam sacro illi corpori, quam sanctissimæ animæ communicata, quæ quo gloriosior est, eò excellentius, quam omnes sancti Deo perfrui-tur; tanto ampliorem gloriam & splendorem eidem suo corpori comunicat, sic ut lux suæ immensæ pulchritudinis, pulchritudo suæ clarissimæ lucis omnem pulchritudinem & claritatem excedat, non modò Solis & Lunæ, omniumque stellarum.

721 **MEDITAT. DE VITA**  
larum, sed omnium etiam corporum  
glorificatorum. Unde & eius visio, post  
illam beatificam Dei visionem, ele-  
ctis summum afferet gaudium & con-  
solationem si enim beati fuerunt oculi  
qui eum viderunt in terra adhuc mor-  
talem, quāto beatiores erunt, qui eum  
merebuntur videre gloriosum & triū-  
phantem in cœlo? Gaudebunt quoque  
electi excellentia & gloria humanæ na-  
turæ filij Dei, quod illius beneficio libe-  
rati sint ab æterna damnatione, multa-  
que dona & charismata gratiæ in hac  
vita sint consecuti, ac post eam beatitu-  
dinem æternam, qua tunc perfuen-  
tur. Ad hæc sigillatim materiam lætitię  
eadem humanitas CHRISTI submi-  
nistrabit ratione vnionis, quam habet  
cum persona diuina filij Dei, qua factū  
est, vt CHRISTVS non solum sit ve-  
rus homo, sed etiam verus DEVS, quæ  
est infinita quædam dignitas, quod est  
bonum maximū, nobilissimūque do-  
num, omnium bonorū donorumque  
quæ vlli vnquam naturæ etiam angeli-  
cæ concessa fuerunt. Quomodo ergo,  
cogitemus, exultabunt sancti in gloria,  
cū videbunt hominem vnū eadem  
natura secum constantem esse Creato-  
rem hominum? suamque carnem &  
san-

*LUC. 10.*

sanguinem sedere ad dexteram æterni Patris, & esse hypostasi vnū cum Creatore & Domino cœli & terræ? quanta lætitia offerentur inter Angelos, quando videbunt ipsorum Angelorum Dominum, omniumque aliarum rerum, non esse Angelum, sed hominem, suū fratrem & caput, se autem velut membra huius capitis exaltatos, & participes factos tantæ gloriæ & beatitudinis: sic vt homines nunc possint dicere confidenter ipsi Deo hæc sponsæ verba, *Quis Cant. 1.*  
*mihî det te fratrem meum sugentem vbera matris mee, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?*

2. POST visionē diuinæ essentiæ, & sacræ humanitatis filij Dei, omnes sancti in cœlo mirabiliter recreabuntur præsentia & conspectu gloriosissimæ Virginis Dei matris, de cuius gloria lætantur angeli, de cuius excellentia gloriantur homines, cuius vultus gratiosissimus lætificat totam illam supernam ciuitatem Dei. Maximum certè cœlestium ciuium gaudium esse debet videre beatā illā benedictāque matrem, non iā in terra humilis ancillæ instar geniculā tē ante præsepe, aut filiolum suū brachijs cōplectentē cū timore, ne ab aliquo tol-  
 la-

tanquam cœli reginam in summo cœ-  
 lo, supra omnes angelorum choros o-  
 mnesque sanctos eleuatam, corona du-  
 odecim lucidissimarum stellarum in ca-  
 pite ornatam, amictam Sole & Luna  
 sub pedibus eius, circumdatam vndiq;  
 rosis, lilijs, alijsque cœlestibus flosculis,  
 assidentem ad dexteram vnigeniti filij  
 sui, & per amoris teneritudinem dile-  
 cto suo innixam, securam que & certam  
 quod in æternum ab eo amplius diuel-  
 li non possit. Plurimum itaque beati e-  
 ius visione oblectabuntur; primo quia  
 omnes puras creaturas dignitate, sancti-  
 tate, pulchritudine & perfectione ante-  
 cessit; quæ enim pulchritudo vel sancti-  
 tas potuit desiderari in illa, quæ conce-  
 pit & peperit omnis pulchritudinis &  
 sanctitatis fontem? singulare quoque  
 gaudium beati habebunt in huius san-  
 ctissimæ Virginis conspectu, propter  
 multa magnaque beneficia ac dona,  
 cum gratiæ, tum gloriæ, quæ illius fa-  
 uore à Domino sunt consecuti. Dein-  
 de, quia peculiaris est sanctæ Ecclesiæ  
 aduocata, refugium peccatorum, con-  
 solatrix afflictorū, & misericordiæ ma-  
 ter, cuius beneficio tot in suis afflictio-  
 nibus & ærumnis sunt consolati, tot in  
 numerabiles peccatores adiuti sunt, ve  
 cœc.

*Apoc. 12.**Cant. 3.*

& cœno peccatorum emergerent, & tam-  
 dem vitam æternam consequerentur.  
 Denique gaudebunt, ob inæstimabi-  
 lem dignitatem & excellentiam, quod  
 electa sit in matrem vnigeniti filij Dei,  
 ob quam præminentiam & dignita-  
 tem quodammodo infinitam vniuer-  
 sa militiæ cœlestis curia singulariter ho-  
 norat, reueretur & admiratur. Qua de  
 re sigillatim illi sancti tanto amplius  
 effusiusque exultabunt, quanto in hac  
 vita impensius illi fuerint addicti, ar-  
 dentius dilexerint, coluerint, pluraque  
 beneficia eius fauore consecuti fuerint.

8. CONSIDERA deinde, quantum  
 gaudium, quanta consolatio accessura  
 sit beatis in cœlo, ex ijs rebus, quæ cir-  
 cum illos erunt; vt quando videbunt se  
 in tam numerosa & scœlici societate  
 versari, inter tot Angelorum choros,  
 totque reliquorum sanctorum exerci-  
 tus, qui omnes sole & stellis erunt splē-  
 didiores, cūm audient cœlestes hym-  
 nos, dulcissima illa cantica, illam ange-  
 licam melodiam, illas voces perpetua-  
 rum laudum lætissimas & iucundissi-  
 mas. Si vnus angeli conspectus, & per-  
 fecta cognitio, superat quantamcun-  
 que huius mundi lætitiā, quæ lætitiā  
 erit continenter intueri omnes totius

Paradisi Angelos eisdem, perfectè cognoscere, eorum dulcissima frui familiaritate, omniumque reliquorum sanctorum? Deinde quàm iucundum & delectabile erit ibidè conspicerè & alloqui omnes beatos Apostolos, Prophetas, Patriarchas, Martyres, Confessores, Virgines, omnesque alios sanctos vtriusque sexus, posse semper eorum conspectu frui, eorum commercio & familiaritate uti, beatitudinis & gloriæ vniuscuiusque participem fieri, gaudere bono & fœlicitate omnium? Nam in illa gloriosa ciuitate, vt dicit Propheeta, omnes participes fiunt bonorum à quolibet possessorum: sic vt vnusquisque beatus non minus particeps sit gloriæ & fœlicitatis omnium, quàm est particeps propriæ; idque proficiscitur ex summa caritate & vnione, qua inter se sunt deuincti: diligunt enim se mutuo amore quodam ardentissimo & perfectissimo. quo fit vt bona omnia eorum sint communia, gloriæque & beatitudo vnus, sit quoque omnium. His accedit summa quædam humilitas, quæ eo vsque inter eos eminet & regnat, vt quo quisque illustrior est in gloria, hoc maiorem humilitatem declarat, maioriq; beneuolentia se demit-

*Psal. 122.*

mittat aduersus infimos. Neque tantum iucunda hac societate, sed etiam gloriosorum corporum pulchritudine mirificè beati recreabuntur, quæ tam clara erunt & splendida, vt si omnis huius mundi pulchritudo in vnum cogatur, non possit vel vnus infimorum ciuium cœlestium pulchritudini æquari. Iam ergo cogita quanta oblectatio & iucunditas sit futura, intueri non dico omnium beatorum minimum; sed innumerabilem tantorum, tantaque gloria & pulchritudine excellentium sanctorum turbam, & in medio tam sancti nobilisque cœtus agere? Iam præter pulchritudinem, quãtam voluntatem afferet, conspiceretam numerosum exercitum, tam admirabilem & venustum ordinem; vnusquisque enim suum sibi locum & gradum gloriæ vendicabit, pro dignitate & magnitudine meritorum. atque hæ sunt cœlestes mansiones, de quibus Dominus dixit, *in domo Patris mei mansiones* Ioan. 14. *multa sunt*, indicans nimirum, secundum dissimilitudinẽ meritorum, fore quoque varietatem præmiorum. Denique non minorem oblectationem & recreationem conciliabit, cœlestium illarum personarum nobilitas & dignitas; omnes

enim

enim erunt Reges & Reginae, omnes filij & hæredes Dei, fratres & coheredes ipsius Christi, omnes sapientia pleni, omnes amici, & Creatoris familiares.

Quod verò gaudium, quod oblectamētum maius esse potest, quid iucundius optabiliusve, quàm non modò adesse, sed esse quoque inter ipsos cœlestes & nobilissimos ciues; atque esse non solū tam pulchrum, tam fulgidum & gloriosum, ac alij sunt, verumetiam participem pulchritudinis, gloriæ, cæterorum que bonorum & donorum cuiusque beati? O quàm gloriosa dicuntur de te ciuitas Dei, Beati qui te amant, & quærunt, atque eligentur, vt in tuis æternis habitaculis commorentur.

9. **CONSIDERA** tam ingentem & exuberantem fore fœlicitatem & gloriam electorum, vt quocunque se conuerterint, noua semper inæstimabilis gaudij & consolationis materia se sit oblatura. Etenim non tantum gaudebunt de rebus quæ sunt supra vel circū ipsos aut sub ipsis, aut etiam de rebus quæ sunt intrinsecus in ipsis, nimitum de omnibus excellentijs & perfectionibus tam animis quàm corporib. eorum communicatis. Cùm enim homo cōstet animo & corpore, quilibet beatus dupli-



ei frueretur *scelicitate & gloria, animæ scilicet & corporis, secundum illud Sapientis, Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Atque hæ vestes non aliud sunt, quàm duæ istæ stolæ, quarū vna, vt est in Apoc. nunc vestitæ sunt animæ Sanctorum in cœlo, altera verò vestientur post generalem resurrectionem corpora. Prior stola animæ consistit in tribus gloriosis dotibus, quæ pertinent ad præmium beatorum essentiali. quarum prima posita est in clara Dei visione, quæ fidei succedit, hoc est, notitiæ obscuræ, qualis haberi solet in hac vita. Secunda verò, in plena possessione, aut comprehensione ipsius Dei, quæ succedit spei. Tertia in fruitione, quæ spectat ad charitatem, quæ in hac vita incipit, & in altera perficitur. Posterior stola corporis consistit in quatuor dotibus, subtilitate, impassibilitate, agilitate, & claritate. Præter has gloriosas dotēs, nonnulli è beatis habebunt alia quædam præmia accidentaria, quæ vocamus Aureolas à DEO dandas in præmium excellentis & ardui alicuius operis boni, vt martyrij, virginitatis, institutionis & defensionis dogmatum Religionis Christianæ. Ex quib. aureolis in corporibus Sanctorum, singularis

Prov. 31.

Apoc. 6.

ris quædam lux, aliaque ornamenta elucebunt, quibus erunt longè alijs illustriores & honoratiores. Accedet ad hæc omnia gloria sensuum, quorum quisque sua singulari oblectatione perfruetur. Oculi enim erunt splendidiores Sole, gaudebuntque non solum aspectu gloriosorum corporum, sed etiam orbium cœlestium, campisque amœnissimis, & spatijs amplissimis cœli Empyreï. Aures deinde melodiam perpetuam, & cantica suauissima audient. Gustus ineffabili dulcedine, quæ omnium saporum suauitatē vincant, explebitur. Similiter reliqui sensus suis, suæque naturæ consentaneis rebus mirabiliter recreabuntur. Cogita hic quanta hæc animæ sanctæ inter tanta gaudia, pace, lætitia, & consolatione complebuntur: vbi intellectus rebus intelligendis, voluntas amandis, oculi contuendis, lingua laudibus dicendis, & gratijs creatori reddendis sine vlla satietate satiabuntur. Denique beati, quando conuerterint mentem in cogitationem æternitatis bonorum quibus fruuntur, vt quod fœlicitas nunquam exitū vllum sit habitura, sed duratura donec **DEVS** sit **DEVS**, in quandam consolationum abyssum, sen-

sentient se demergi, in qua nec fundum, nec finem suarum deliciarum inueniant.

10. O verè felices illos, qui ab hoc periculoso & seditioso mundo liberi, promeruerint peruenire ad te Deus meus, portum tranquillissimum, securissimumque: illos scilicet, qui è mari ad littus, ab exilio ad patriam, ex carcere ad regnum à te euocabuntur. O Regnum æternum, regnum omnium seculorum, vbi lux est nunquam deficiens, pax, quæ omnem sensum exsuperat, in quo animi sanctorum suauiter requiescunt, lætitia sempiterna circumdati, clarissimo splendore vestiti, & coronis cum gemmis pretiosissimis ornati. Hic omnes beata Dei visione, sanctorum angelorum consortio, & iucunda omnium sanctorum societate perfuuntur. Hic inuenitur vera lætitia sine tristitia; salus sine dolore: abundantia sine defectu; lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine vilo malo. Longe ab hac cœlesti regione abest omnis amaritudo, omnis pœna, omnis turbatio, omnis discordia: est verò in ea summa pax, plena & perfecta caritas, secura quies, continuum

*Philip. 4.*

*Esai. e. 35.*

*Psal. 20.*

gaudium cordis, laus Dei perpetua, & perpetua lætitia in Spiritu sancto, O fœlix iucunditas, ô iucunda fœlicitas, videre Deum semper à facie ad faciem, trahi Deo, viuere cum Deo & à Deo. Quid dulcius, quid optabilius ergo potest esse hæc beata & fœlicis vita? O verè gaudium Domini, gaudium excedens omne aliud gaudium, extra quod nequit esse verum gaudium. O vtinam mihi quoque fas sit ingredi in te, vt possim contemplari Deum meum, habitantem in te. Veni lux mea, redemptor meus, redime tandem animam meam ab hoc infœlicis carcere, vt tuum nomen sanctum collaudare possim.

*Ioan. 7.* O fons vitæ, ô vena aquarum viuentium, quæ dixisti, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, quando ab hac terra sterili & deserta, migrabo ad abundantissimas tuæ dulcedinis aquas, vt infinitam sitim meam possim tuæ misericordiæ liquore restinguere? Quando veniam, Domine, & apparebo ante faciem tuam? O anima mea quando tandem videbis diem tantæ lætitiæ & exultationis, in quo tibi dicatur, *Intra in gaudium Domini tui?* O gaudium sine mensura & termino. O domus plena

plena & exundans omni voluptate. Felices, qui a te sunt electi.

COLLOQVIUM.

**O** Dulcissime & clementissime Domine IESU CHRISTE, quis mihi dabit pēnas sicut columbæ, vt possim volare ad æterna tua tabernacula, & in ijs requiescere? transfige precor cor meum amoris tui sagitta, percutere hanc durissimam mentem meam forti diuinæ dilectionis tuæ iaculo, vt ex capite meo abundātiā aquarum, & ex oculis meis fōtes lachrymarum elicias, ob summum desiderium videndi tui, Dei mei, Regis mei, in propria pulchritudine tuā; vt noctu diuque, plangam sine vlla præsentis vitæ cōsolatione, donec merear contemplantur, dilectum meum, & sponsum speciosissimum in cælesti thalamo; videre quoque vna cum electis tuis gratiosissimam faciem tuam, vt ineffabili gaudio plenus, cum omnibus te diligentibus dicere possim. Ecce quem concupiui, iam video, in quo speraui, iam teneo, & quem tantopere dilexi, iam possideo: etenim in cælo nunc con-

iunctus & vnitus sum illi, quem dum  
essẽm in terris, toto corde meo ama-  
ui, cui omni amoris conatu semper ad-  
hæsi. Hunc laudabo, hunc benedi-  
cam, viuentem & regnantem  
in sæcula sæculorum.

A M E N.

FINIS  
SECUNDÆ PARTIS.



INDEX

INDEX  
MEDITATION  
NUM SECUNDAE  
PARTIS.

- I. **D**e emissione duodecim Apostolorum ad praedicandum. pagina. 10.
- II. De quinque millibus hominum, quinque panibus & duobus piscibus satiatis. 29.
- III. De ambulatione CHRISTI super aquas. 65.
- IV De filia Cananea à Christo sanata. 90.
- V. De surdo & muto sanato. 114.
- VI. De confessione Petri, & auctoritate ei data à Christo. 145.
- VII. De transfiguratione Domini in monte. 178.
- VIII. De Energumeno sanato à Christo. 203.
- IX. De Angelis, & speciatim de  
Hh 3 ange-

angelis custodibus.	240.
X De muliere adultera.	280.
XI. De illuminatione cæci nati. pagina.	307.
XII. De recepto Christo in domum Marthæ.	339.
XIII. De adolescente à Christo pe- tente, quomodo possit saluus fieri? pag.	368.
XIV. De resuscitatione Lazari. pag.	396.
XV. De petitione matris filiorum Ze- bedæi.	429.
XVI. De cæco Ierichuntino curato.	460.
XVII. De ingressu Christi in domum Zachari.	483.
XVIII. De cæna in domo Simonis le- prosi.	514.
XIX. De ingressu Christi in Hieru- salem, die palmarum.	536.
XX. De fletu Christi super Hieru- salem.	547.
XXI. De ficu maledicta, & secun-	548.



*da eiectione ementium & vendenti-  
um è templo.* 574.

XXII. *De morte.* 602.

XXIII. *De iudicio vniuersali, pa-  
gina* 637.

XXIII. *De penis, damnatorum.*  
*pag.* 677.

XXV. *De gloria beatorum.* 703.

FINIS INDICIS.







BR  
M  
to  
2

BRUNI

Meditatio  
de Passione

2272

2042